EPHEMERIDES

ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
In Transfiguratione Domini, M. DCCC. XCI.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH., Episc. Atrebat.,
Atrebat., 15 Augusti M. DCCC. XCI.

EPHEMERIDES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AUCTORE

D. LEONE LE VASSEUR

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITÆ

VOLUMEN TERTIUM

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC XCI

EPHEMERIDES

ORDINIS CARTUSIENSIS

MENSIS AUGUSTUS

I DIE AUGUSTI

MARGARITA DE BACHINS

PROTOPRIORISSA GOSNAY

E parthenio Saletarum veniens ad jacienda Vitæ monasticæ in hac nascente Domo fundamenta, præclaris virtutum exemplis commissum sibi gregem provocans ad gradiendum per sanctitatis semitas, postquam strenue laborasset, abdicata, Præfectura, pie in Domino obdormivit, anno 1350, die 1 Augusti.

Ex antiquis hujus cœnobii Monumentis.

BERTHOLDUS

VICARIUS TREVIRIS

Cum a pueritia singulari morum innocentia præditus fuisset, velut lucerna quædam lucens et ardens in domo Dei, ut cæteris quoque luceret ad justitiam, datus est ad Novitiorum educationem; qui postquam multos suæ virtutis alumnos et imitatores efformasset, ex humanis migravit, anno 1442, die 1 Augusti.

Chronicon Cartusiæ Trevirensis.

JUSTUS VAN SCHOONHOEVEN

SACRISTA DELFII

Habuit patrem Albertum antiqua et clara Schoonhoeviorum familia ortum, matrem vero Gertrudem Campensem. Anno ætatis suæ 22 Cartusiense Institutum sectatus, ut corporis forma, ita et animi pulchritudine facile præ cæteris excelluit. Ante Religionis ingressum cum a Georgio Macropedio, poeta comico longe festivissimo, Ultrajecti fuisset institutus liberalibus disciplinis, sacræque Theologiæ operam dedisset; contemplatricis Philosophiæ amore accensus, emissis Vitæ monasticæ votis, sedens solitarius præstolabatur cum silentio salutare Dei, meditans in lege Domini sicut columba, aut operis aliquid faciebat. Nam et scribere quam optime noverat, variisque simul coloribus pingere, feliciore nimirum in eo ingenio luxuriante.

Neque vero defuerunt illi ascetica alia; nam præterquam quod erat doctus sermonis utriusque linguæ Græcæ et Latinæ, habuit quoque magnam rationem vernaculæ suæ, ut fidem faciunt decem Præcepta Decalogi, quæ Flandrica lingua cum glossa tractavit pro rudium captu, quæ etiamnum adhuc extant, et alicubi asservantur; sententias quoque memoratu dignas reliquit. Postquam vero Sacris initiatus templi Æditinus jam crearetur, summa eum erga omnes ecclesiæ ceremonias sollicitudo cepit, lætusque et alacer illo munere, licet oneroso atque difficili, perfunctus est.

Cæterum cum, ingruente Hæreticorum persecutionis tempestate, cum cæteris Fratribus urbe Delfii jam quasi carcere concluderetur, importunis sui fratris precibus victus, postulata et obtenta a Priore suo Joanne Eschesano discedendi licentia, civitatem reliquit. Sed vix Owerschiam pervenerat, cum ecce obvios habet Lummæni socios, inter quos unus eum agnovit, aliisque prodidit. Apprehensus ab eis viatico spoliatur, et mox abripitur in vicinam domum, ibique jussus est in trunco sedere seminudus, siti confectus et ariditate; tuncque ejus fides et constantia tentatur, quibusdam ei gratiam vitæ promittentibus securitatemque, ac insuper amicitiam Comitis Lummæni, si religionem abjuraret.

Deinde navigio Brilam usque deportatur, ibique a piratis sævissimisque scurris ludibriis ac contumeliis affectus, ad Joannis Dommalii Unimani, olim apud Eburones Canonici, ædes deducitur. Etenim is a Lummæno Brilæ cum præsidio relictus fuerat; qui tunc mensæ assidens, nostrum Cartusianum, carne oblata, ea uti vescatur, imperat. Renuenti atque Religione ab esu carnium prohiberi se respondenti, « Ergo, inquit Dommalius, vel hunc calicem (calix erat initiatus) sume, et quodcumque vini est, exhauri. » Sed negavit Justus se contra sacros Canones ex sacris

vasis bibere posse. Tunc iratus Dommalius jubet eum in carcerem duci, laqueoque gulam et linguam ei infringi, quam nimis libere, ut aiebat, in reformatam Rempublicam relaxasset.

Post triduum vero dictat in eum mortis decretum, moxque Justus ad patibulum extrahitur. Dum autem per confertam turbam raptatur, exclamavit quædam mulier: « Et quare moritur ille? » Ad quod respondit lictor : « Causam quæris? monachus est. » Interim ad locum supplicii pervenit; moxque brevi spatio ad orandum sibi concesso, flexis genibus, manibus complicatis, cerviceque demissa, dum humi (ut moris Cartusianis est) procumbit, spiritus ejus, sarcina corporis relicta, ad æthereas evolavit sedes, pridie Kalendas Augusti, vel ut alii referunt, ipsis Kalendis Augusti, anno 1572, ætatis 37.

Morte sanctissimi viri nondum saturata est immanis scurrarum feritas : in corpus quoque exanime sævitum, cum illud crassiore fune in sublime sublatum per aliquot horas ex patibulo dependeret, vultu quodammodo hilari mirumque in modum relucente. Quod postea fune inciso decidens, haud procul inde in gramineo cœmeterio B. Catharinæ conditum fuit.

Ferunt Dommalium, cum extractis vestibus cilicium strictius cadaveri adhærere conspiceret, ingemuisse atque crudelitatis pœnituisse, dum ei frigidus obstaret circum præcordia sanguis. Sunt qui dicant in loco sepulturæ lapillos nunquam hactenus visos miri coloris reperiri, et quod lux cœlestis super locum eumdem sit visa sæpius coruscans.

Hujus martyrium descripsit Gerardus Eligius noster, quod typis excusum. De Justo meminit Arnoldus Raissius in suo Auctuario ad Molanum, et in Originibus Cartusiarum Belgii.

DIONYSIUS BENEDELLUS

MONACHUS BONONIÆ

Bononiensis; recens professus (qui ad Ordinem venit sacerdotio et laurea Doctoratus artium et Juris utriusque insignitus), vir macto animo, charus Deo et hominibus, feliciore sorte donatur, quippe qui lavacro professionis adjunxit mortis suæ sacrificium, quod obtulit in publico xenodochio in proximi salutem.

Primum inter sacerdotes nostros sorte habuit locum emoriendi supra crucem sibi a beneplacito divino impositam, ea omnium ædificatione, fervore spiritus, ut iste pro decem foret assiduus Sacramentorum administer omnibus infirmis contagione affectis, caute quidem sed citra omnem defatigationem ; præstabat decore, gravitate, modestia, jucunditate. Ejus mors, quæ contigit die 1 Augusti, anno 1630, pretiosa in conspectu Ecclesiæ, maximo dolori extitit omnibus qui viri talenta egregia

noverant : eo neminem magis idoneum viderant atque præstantiorem ad rite et sancte obsequendum Deo et Ordini. Sepultus fuit in xenodochio.

ANNA LESPILLET

MONIALIS GOSNAY

Bethuniensis; a teneris annis inter moniales adscripta, post aliquot dies cum austeræ hujusmodi vitæ tædio afficeretur, cogitaretque habitum dimittere, Domni Matthæi Hervain hospitis in hoc parthenio, vitæ sanctimonia spectabilis, adhortationibus ad meliorem mentem ita revocata fuit, ut si quando interrogaretur num ad parentes repedare vellet? nullo prorsus hujusce rei desiderio se teneri post viri Dei colloquium affirmaret.

Animi candorem, morum innocentiam, cordis munditiem ita ad mortem usque servavit, ut non sine mira Dei providentia, dum habitu donaretur, in concione hæc illi specialis beatitudo fuerit assignata : Beati mundo corde. Ne verbis autem vel cogitationibus aut operibus suis vel minimum quid peccaret, semper invigilabat satagens juxta sententiam Apostoli, cum timore et tremore operari suam salutem. Atque ut id perageret securius, verborum erat parcissima, nunquam de sæculi rumoribus percontabatur neque de negotiis alienis; abhorrebat a colloquiorum exedra, ubi nunquam nisi cogente obedientia apparebat, brevique sermone habito recedebat statim, parum de inurbanitatis nota curans.

Ex hoc puritatis studio emanabat summa illius erga Superiores reverentia, maximaque omnium existimatio, qua de singulis recte judicans nunquam de defectibus aliorum loquebatur. Hinc prompta obedientia, qua velut infans se componebat ad Superiorum nutum. Hinc accuratissima disciplinæ regularis observantia, qua campanæ pulsum antevertebat in divinis Officiis persolvendis. Cumque a quibusdam tanta diligentia religioni anxiæ adscriberetur, Joannes le Roy Vicarius sapientissime dixit, hæc omnia a bene timorata mente procedere. Diu Sacristinæ, diutius Magistræ Novitiarum digne munus exercuit. Post exactos autem in Ordine sexaginta sex annos valde laudabiliter, collectis bonorum operum manipulis, ad Sponsum abiit, anno 1661, die 1 Augusti.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart monialis.

II DIE AUGUSTI

GERARDUS CALCIFICIS

PRIOR COLONIÆ

Ex Manuscripto Cartusiæ Coloniensis, quod hic damus de verbo ad verbum.

Brabantus natione, patria Hamontanus, a qua et cognomen in Ordine retinuit; ante ingressum Ordinis fuit publicus Notarius in urbe Aquisgranensi. Conversionem suam in Ordine Cartusiensi, anno ætatis suæ trigesimo, ipsemet candidissime clarissimis verbis depinxit in libello quodam his verbis :

« Anno 1518, complacuit Altissimo (cujus miserationes super omnia opera ejus) me ab his æternæ mortis laqueis eripere, et tanquam Lazarum quadriduanum jam in peccatis inveteratum (meritis, ut credo, Matris suæ) mirabiliter a vinculis excutere, et ad sacratissimum Ordinem Cartusiensem deducere. In ipso quidem puncto, quo, post multos labores et post adeptam hujus practicæ scientiam, beneficia et officia, necnon prosperitates temporales cœperunt mihi arridere et ultro se offerre, in Domo Coloniensi insperate me promovit. Ipsi soli, qui hoc miraculum cum desperata anima mea facere dignatus est, laus sit et gloria in sæcula.

« Ingressus Ordinem nunquam mihi displicuit, nunquam dolui vel pœnituit me intrasse, licet frequenter tamen tentationes non parvas habuerim : gratias Beatissimæ Virgini, quæ mihi indignissimo tanta pietate semper subvenire dignata est; ad quam in peccatis fœtens primitus suspiravi, et me ei commisi; quæ ulterius me reduxit ad Filium suum et in gratiam pristinam restituit. Unde Deo soli, a quo omnia bona principaliter procedunt, laus et gloria ab omni creatura per infinita sæcula. »

Hoc igitur modo Gerardus noster suæ conversionis primordia mundo testatus est universo : nec minus exemplo et factis id ipsum demonstravit. Nam vota Religionis professus adeo in disciplina monastica et religiosa Vita bonoque exemplo profecit, ut paucis annis interjectis, videns Petrus Leidensis hominem industrium et ad exteriora munia idoneum, assumpserit eum in adjutorem suum pro rerum temporalium administratione. Factus deinde Procurator anno 1523, mox anno sequenti multis laboribus statum cœnobii externum in pulcherrimum ordinem redigere cœpit, atque omnia registra, ut vocant, reno-

vare. Ante omnia suæ salutis curam gessit præcipuam; deinde toti Conventui fidelissime inservivit, laicis etiam Fratribus dirigendis plurimum invigilavit, utpote quorum regimen sibi commissum cogitaret, et pro quibus ipse æterno Judici rationem esset redditurus.

Neque interim diabolus destitit illi insidiari. Nam quodam tempore cum ex officio colligendis uvis occuparetur, atque hanc ob causam foris in curte cujusdam villici moraretur; iturus vespere cubitum, invenit mulierem in lecto collocatam seque allicientem. Qua conspecta mox cum socio per noctem aufugit, et mane Coloniam reversus, nuntiavit omnia V. P. Joanni Lanspergio pro tunc Vicario; qui simul ob victoriam hanc in spirituali pugna obtentam ad ecclesiam euntes hymnum SS. Ambrosii et Augustini divinæ Bonitati pro gratiarum actione cantarunt, quod militi suo hunc fortitudinis spiritum tribuisset.

Quas immensas præterea tentationes sustinuerit, ipsemet quodam loco scriptum reliquit in hæc verba: « Cum ego Procurator factus essem, multas sustinui insidias diaboli, et tentationes carnales quandoque ita graves, ut vix ferre potuissem graviores; sed divina Misericordia manum suæ protectionis a me, sicut merueram, non abstraxit, sed succurrit ruinam minanti: de quo sit benedictio in sæcula, cujus miserationes supra omnia opera ejus, qui nisi paterna Providentia me misericorditer ex sæculari habitu ad Ordinem duxisset, absque dubio in sæculo periissem propter tria vitia, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, quibus jam totus inservit mundus. Non inveni melius remedium resistendi tentationibus, quam crebris precibus implorare auxilium Dei et D. semper Virginis Mariæ, Matris misericordiæ, cujus interventui non minimam salutis meæ portionem debere fateor, et ante omnia etiam fugere quasvis peccandi occasiones, etc. »

Hisce itaque præliis roboratus Christi miles, non minus splendida virtutis exempla reliquit in suo Prioratu quam in Procuratura. Nam postquam V. P. Leidensis ex hoc exilio ad meliorem vitam transmigrasset, totius Conventus unanimi consensu electus est, anno 1536, die 11 Octobris; et ab illo tempore summa sollicitudine ad hoc invigilavit, ut gregem sibi commissum regeret virga divini timoris ac monasticæ disciplinæ, minaretque eumdem ad pascua cœlestis Paradisi. Tum deinde præcipuam curam habuit, ut eleemosynis erogandis sibi suisque tum gratiæ tum gloriæ dona apud Deum obtineret; atque huic virtuti adeo incubuit, ut R. D. Nicolaus Eschius dicere non dubitarit, inter urbem Romam et Coloniam non esse talem eleemosynarium, qualis reipsa inveniatur P. Gerardus Prior Cartusiæ Coloniensis.

Vis autem scire qualis fuerit Eschius iste, ut etiam scias quanti testimonium ipsius faciendum sit? Sacerdos fuit

doctrina et sanctitate conspicuus, atque in vita contemplativa adeo eximius, ut dixerit aliquando secretis amicis suis, sibi raptum mentis seu extasim tam esse facilem, quam sit compressio digitorum. Hinc factum est, ut cum PP. Cartusianis Coloniæ singulare pepigerit amicitiæ fœdus, eorumque factus sit Præbendarius, ut vocant, sive convictor.

Hanc autem liberalitatem imprimis expertus est ipse D. Eschius, quando Rector fuit monialium prope Diest in Brabantia ; has quippe pauperes et afflictas ex munificentia nominati P. Prioris Cartusiæ Coloniensis potissimum aluit et refocillavit. Expertus est quoque R. P. Petrus Faber, unus de primis sociis D. Ignatii Loyolæ, quando una cum suis coadjutoribus in Cartusia Coloniensis primo omnium receptus est, et multo tempore sustentatus, deinde per V. P. Gerardum Priorem apud inclytum Senatum Coloniensem commendatus et promotus. Expertus denique est ipse B. initiator Societatis Jesu, quando Romæ cum sociis suis maximam rerum inopiam passus est ob annonæ caritatem; quapropter etiam ex Urbe discessurus erat, nisi ex Cartusia Coloniensi missus nuntius asportasset aliquot centenos florenos : qua ex re non parum exhilaratus B. Ignatius cum sociis suis ad Urbem regressus est, relicta nave, quam sibi conduxerat. Reliquas eleemosynas solus Deus novit et remuneravit.

Pulchrum est certe illud quod V. P. Gerardus scripsit quodam loco de se ipso in hunc modum : « Quando primum Prior fui factus, legi ex S. Litteris et Doctoribus quam salutifera sit eleemosyna, quodque omnes Ecclesiastici, imo quotquot de patrimonio Crucifixi vivunt, teneantur sub magno sacrilegio ac periculo æternæ damnationis, quicquid illis superabundat, dare piis Christi pauperibus : non illud in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis atque sæculi luxu aut pompis expendere. Cœpi idcirco anxie mecum perpendere, quinam creditam mihi dispensationem utilius atque honestius secundum divinum beneplacitum meamque conscientiam, multorumque egenorum (et hoc priorum Christi jumentorum) consolationem, possem absque alicujus reprehensione vel scandalo exequi. Sed quia multis jam annis in exterioribus disponendis et sollicitandis fueram occupatus, atque optime statum Domus noveram, reperi opportunum admodum consilium (consultis tamen viris quibusdam in Sacris Litteris optime versatis, ne temere quidquam ex proprio capite egisse viderer), quod quandiu in officio Prioratus fui, secutus sum, successoribusque sequendum relinquo, etc.

« Secundum regulam piissimi hujus viri Tobiæ semper egi, ut quando mihi multum superabundabat, libenter multum dabam, et quando parum, illud quoque in hilaritate et simplicitate (absque ulla exceptione) studui devotis

Deo hominibus impertiri. Hæc omnia in timore Dei, ex consilio Doctorum gravissimorum Deumque præ oculis habentium, non sine requisitione et assensu Capituli nostri generalis, ad consulendum conscientiæ meæ peregi, sicut mori optabam, et summo Judici Christo reddere rationem. Annis aliquot 1553, 54, 55, 56, parum potui dare pauperibus ob inopiam quam patiebamur, ita ut ipsimet mutuaremus pecuniam, quod mihi supramodum fuit insolitum. Voluit piissimus Deus, ut et ego gustarem radices paupertatis sanctæ, ad quam solemni nos voto obligavimus : multo excellit eleemosyna data ex propriis necessariis quam superfluis; illam Deus cœlestibus recompensabit divitiis et coronabit. Scienter nihil subtraxi veris pauperibus, quod scire potui dum haberem. »

Et ut aliorum testimonia in medium adducam, placuit hic annotare quæ scripsit R. P. Nicolaus Orlandinus in Historia Societatis Jesu, lib. 4, n. 102, anno 1544, hisce verbis : « Aderant Coloniæ de Societate jam sex, piis omnes intenti curis, nec proximorum fructu pertenui. Vacabant studiis suis pari contentione ac progressione discendi; et una cum Fabro in domicilio conducto aliena misericordia victitabant, Cartusiensium præsertim Patrum. » Paulo post, n. 103 : « Et res jam bellissime procedebat, adjuvante Cartusiæ Priore Gerardo Hamontano, etc. » Et postea, n. 106 : « His editis utcumque principiis, recedit Colonia Faber, quarto Idus Julii, consalutatis amicis sua digressione mœstissimis, præsertim Cartusiæ Patribus. Quos adeo sibi Societatique conciliarat, ut præter alias suæ benevolentiæ charitatisque significationes, frequenti Conventu decreverint, inter suum et nostrum Ordinem peculiaris amicitiæ fœdera sancienda, thesaurosque suos interiores omnes et bona omnia spiritualia communicanda nobiscum. »

Item, lib. 8, n. 38, anno 1548, idem Orlandinus ita scribit : « Porro domesticæ paupertati Coloniensis Cartusiæ Prior Gerardus subsidio erat : cujus pietas tanta fuit, ut non modo Sociis octo Coloniensibus alimenta præberet, sed Romanæ Societatis egestate perspecta, quingentos ad Ignatium Rhenenses aureos subsidii causa transmiserit. » Item, lib. 14, n. 46, anno 1554 : « Nec deerant in ipsa urbe Coloniæ, qui Collegium, in quo Societas doceret, studiorum exciti fama Romani Collegii, vehementer expeterent. Erat enim, qui in eam rem domicilium Coloniæ Patribus emere jam decreverat, Cartusianorumque Prior Gerardus collegii cupidissimus suis id urgere sermonibus nunquam destitit; cumque alia ipse re non posset, rei nummariæ subsidio Nostris, qui domo conductitia Coloniæ utebantur, occurrebat. Ac præter aureos centum coronatos, quos subsidii nomine Romano Collegio submiserat (cum litteras in gratiarum actionem ab Ignatio

accepisset, quibus etiam una cum suis monachis precum ac Sacrificiorum Societatis, ut insigniter de ea meritus, fiebat particeps : pergratum quidem hoc habuit), sed nec Societate, prout ab sanctæ memoriæ Fabro cognoverat, nec studio suo munusculum illud dignum dicens, statim Leonardo florenos quingentos tradidit; addens sibi nolle nec litteras, nec gratæ memoriæ significationem ullam rependi, nec paulo majora, si tempora ferrent, Romano Collegio subsidia transmissurum. » Porro epistolam hanc sancti Ignatii subjicere hic non erit ingratum :

« Summa gratia et æternus amor Dei et Domini nostri Jesu Christi pietatem vestram cum sancta sua Congregatione continuis donorum suorum spiritualium exornet et promoveat incrementis. Quamvis rara nobis cum V. Paternitate fuerit his annis litterarum communicatio, crebra tamen fuit orationum, sicut et mutuæ charitatis affectum, ipso temporis decursu augeri potius quam minui sentimus; quod ex parte nostra, viva memoria vestri, et in dies magis propensus in vos animus, ex parte vestra non solum litteræ Nostrorum (qui continuis beneficiis se affici a Paternitate Vestra scribunt), sed et beneficentiæ vestræ ipsa experientia Romam usque ad nos se extendentis, nos docet. De qua gratias agimus Deo bonorum omnium authori, et Paternitati Vestræ quam maximas : admodum enim opportune necessitatibus hujus Collegii vestra liberalitas subvenit, et in nobis mutuæ dilectionis vinculum tantæ charitatis vestræ significatio valde strinxit. Dignetur Dominus Jesus secundum divitias summæ bonitatis suæ hoc beneficium cum cæteris omnibus pro suis pauperibus rependere.

« Romæ valent Fratres qui in Collegio et in domo nostra sunt ; me Dominus adversa valetudine his mensibus exercuit, sed jam mediocriter valere incœpi. Reliqua, ex Fratribus nostris ad quos fusius scribuntur, Paternitas vestra intelliget. Omnes nos omnibus et Sacrificiis vestræ Paternitatis et V. Fratrum suorum ac nostrorum humiliter commendari cupimus. Vale in Domino J. Christo, qui salus omnibus et vita sit sempiterna. Amen.

Romæ 12 Kal. Sept. 1554.

Servus in Domino Jesu Christo Ignatius. »

Adservantur etiam in Domo Coloniensi aliæ diversæ litteræ beatæ memoriæ Petri Canisii, Petri Fabri, Joannis Polanci ad eumdem V. P. Gerardum missæ, immensæ charitatis et liberalissimæ munificentiæ testes insignes.

Hisce igitur misericordiæ operibus plurimum vegetatus, cum ad senium et canos pervenisset, nuntios mortis morbos accepit; nam pedes aliaque membra intumuerunt, quibus accessit gravis et occulta ruptura. Ita quos Deus amat, castigat, et suos electos per adversa purgat in hac vita, ut liberius evolent ad cœlestem felicitatem. Cum autem

optimus Pater infirmitatibus senioque se gravatum sensisset, more Ordinis recepto absolutionem petiit ab officio Prioratus, cui anno 1557 Capitulum generale in hæc verba respondit :

« Priori Domus Coloniensis non fit *misericordia;* quem rogamus, ut ad exemplum Christi sanctam obedientiam teneat et consummet, atque suo exemplo doceat cæteros crucem obedientiæ patienter portare usque in finem, et juxta gratiam a Deo sibi datam, Visitatores, Priores et personas Ordinis verbo et scripto informet, instruat et dirigat ; et similiter D. Thomam Vicarium suum, quem hortantes et præcipientes rogamus, ut ad formam sui Prioris et prout ab eo sibi fuerit injunctum et consultum, studeat vices ipsius Prioris exequi et illius infirmitates et debilitates portare et supplere cum omni modestia et discretione. »

Eodem plane modo annis sequentibus a VV. PP. adhortatus, imo in sancta obedientia rogatus fuit ad alios instruendum verbo et exemplo. Ex hisce intelligi datur quomodo pius ille Pater etiam lecto defixus non cessavit exercere charitatem et zelum erga proximos suos, præsentes verbo, absentes scriptis exhortando, quousque optimus et vere venerabilis Pater, anno 1566, 2 Augusti, Sacramentis Ecclesiæ rite munitus, mane circa horam septimam, in præsentia filiorum suorum spiritualium spiritum reddidit Creatori suo, a quo acceperat. O quot viduæ et pupilli ; quot pauperes domestici, quot Religiosi inopes, quot homines mendici, audita tanti eleemosynarii morte in lachrymas resoluti, se jam desolatos proclamabant !

Vixit V. P. Gerardus in Ordine Cartusiensi annis 48, ex quibus in Procurationis officio consumpsit 13, in Prioris autem annos 30. Vir boni communis amantissimus, rei litterariæ et Fidei Catholicæ propagator acerrimus, omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret.

Hactenus Ms. Coloniense.

JOANNES MARIA TAVARONUS

VICARIUS BONONIÆ

A Pontremolo; professus et Vicarius Bononiæ. In xenodochio decessit, anno 1630, die 2 Augusti, dum peste laborantibus Sacramenta ministrabat, ibidem depositus. Aliquamdiu vixerat unus e Confessariis insignioribus Societatis Jesu Bononiæ. Annos quindecim fuerat Vicarius hujus monasterii, vir haud vulgaris perfectionis, sanioris consilii et charitatis admirandæ. Ipse irreprehensibilis, omnibus factus omnia, et quod reipsa difficillimum est, omnibus erat gratus et amabilis. Omnes amantissime in officio continuit, homo sine querela, arcano quodam divino, possedit ora et corda omnium.

Ex Chronico Cart. Bononiæ.

ARCHANGELUS MONCHOSON

PRIOR CATURCI

Professus Tolosæ, vir vitæ admodum exemplaris; qui admotus officio Prioris Caturci, anno 1653, post laudabilem administrationem, anno 1658, Prioratui cessit; factus Vicarius Villæfrancæ, ibidem diem extremum clausit, anno 1666, 2 Augusti, relicta sanctitatis opinione. Vixit in Ordine ultra 55 annos, doctrina, morum innocentia et insigni bonitate et animi candore clarus.

III DIE AUGUSTI

GAUFRIDUS DE LAUDUNO

EPISCOPUS CENOMANENSIS,
ALTER FUNDATOR PARCI

Treviarum ac Bellimontis Toparcha, natus ex Gaufrido de Lauduno nobili milite, Barone Treviarum oppiduli ad Ligerim, Andinæ diœcesis, Salmuro proximi. Beatrix mater peperit quoque Fulconem et Aimericum, viros militares, ac Margaritam, Domini de Montesorello conjugem. Is vero, germanis fato ereptis, dynastiam Treviarum aliaque amplissima dominia adeptus est. Tum Cantor Cenomanensis, Mauricii antecessoris sui Beneficio ascitus, ad sedem Cenomanensem evehitur circa annum 1234. Interim pro jure Ecclesiæ suæ contra Juhellum Metropolitanum Turonensem disceptans, Romam profectus est, ubi Interdicti sententiam ab ipso Pontifice impetravit.

Cum autem Margareta vicecomitissa de Fif, anno 1235, fundasset Cartusiam B. Mariæ de Parco Orci (de Orguis) in sua diœcesi, et sylva de Charnia, tenuis redditus valde, Fratribusque alendis non sufficiente, Gaufridus Episcopus eamdem Cartusiam, ut nunc est, ædificavit. Erecta a fundamentis basilica, hoc cœnobium plurimis latifundiis dotavit ex patrimonio; insuperque hanc Domum claustris, cellulis et fontibus intruxit. Nec propterea Cathedralis decorem neglexit, cujus chorum ornavit vitro variegato. Demum plura alia præclare gessit ad suæ diœcesis splendorem.

Miraculis inclytus, cum, anno 1241, interfuisset Concilio provinciali Lavallensi, ad Christum migravit Anagniæ in Italia, 3 Augusti. Relatus in suam diœcesim, in prædicta Cartusia reconditus jacet, ubi frequentissimo peregrinorum concursu colitur pro febrium depulsione opem ejus implorantium.

Gallia Christiana Sammarthani, qui male refert fundationem ad annum 1236. Sutor de Vita Cartusiana. Chronicon Parci Clementis Bohic.

PETRUS

PRIOR ROMÆ

Professus Seiz; qui ob eximiam pietatem et prudentiam primum Cartusiæ Freidniz, postea Romæ præfectus, præ solitudinis desiderio voluit multoties abdicare Prælaturam; verum coactus a beato Stephano Senensi, penes quem in Italia supremus Magistratus erat, humeros oneri subjicere, tandem e labore ad requiem sempiternam evocatur a Domino, die 3 Augusti, anno 1403, optime de Ordine meritus.

Catalogus Priorum Freidniz.

JULIANUS DE SANCTO MINIATO

PRIOR ROMÆ

Jacobus Picenus, Ordinis Minorum alumnus sanctitate eximius, in Neapolitano S. Trinitatis Conventu noctem orando transigens, stellam conspexit fulgentissimam, quæ e S. Martini ejusdem civitatis Cartusia exoriens, fugatis tenebris, diem orbi, latius effuso splendore, reddebat. Ad insolitæ lucis intuitum anceps Picenus, illudi se a dæmone credidit. Sed oratione se muniens, intellexit coruscum sydus monachum esse, qui exacta occiduæ hujus vitæ periodo evolarat ad cœlum, ubi lumine gloriæ amictus in perpetuas emicaret æternitates. Deo insuper revelante, cognovit Neapolitanum Cartusianorum sodalitium sanctuarium esse, ubi dempto e Conversis uno, qui proprietatis in reatum elapsus, divini districtionem judicii subierat, cæteri quadragesimum infra annum sublati, morte feliciter oppetita, perennem convolarant ad vitam.

Prima luce B. Jacobus ad Cartusiam contendit, monachi conclamati expositum cadaver invenit, coluit; cæterisque adstantibus cœnobitis, quæ, Deo revelante, didicerat, gratulabundus aperuit, iisdem congaudens, quod Instituto numeris omnibus absoluto se obstrinxissent, a quo qui minime deflectit, Cœli se candidatum existimet.

Defunctus ad præmium evocatus nuncupabatur Julianus de S. Miniato, qui postquam Papiensem et Florentinam suæ primæ ac secundæ professionis Domos, Belriguardique ac Romæ monasteria quibus præfuerat, virtutum suarum nitore irradiasset; Neapolitanæ Cartusiæ Procurator datus, rei familiaris œconomiæ, et uni necessario æternæ salutis negotio dum sedulus incumbit, meritis adeo coruscus occubuit, die 3 Augusti, anno 1474, juxta Chartam Capituli generalis anni 1475.

Ejus conversationis, aut certe decubitus cella fertur tertia ex addictis ecclesiæ et regione Aquilonari, in qua recentioris temporis tabula appensa est exprimens B. Jacobum præfatum orantem, et sydus ex procul eminenti Cartusia exoriens, subjecta revelationis notitia ex Autographo Fr. Cherubini a

Spoleto, Minoritæ, qui rudi eam charactere, prout typographiæ infantia tunc ferebat, evulgavit; et in privata quadam bibliotheca inventa, inseritur suis mss. Cartusiensium Monumentis a Camillo Tutino, prout idem indicat in Prospectu ejusdem Ordinis Viterbii impresso; unaque cum eo Jo. Donatus Epiphanius Campensis in gestis Bernardi Sydgravii monachi Cartusiæ Neapolitanæ, et Nicolaus Riccius in Epitome ms. de conspicuis nostri Instituti alumnis.

ANTONIUS DE COLONIA

MONACHUS TREVIRIS

Hoc brevi elogio laudatur in Catalogo monachorum hujus Domus: « Antonius de Colonia Magister artium, Diaconus devotissimus, qui laudabiliter et sancte vixit et sancte obiit, anno 1459, 3 Augusti. »

PETRUS MANRIQUEZ

MONACHUS DE PAULARI

Filius Comitis de Osorno; cum ex Ordine Dominicanorum, ubi quindecim annos exegerat, ad Cartusianos transvolasset, in Domo de Paulari emisit professionem, anno 1527, die 17 Februarii. Devotione erga augustissimum Altaris Sacramentum et Beatissimam Virginem Mariam præcelluit. Centenario licet major, chorum tamen usque ad obitum frequentabat magno cum spiritus fervore. Fuit præterea summa præditus mansuetudine morum, insigni humilitate, Statutorumque observantissimus. Cumque haud vulgaribus gratiæ et naturæ dotibus exornatus ad quælibet Ordinis munia natus videretur, vir hominibus et Deo dilectus semper respuit dignitates a Superioribus oblatas. Meritis dives in Cartusia Granatensi feliciter vitæ cursum absolvit, anno 1579, die 3 Augusti, anno ætatis suæ centesimo primo vel secundo.

LAMBERTUS NINGL

PRIOR DANTISCI

Lutheranis a Deo et a Rege Poloniæ deficientibus, cum multa Cartusiani Dantisci ab Hæreticis perpessi fuissent, ad calamitatum cumulum sub annum 1583 pulsi sunt e domicilio. Sic autem res accidit. Abbas quidam Olivensis Ordinis Cisterciensis nomine Gasparus, homo nequam, cupidus bonorum alienorum scripsit falsas et mendaces litteras ad Curiam Romanam, quibus Cartusiam monachis plane destitutam esse significabat, cum nihilominus Prior et quatuor monachi superstites adhuc ibidem remanerent. His ita falso positis, subreptitium Breve ab Apostolica Sede obtinuit, quo monasterii nostri posses-

sionem iniens, ita Priorem ad defectionem sollicitavit, ut ille invasoris pessimi verbis deceptus, una cum Fratre alio factus Ordinis desertor et ad Cistercienses transiens, Domum suam Abbati tradiderit. Verum post Cartusiæ recuperationem ad nos rediit ductus pœnitentia.

Ubi autem Visitatores defectionem Prioris præfati cognoverunt, antequam Domum occuparent Cistercienses, in eam miserunt D. Joannem Spier, qui eodem anno a Prioratu Hildesemensi absolutus fuerat, ut sua industria non sineret usurpatores ingredi monasterium. At ubi ille ad Cartusiam accessit, adest Olivensis Abbas cum Pontificiis diplomatibus; a quo eliminatus, convasatis quotquot potuit ex mobilibus, acceptisque secum privilegiis et Instrumentis, rediit Hildesium. Sic igitur novo Priore aliisque monachis, qui ad Cistercienses transire recusaverunt, expulsis, Domum cunctaque bona illius Abbas Gasparus occupavit. Sed quam promiserat se redacturum in scholam, vertit quodammodo in lupanar, posito uno starosta (id est stationario) cum aliquot monachis sui Ordinis, qui luxu ac continuis compotationibus omnia dilapidarunt. Quædam vero bona suis amicis Abbas donavit, et sic tota nostra clausura soluta est, ita ut passim mulieres intrarent, ipsoque in refectorio ducerent choreas.

Sed Deus ultionum Dominus non diu hoc reliquit impunitum, nam Abbas repentina miseraque morte sublatus debitas sceleris luit pœnas. Quod ubi Visitatores audierunt, accepta a R. Patre Priore Cartusiæ Majoris licentia, laboraverunt pro recuperatione monasterii. Præerat tunc toti Ordini Hieronymus Marchant, qui cum exploratam haberet Lamberti Ningli, professi Trevirensis, Prioris Moguntiæ ac Rheni Convisitatoris virtutem eximiam et singularem in rebus agendis prudentiam, eidem scripsit, ut data opportunitate Gedanum se transferret, ipseque daret operam Domui recuperandæ. Obedientia duce Lambertus arduum iter, arduum negotium aggressus circa finem anni 1588 huc advenit, solusque fere per annum integrum circuiit regionem, ut sibi conciliaret amicos, latitans interea apud sanctimoniales Suckovienses, victitans ex Missarum celebratione.

Ubi autem Cisterciensibus Cartusiæ incolis recessum significavit, hi, militibus in monasterium introductis, nec vi nec precibus expelli potuerunt. Quapropter Lambertus confugit ad episcopum Wladislaviensem Hieronymum a Rozdrazow, in nos propensissimum. Ille benevolus Cartusianorum patronus petiit Romam, causam nostram egit, tam feliciter, ut Abbas cum monachis, milites etiam quos in Domum contra Episcopum introduxerat, gravioris Interdictionis fulmine perculsi fuerint. Discesserunt ergo vel inviti circa initium anni 1590; moxque Prior Confluentiæ, Visitator, sex monachos

omni patientia, pietate zeloque Ordinis conspicuos, nucleum totius Provinciæ Rheni, ex diversis Domibus misit ad Lambertum, quem Rectorem Domus recuperatæ constituit.

Hæc autem omnia in sequenti Capitulo ejusdem anni 1590 approbata fuere per Chartam, cujus tenor talis est : « D. Lamberto Ninglo Priori Moguntiæ instituto Rectori Domus Paradisi Mariæ in Prussia : cujus videlicet industria, labore et vigilantia comitata Ill^mi et R^mi Domini Wladislaviensis favore, et in nos summa benevolentia simul et justitia, de alienorum manibus erepta et Ordini restituta est, non fit *misericordia*. Quam quidem obedientiam recognoscere volentes, eidem D. Lamberto donamus Missam de B. Maria per totum Ordinem, Domnis vero Jacobo Martisdorff, Hectori Vitensi, Servatio Ullatensi, Joanni Namurcensi, Gerardo Rhodio Campensi et Joanni Trevirensi, qui tanquam obedientissimi filii, relictis dilectis Fratribus et propriis Domibus ac Provincia clementioris cœli, ad remotissimam frigidissimamque Domum pro Dei et Ordinis zelo profecti sunt, idem beneficium in septem Provinciis Alemaniæ. »

Sequenti anno, eadem quæ supra repetuntur usque ad illa verba *non fit misericordia*. Sed anno 1592, Lambertus absolvitur ab officio Prioris Moguntiæ, et ex Rectore Dantisci fit Prior, his verbis : « Priori Domus Moguntiæ D. Lamberto, necessario pro conservatione Domus Paradisi Mariæ, Dei gratia et ejusdem Patris labore et industria subnixa justis favoribus Ill^mi et R^mi Wladislaviensis Episcopi, fit *misericordia*. » Et inferius in dispositione Domus Dantisci hæc leguntur : « D. Lambertum, nuper Priorem Moguntiæ et institutum Rectorem Domus Paradisi Mariæ, præficimus in Priorem dictæ Domus Paradisi, ut, cujus ope post Divinam et incredibili labore est Ordini restituta, ejusdem præsentia et exemplari vita ac pastorali vigilantia conservetur, et monastica disciplina imbuatur : quod præ cæteris tanto melius præstabit, quanto et majorem omnium rerum et personarum illius loci cognitionem habet, et majori auctoritate valet apud Ill^mum et R^mum Episcopum Wladislaviensem, hujus restitutionis post Deum præcipuum auctorem, et ejusdem (ut speramus) futurum singularem fautorem. »

Tantus fuit Lamberti labor in utriusque status reformatione, ut post sex annos, non solum distracta bona redemerit, sed et collapsam regularem disciplinam in primævum rigorem restituerit. Obtentis namque a Capitulo generali anni 1597 sex aliis monachis, cum quibusdam laicis morum probitate et observantia spectatissimis, reddidit Domum Conventualem, quam adauxit Novitiis : favente semper sumptusque interdum subministrante sæpe dicto Episcopo Wladislaviense, qui usque in hodiernum diem tanquam alter Fundator habetur, qui et multa bona fecit

Majori Cartusiæ et novæ plantationi Lugdunensi. Cum autem rursus Romam petiisset, res tum suas tum nostras acturus, ibidem vivere desiit. De eo diximus ad 9 Februarii.

Postquam autem Domus paulatim in pristinum statum restituta fuisset, nobilis quidam Ruthenus nomine Herboldt voluit in territorio suo fundare Cartusiam. Ad quam missus Lambertus, quasi in ipso limine domus ejus mortuus est; sepultus apud PP. Carmelitas. In hunc diem integer cum habitu perseverat, et a frequentia populi tanquam Sanctus visitatur et colitur.

Hæc nobis non ita pridem iisdem verbis D. Erasmus, Antiquior Dantisci, scribebat. Rem autem postea paulo fusius descripsit nobis V. P. Joannes Bilstein, tunc Prior Snals et Alemaniæ Inferioris Visitator, nunc autem Prior Dantisci, cujus verba subjicio : « A Reverendo Patre generali missus fuerat (Lambertus videlicet) in extremam Podoliam non procul Camineto (vulgo Camnieck) ultimo Christianorum adversus Turcas propugnaculo, pro nova Ordinis plantatione ibidem acceptanda vel inspicienda, qua tamen ob distantiam nimiam non acceptata. Cum aliquo ibidem hæsisset tempore, mortuus est cum magna sanctitatis opinione, ita quidem, ut populi isti (quos generali nomine Ruthenos appellant) eum publicis speciali devotione inseruerint Litaniis, hodieque adhuc lingua sua eas recitando cantent *sancte Lamberte, ora pro nobis*. Hæc, dum ante sex vel septem annos in Lituanica Cartusia Sanctæ Crucis Berezæ duobus annis degerem, ipsi Patres Carmelitæ, qui dictam fundationem postea susceperant, nobis fideliter referentes asseverarunt. » Hæc Bilstenius.

Nostri quoque Cartusiani Moguntinenses quæ sequuntur de Lamberto suggesserunt. Scalla oppidum est quatuor milliaribus ab Episcopatu Kioviensi distans, sub Archiepiscopo Leopoliensi (vulgo Lwow, Lempourus) in Ukrania situm. In hoc oppido, Scalla nomine, Pater noster Lambertus diem clausit extremum, sepultusque est apud Carmelitas, quos alio nomine Fratres S. Basilii vocant; ibidemque, ut ex veridica P. Guardiani seu Prioris Franciscanorum Berezæ relatione cognitum est, summo in honore tanquam vir eximiæ sanctitatis habetur. Vidit corpus ejus idem Guardianus (ut ipsemet retulit) jam plus quam quinquaginta annos in sepulchro habens, in habitu Ordinis nostri decentissime jacens ac quodammodo vivum.

Apparuerunt etiam circa sepulchrum ejus luminaria divinitus accensa, late radiantia, eaque creberrima : tantoque in honore ac reverentia habetur, ut eum e loco priore sublevatum, in primario oppidi templo inter omnes Episcopales sepulturas, tanquam virum Sanctum, primo loco collocaverint, universosque illuc adventantes genua flectere, Deumque in Sancto suo, cultu

supplici, glorificare jubeant : tantum in illo viro virtus obedientiæ, firmissimum in adversis tolerandis patientiæ robur, effecit.

Huic ejusdem syncronus Henricus Winikius, dum funebres conciones dedicat, virum illum appellat, tam virtute quam doctrina præstantem, etc. Hunc etiam M. Henricus Legnerus, insignis poeta, iisdem titulis exornat; in cujus etiam honorem carmina per quam elegantia edidit, etc.

Hæc excerpta sunt ex litteris Domni Swiberti Mœden, monachi Moguntiæ, ad nos datis.

Decessit Lambertus anno 1602, die 3 (non autem 4, ut refert Georgius Garnefelt) Augusti. Vixerat in Ordine 47 annis. Fuit Vicarius Domus Trevirensis ab anno 1567 usque ad annum 1573, quo fuit præfectus Domui Moguntiæ.

JOSEPH A S. MARIA

PRIOR DE COVIS

Ortus Limæ, metropoli regni Peruani apud Indos Occidentales; infans adhuc in Hispaniam asportatur nutritus lacte caprino. Ad omnem institutus Christianam pietatem, jam factus adolescens iniit Ordinem nostrum, inter ascetas de Covis per vota professionis solenniter admissus, anno 1608, die 18 Octobris. Juvenis non minus virtute quam ingenio clarus, in tantum doctrina profecit et eruditione, ut duos libros typis mandaverit De Ritibus Baptismalibus, et Aquæ Benedictæ Triumpho : argumentum quidem ejus ingenii tanto amplius æstimabile, quanto minus tritum et ex professo elucubratum, nec inutile Ecclesiæ Dei.

Moribus suavissimis ornatus, et eo nomine charus cunctis, admotus fuit officiis Procuratoris et Vicarii de Covis; bisque ibidem Priorem egit, eodem munere functus in Domibus de Paulari et de Caçalla. Provinciæ etiam Castellæ fuit Moderator apud omnes celeberrimus ob summam in agendis negotiis prudentiam, modestiam insignem, vitæ probitatem, justitiæ zelum haud vulgari conditum mansuetudine. Eximia fuit pietate in Deum, charitate in subditos, in ægros teneritudine, lenitate in afflictos. Pauperum impense miserebatur, et pro copia, quæ illi erat, subveniebat ipsorum indigentiæ. Quod si interdum subvenire juxta illorum inopiam nequiret, non modicum contristabatur; injunxeratque Fratri Converso sibi ministranti, ut nullum pauperem a se recedere pateretur vacuum eleemosyna.

Sub ejus Prioratu, fame per regionem grassante, cum Cartusia de Covis nec pecuniam nec triticum haberet ad erogandum, vir pauperum amator, non sine doloris sensu Domum suam egenis vallatam conspiciens, monachos consuluit, an mutuas acciperet pecunias cum nummaria fundi pensione, ad sublevandam calamitosorum egestatem. Res agitata

fuit in utramque partem, nonnullis Doctoribus Domum debitis gravare ob alienas necessitates nefas esse affirmantibus; verum prævaluerunt pia monachorum suffragia, quorum consensu Jacobus octo millia ducatorum mutuatus est cum impendio. Tantæ liberalitatis Deus fuit remunerator; duobus siquidem subsequentibus annis ita fructus fuere multiplicati, ut pecunia ad integrum redempta, monasterium hoc alia etiam prædia comparaverit pretio.

Jam sexagenarius, cum præfati monasterii Pastorem ageret vigilantissimum, extremo correptus morbo, ea qua vixerat sanctitate vitæ cursum feliciter absolvit, anno 1643, die 3 Augusti, ingenti apud omnes sui desiderio relicto.

Ex Manuscriptis.

CHRISTOPHORUS LUBELINCK

PRIOR WESALIÆ

De quo hæc habentur in Chronico Cartusiæ Coloniensis. « Christophorus Lubelinck Westphalus, anno 1603, die 25 Maii, vitam monasticam professus; ex Coquinario Coloniensi (id est Coadjutore), anno 1617, institutus Rector Domus Wesaliæ, quæ nunc est Xanthos translata, anno sequenti per Capitulum in Priorem confirmatus, ac paulo post Visitator Provinciæ ordinatus fuit. Vir erat ingenii subtilis, admirabilis judicii, memoriæ tenacissimæ. Præterea eximia in eo fuit morum gravitas; magna honorum, quos consequi potuisset, despicientia; summa in adversa valetudine, qua continuo affligebatur, patientia. Demum vir fuit mundo sibique crucifixus, ad quem non solum Catholici, sed Acatholici etiam difficilium rerum consultationes referebant ex illius sententia dependentes. E vivis excessit anno 1650, die 3 Augusti. »

WILHELMUS HACKSTEIN

PRIOR MOLSHEMII

Cujus Chronicon Coloniense meminit in hunc modum : « Wilhelmus Hackstein, Coloniensis, genere patricio oriundus, pietatem hausit ab uberibus matris suæ, matronæ pientissimæ ac in egenos munificæ. Qui cum adolescentior fuisset, patrio in solo Ordinem nostrum expetivit, et admissus est anno 1598; fuitque sub disciplina V. P. Zachæi pro tunc Vicarii formatus in virum perfectum; professus anno 1599, 29 Aprilis.

« Hic cum tenellus esset tenereque educatus, sibi tamen severus, rigidus extitit ultor passionum et defectuum suorum. Primus plerumque gestiebat esse in choro, quatenus primam prius veniendo benedictionem caperet a Fonte salutis in altari existente. Ut vero alios ad chorum euntes, ipse remotius habitans antevertere posset, stabat, lectis

Horis de Domina, intra ostium cellæ, præstolans pulsum alterum, ut posset primus in acie laudantium Deum inveniri. Fuit vir omni virtutum genere cumulatus et numeris omnibus absolutus, humilitate, modestia, affabilitate, orationis assiduitate, sui contemptu, atque eodem semper tenore excellens, denique expressa quædam sanctitatis imago.

« Qui cum talis ac tantus esset, primo in Vicarium hujus Domus fuit assumptus, in quo officio multos præclaros formavit Novitios, quos eximio virtutis exemplo, singulari prudentia, præclara rerum spiritualium cognitione atque industria, ad perfectam Religionis formam instituit. Librorum piorum erat lector assiduus, et quos a suo instructore olim acceperat legendos, suis etiam præbebat. Dabat, ut edoctus fuerat, non alta sapientes, sed simplices captuque faciles, quos inter eminebant Insinuationes divinæ pietatis S. Gertrudis, Margarita Evangelica, Canon vitæ spiritualis Blosii, aliique. Istos non semel aut bis, sed sæpius et attente legendos monebat, prout ipse etiam Vicarius eosdem iterato volvere solitus.

« In colloquiis conventualibus non sæcularia inquirebat, nec iis delectabatur ; sed discursum a divinis piisque rebus incipiens, uti honeste poterat, ita continuabat, ut oneri non esset aliis, sed delectationi. Suos quoque discipulos noviter professos nolebat ultra dimidiam aut integram horam colloquiis interesse ; sed ut cellas repeterent hortabatur, sæpius dicens eis : « Jam satis est, Fratres mei, verborum ; Dominus vocat, audiamus quid ipse loquatur in cella. »

« Cumque annis duodecim Vicarius existens vere se exhibuisset *matrem* Conventus, ad Marthæ posthinc obsequia vocatus, Coquinarium et Procuratorem aliquandiu egit. Deinde anno 1636 Prior Domus Molshemensis institutus, Cartusiam illam 14 annis summa cum laude gubernavit. Et quia, ipso Præside in hoc loco, fames maxima fuerat in Germania Superiori et tota Alsatia, ipse compatiens hominibus pallidis et præ fame pene emortuis certatim confluentibus ad Cartusiam illam, certis diebus hebdomadatim panes plurimos fecit distribui, ut multi fuerint, qui longo tempore panem alium non viderint, nisi quem e Cartusia mendicato obtinuissent. Hinc etiam Pater pauperum passim audiit in terris istis. Reddidit illi Dominus vicem pro hac charitate ; nam quoad ille vixit, grassante per totam Germaniam bello Suedico, non militum furorem, aut hostium tumultus et invasiones persensit, licet sæpius tentarint perrumpere et Domum illam deprædari.

« Denique anno 1651 propter senium, frequentes infirmitates et maximam sui instantiam per Capitulum generale ab hoc Prioratus onere liberatus, successori suo insignem pecuniæ thesaurum relinquens, rediit Coloniam, ubi quan-

tumvis senex non destitit frequentare chorum ; et dum quotidie non posset, diebus tamen solennioribus se præsentavit. Itemque cum præ senio amplius sacram Deo Hostiam litare non posset, omni die communicavit.

« Cæterum annis prope 30 lecto usus non fuit ; sed cum sopor irrueret, ut erat vestitus et calceatus, super nudam humum, expansa desuper matta, decubuit : unde et in suprema infirmitate adduci vix potuit ut lecti duritiem mutaret.

« Beatissimæ Virginis addictissimus fuit servus, cujus rosarium semper manibus terebat. Animarum quæ in Purgatorio culparum suarum pœnas exsolvunt, assiduus atque pius auxiliator fuit, utque alii precibus et applicatione Missarum idem facerent, sæpius rogavit. Zelo usque adeo ardebat observantiæ Statutorum bonarumque consuetudinum, ut si vel minimum hisce adversum fieri cerneret, graviter angeretur. Tandem cum diu in palæstra Religionis bonum certamen certasset, repositam sibi coronam percepit, anno 1653, die 3 Augusti, anno ætatis suæ 78, conversionis vero 56. »

IV DIE AUGUSTI

GUILLELMUS APSELIUS

PRIOR BRUGIS

Cujus vita sanctitatis speculum fuit. Nam licet clarus generis splendore, tamen humilitate clarior extitit ; et quamvis doctrina præstans, præstantior in sui nihilominus contemptu factus, non tam prælatus quam omnium sibi soli peripsema videbatur : cujus virtutes amplius etiam ex mirabili ejus industria circa mechanicas artes, in quibus omnes superavit, elucescunt. Nam exquisitissimus operarius in arte ligandi fabrilique, ad quæcumque mittebat manum, excellens et industrius habebatur. Porro quia erat ambidexter, in actione spiritali se se opificem egregium exhibuit, luculentis a se Tractatibus scriptis.

Anno 1462 Prior Brugis ordinatus, in uno quidem strenuus et severus, in altero autem, exigente miseria, fuit mitissimus. Cumque per triennium hoc munus exemplariter obivisset, ita egit apud Visitatores, ut anno 1465 exauctoratus fuerit. Rediens ad Domum Capellæ, suæ professionis, cum in Ordine 40 annos exegisset, plenus dierum, placido mortis somno correptus, in Domino obdormivit, anno 1471, die 4 Augusti, juxta Arnoldum Raissium in suo Auctuario ad Molanum et Chronicon Capellæ. In Charta autem Capituli

generalis signatur ejus obitus ad diem 5 Augusti.

De Guillelmo agunt Dorlandus, lib. 7, cap. 28; Bostius, cap. 39; Petræus in sua Bibliotheca.

JACOBUS CYPRIANUS

VICARIUS PORTÆ CŒLI

Joannes Baptista Civera in Chronico Portæ Cœli Vitam Jacobi sic refert : « D. Jacobus Cyprianus de omnibus certe bene meritus, natus est in oppido de Altura, diœcesis Segobricensis, et suscepit habitum anno 1511. De quo B. Laurentius Camora talem nobis reliquit relationem seu memoriam, fuerat namque ejus discipulus :

« Beatum hunc virum cum Ordine ego initiarer, sexagenarium ætate, Religione vero quadragenarium inveni. Eapropter priscos ejus mores explorare nequivi. Præfuerat vero Procuratoris officio bis in hac Domo, semel in Domo de Fontibus, Vicariatui autem hujus Domus annis viginti septem : in quibus plane officiis multas passus est molestias, quas tolerando et benigne patiendo, magnarum virtutum specimen dedit. In quo etiam illud maxime observandum, quod cum natura esset biliosus, ingenti studio ita hunc occultaverit humorem, ut animi benignitatem præ se ferret adeo ingentem, ut pietatis dono præ cæteris pollere diceretur.

« Illa vero communis infirmitas, qua senes laborare Augustinus ait, *ut pleni sunt querelis et nullis gaudiis,* adeo ab illo aberat, ut contra potius alter Simon justus et timoratus, gaudia præ se ferret et consolationes Spiritus Sancti, quibus abundabat. Et quod spectatu dignum duco, cum, prædictorum officiorum ac duodecim Novitiorum ratione, quos singulariter instituit, vitæ activæ operibus adstringeretur, adeo fuit spiritalis vitæ sectator, ut per exercitia tum intellectus, tum maxime affectus, quo præcipue vigebat in perpetuum usum et augmentum, præ nimia spiritus dulcedine ad cordis fere rupturam nonnunquam pervenerit. Erant vero illi usitatoria pueri Jesu mysteria, quæ cum pia lachrymarum effusione recensere solebat. Paupertatis adeo amator, ut neque in libris vel supellectili curiosum quicquam vel superfluum inveniretur. Singulari etiam castitatis et pudicitiæ amore enituit.

« Erga Prælatos ita obediens atque puerulus modestus erga parentes. Nulli gravis, molestus aut onerosus, quod senibus peculiare esse solet ; quin potius ejus desiderata obsequia etiam non petitus impendebat. Et cum ipse indigeret obsequio senex jam et infirmus, discipulorum suorum vestes ipse mundabat et resarciebat. Oblatum famulum diu recusavit, ac tandem, cogentibus infirmitatibus, admissum ad viciniora saluti instituebat. In Spatiamentis sollicitus ut animus recrearetur, Lanspergii

Sermonem perlegebat, et inde sumebat colloquendi materiam. Fuit quidem zelator Ordinis maximus et antiquitatem venerans : in illius et discipulorum gratiam de nonnullis illustribus viris hujus Domus memorias scripsit.

« Infirmitatibus quoque assiduis et gravissimis tanquam athleta exercebatur ; nam pluribus ante obitum annis cordis pressuras sive angustias acerrimas est passus ; extremo etiam tempore accessit rupturæ malum. Quibus debellatus tandem ad ultimum vale tanquam ad optatissimum post tempestates et varias procellas portum perveniens, mortem avidissimus et gaudens cum sitibundis ad Deum affectibus et aspirationibus felix suscepit, mense Augusto, anno 1562. Vixit in Ordine 52 annos. »

JOANNES CASTELVETRUS

MONACHUS BONONIÆ

E vivis excessit die 4 Augusti, anno 1630. Procurator in xenodochio a Bernardino Spada, Legato Bononiæ, publico edicto vices gerens illius in omnibus fuit institutus, cum auctoritate plenissima citra sanguinem. Enimvero locus ille regebatur ministris servientibus, mercenariis, majori ex parte scelerum plenis : nulla ibi esse nec conservari poterat disciplina, ordo, custodia rerum, officinarum cura, fidelis dispensatio. Mors dirissime omnia intervertebat; furta, rapinæ, scortationes, omnia demum nefanda patrabantur impune.

Hisce omnibus Joannes Castelvetrus strenue providit. Obedientiam, œconomiam, Dei timorem postliminio revocavit. Vigorem pœnarum sustinuit absque ullo respectu, neminem aberrare permisit omnino ; nullus ausus est a recto deflectere impunitus. Justitia, satisfactio, pœnitentia publica vigebat adversus cujuscumque statum et conditionem. Locus ille visus est quoad usus domesticæ disciplinæ cœnobium probe ordinatum, summo cum gaudio eminentissimi Legati omniumque Magistratuum admiratione. Quidni monachus Cartusiensis repente factus est gubernator optimus et accuratissimus judex !

Tanti ab omnibus æstimatus est, ut ne latum quidem unguem quispiam loci canones violaret. Erat sane vir justus, discretus, sapiens, prudens et sollicitus ; unde tanquam verus paterfamilias uberrime providit necessaria officinis, infirmis, officialibus et ministris. Ipse lustrabat omnia, cunctis præsentissimus. Tanquam Angelus Tobiæ insigni morum suavitate, comitate, urbanitate præditus: demissa voce, nutibus vultu semper placido, rogando, deprecando, hortando, animando, urgendo, quiete universa expediebat. Hoc in officio diu perseveravit ; donec hac lue infectus, meritis plenus ac gloria, post Sacramentorum devotissimam perceptionem, a suis laboribus requievit morte felicissima.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

V DIE AUGUSTI

JACOBUS SALINES

MONACHUS PORTÆ CŒLI

Hujus meminit in Chronico Portæ Cœli supramemoratus Joannes Baptista Civera, his verbis : « Hic venerabilis Pater fuit receptus ad habitum monachalem circa annum 1459. Fuit valde timoratus, et Beatæ Virginis Mariæ devotissimus, ex corde eam diligens ac modis omnibus ei serviens ac continue eam salutans. Cum autem, ut putabatur, ad mortis articulum jam venisset, assistentibus ei Fratribus, ejusque egressum observantibus dixit : « Nolite nunc, Patres, esse solliciti; haud enim moriar usque ad diem Sabbati, quando *Salve Sancta Parens* in ecclesia cantabitur. » Erat autem dies Sabbati post triduum. Et sic factum est. Nam incipiente Conventu Missæ Officium de Beata Maria, compertum est sanctam illam animam solutam fuisse a vinculis corporis et in cœlum advolasse. Anno 1486. »

JOANNA DES PLANCQUES

MONIALIS GOSNAY

Virtutem cum generis splendore conjungens; munus Sacristinæ obivit, donec senio confecta, ab hoc officio exonerata, migravit ad Sponsum, 5 Aug. 1544. Vixit in Ordine 55 annos.

VI DIE AUGUSTI

JOANNES DE GOTTSKIRCHEN

MONACHUS ARGENTINÆ

Alias dictus Coloniensis. Anno Domini 1340 se se cultui divino in Cartusia Argentinensi mancipans, cum, jejuniis, vigiliis, orationibus, silentio solitudinique addictissimus in hac eremo conversatus fuisset, paupertatemque et alia nascentis monasterii incommoda patienter sustinuisset, post exactos in Ordine quinquaginta circiter annos, diem extremum clausit, anno 1389, die

6 Aug. Fuit magnæ existimationis apud Argentoratenses cives, ob insignem ejus vitæ sanctimoniam.

Ex Chronico Cartusiæ Argentinensis a Winando, hujus Domus Priore, descripto.

GUILLELMUS CUSTURARII
PRIOR NOVIOMI

Vir eximiæ pietatis et prudentiæ; qui Domibus Divionis, Fontis Beatæ Mariæ, Vallis viridis et Noviomi præfectus, se se præbens exemplar bonorum operum, tandem vitæ cursum feliciter absolvit, anno 1451, die 6 Augusti. Erat tunc Visitator Picardiæ.

Chronicon Noviomi.

PETRUS VASSORIUS
PRIOR GANDAVI

Anno 1486, die 23 Septembris, in hac eremo inter Cartusianos annumeratus; ob præclaras animi dotes ad Prioratum assumptus, per quadraginta et unum annos hujus Domus clavum tenuit, diuque fuit Flandriæ Visitator : sub quo mirum in modum viguit disciplina regularis, ad quam singulos verbo simul et exemplo provocabat. Non solum in Ordine, sed etiam apud extraneos magna fuit in veneratione ob eximiam pietatem et mores religiosissimos. Hunc Philippus Austriacus, postea rex Castellæ, pater Caroli V Imperatoris, suum præceptorem nuncupare solebat, quod ejus pueritiæ Lovanii olim pædagogus et in litteris probisque moribus institutor fuisset. Petrum summopere venerabatur.

Postquam autem sæculo valedicens inter Cartusianos fuisset annumeratus, virtutumque illius fragrantia circumquaque diffunderetur, omnibus hujus regionis Magnatibus, imprimis autem Carolo V ac ejus matri acceptissimus fuit. Ipse enim Carolus V puer Cartusianos sæpe invisens apud illos pernoctabat, nonobstante vicina aula; cujus ideo teneram ætatem Petrus excoluerat pietatis exercitiis. Dimiserat Visitatoris officium anno 1513. Verum cum tanto viro Teutoniæ Provincia indigeret, rursum illud onus, anno 1527, suscipere coactus est a Patribus Ordinis ; quo munere laudabiliter aliquandiu perfunctus, illud tandem excussit ob ætatem provectam. Tandem post multos pro Ordine labores exantlatos, pie animam efflavit, anno 1538, 6 Augusti, non autem 2, ut refert Petrus du Wal.

Chronicon Gandavense.

FRANCISCUS BEZERRA
CONVERSUS DE COVIS

Vota nuncupavit monastica anno 1561, in Solemnitate Præsentationis Beatissimæ Virginis Mariæ, cui per totum vitæ spatium fuit devotissimus.

Adhuc juvenis cum esset in obedientia sacelli quod vocatur mulierum, contigit, ut vidua quædam, ad extremam redacta inopiam et fame communi oppressa, ad ipsum accesserit, dicens : « Habeo duas filias virgines, quibus uti poteris ad libitum, modo mihi larga manu subvenias. » Ad hæc verba pudicus juvenis tanquam alter Joseph fugiens ad Superiorem, ipsum rogavit instantissime, ut succurrens mulieri, suæ saluti etiam consuleret, ipsi minus periculosum injungendo ministerium. Amotus igitur ab hac obedientia, cum 58 annos in omni morum probitate transegisset, plenus meritis sancte decessit, anno 1618, die 6 Augusti, ætatis autem suæ anno 82.

Ex Mss.

JOANNES LE ROY

PRIOR VALLIS S. GEORGII

Nobilis Meldensis Advocatus in parlamento Parisiensi; qui Romam petens cum Joanne Charles canonico Meldensi, divertensque ad Cartusiam Majorem, ita sermonibus R. P. Hieronymi Marchant ad sæculi contemptum excitatus est, ut ambo ibidem nomen Ordini dederint. Admotus post professionem (quam emiserat anno 1595, die 24 Junii, Sylvæ benedictæ, Petræ Castri et Vallis S. Georgii Domibus, quibus summa cum mansuetudine præfuit, tandem post susceptam Sacram Unctionem, genibus flexis in oratorio coram Conventu expiravit, anno 1629, 6 Augusti, relicta sanctitatis opinione, in Domo Bassævillæ, ubi agebat Priorem.

Ex Mss. D. Buat.

ATHANASIUS KARVASCHI

MONACHUS NEAPOLIS

Polonus e nobilissima stirpe (conjunctus siquidem sanguine fuit Jagellonio, magno Lithuaniæ duci, et Casimiro Regi) Cracoviæ nascitur, anno 1594, die 4 Junii, Ladislai patris sui nomen sortitus in fonte baptismatis, sicut et indolem bonam; unde puer adhuc addictus pietati, habitum postea S. Dominici suscipiens, vota professionis emisit, anno 1613, 2 die Aprilis. Spreto sic generis sui splendore, promotus ad sacerdotium venit Neapolim; ubi Cardinalis Decii Caraffa, Neapolitani archipræsulis, Confessiones excipiens, magna fuit apud ipsum in existimatione : non solum conscientiæ illius, sed et rerum diœcesis curam gerens.

Præpositus etiam, in celebri ejusdem civitatis divi Dominici monasterio, ad educationem Novitiorum, illos vitæ suæ exemplo ad omnem instituit perfectionem; inter quos nonnulli prodierunt non minus religione quam doctrina illustres. Pollebat siquidem dono discretionis spirituum, necnon prophetiæ

spiritu. Cum enim Vicarium ageret in cœnobio ad radicem Vesuvii constructo, remeaturus in Poloniam, hujusce Domus ruinam vaticinatus est : quæ quidem contigit, anno 1631, quando flammis voracibus montis ita consumpta est, ut nullum nunc illius vestigium appareat.

Redux Neapolim ad statum vitæ perfectioris et tranquillioris anhelans, se se apud Cartusienses hujus urbis, ineunte Adventu, anno 1634, recepit; annoque subsequente, S. Stephani die festo, solemniter professionem emisit, V. P. Joanne Baptista Pisanti hancce Cartusiam laudabiliter moderante, qui Ladislao dedit Athanasii nomen. Novo habitu, novo nomine donatus, novum etiam hominem induit se, renovatus ut aquila. Qui magno ad omnem virtutem exemplo fuerat Novitiis Dominicanis, non minus effulsit apud nos sua erga Superiores demissione, prompta et alacri obedientia, accuratissima silentii observantia, paupertatis studio, victus parcitate. Perspicax admodum in rerum spiritualium notitia, summam exhibebat charitatem erga pœnitentes; quorum Confessiones audiens, anxias quorumdam conscientias mire tranquillabat, signoque Crucis serenabat tentatos.

Vir plane Angelicus ob castimoniam, cujus florem semper servavit illibatum : unde quidquid plerisque mortalibus accidit humanæ fragilitatis, Athanasium latebat, qui a carnis titillationibus immunis, nihil experientia, sed ex sola librorum lectione didicerat feliciter ignarus. Inter orandum, inter celebrandum devotissimus, intuentes excitabat ad devotionem.

Tandem octogenarius, identidem dicens, *Cupio dissolvi et esse cum Christo,* vivere hic desiit, Deo victurus in æternum, anno 1674, die 6 Augusti.

VII DIE AUGUSTI

HERMANNUS DE DAVENTRIA

PRIOR COLONIÆ

Vir diuturno laudabilique regimine clarus : præfuit enim per 17 annos, factus etiam suæ Provinciæ Visitator; qui variis infirmitatibus tanquam aurum in fornace purgatus, multisque pro Ordine laboribus susceptis, tandem de eodem Ordine optime meritus, naturæ debitum persolvit, anno 1404, die 7 Augusti.

Chronicon Cartusiæ Coloniensis.

GERTRUDES VAN THEMSCHEM

PRIORISSA BRUGIS

Anno 1418 hujus parthenii administrationem suscipiens, vix exactis in

regimine decem mensibus, ex infirmitate, quam diu ante multa cum patientia sustinuerat, moritur ea sanctitate qua vixerat, anno 1419, 7 Augusti. Celebratur ob regularis observantiæ studium, et singularem in alias benignitatem, dum sibi esset austera plurimum et severa.

Ex Chronico hujus Cartusiæ.

B. STEPHANUS MACONUS

PRIOR PAPIÆ

Natus est Stephanus in inclyta Senarum urbe, anno 1347, eo fere tempore quo in lucem suscepta est augustissima illa ac Seraphica virgo Catharina Senensis, cui Stephanus hic noster, arcano Numinis consilio, in ipso suæ flore juventæ epistolis conscribendis operam præstitit, eique egregie carus fuit. Cujus quidem Stephani parentes fuere Conradus Maconus atque Joanna Bandinella Stephani Senatoris filia, primariæ claritatis ambo apud suos tum vetustate, tum insigni spectataque virtute. Hi ergo fortunæ bonis instructi, ac validis ab ingenua stirpe affinitatibus optime muniti, filium educavere, uti eorum decebat sanguinis præstantiam.

Puer vero non obscura in ipsis pene crepundiis vividæ indolis præbebat indicia, quasi cunabula quædam et elementa mox exorituræ in eo virtutis. Quippe cum progrediente die inter lusitantes puellos versaretur, tum nutibus tum verbis quamdam imperandi auctoritatem ostentare videbatur, sic ut ægre molesteque ferret lusibus factitandis intentus ignaviæ insimulari : quin etiam, prout ætatula illa ferebat (sextum enim jam tum agebat annum), dictorum factorumque suorum conabatur reddere rationem. Quos puer prævividos gerebat spiritus in ipsa domestica puerilique institutione, dum vel parentis vel altricis maxime blandimenta constanter respueret; perinde jam tum sentiret, nulla re magis infringi animos quam molli ac blanda educatione. Ex quo fiebat, ut ille domi cunctis timorem quemdam injiceret, cujus vixdum lingua verbum facere, ne dicam gressum, per ætatem poterat.

Cumque mater ejus, femina lectissima, simul atque pueruli captum deprehendit idoneum ad prima Christianæ disciplinæ rudimenta ediscenda, operam studiose navaret sui ipsius exemplo, ut eadem præcepta ante Deiparæ Virginis imaginem domi depictam exprimeret geniculis humi flexis; scitus mox puer ea ut absolvisset, diu cogitabundus stabat. Et identidem in sacram iconem defigens obtutum in sui quamdam admirationem parentes ipsos adducere; ita quasi in præsens monstraret præcipuas sibi a Patre luminum cœlestis intelligentiæ illustrationes in eo precandi studio impertitas fuisse, quibus inde regeret se se, suosque pariter moderaretur affectus : ne scilicet, adolescente ætate, petulanti lascivia diffluerent in

sui ipsius dedecus, atque adeo totius Maconæ familiæ.

Cum pueri Stephani ætate simul animus corroborabatur, simul et corpus, et per utriusque hominis constitutionem vigens ejus mentis acumen quotidie magis se se in dictis factisque prodebat; mordicus ob id ipsum ejus propinquis ac domesticis retinentibus quam de eo primam conceperant opinionem : illum nimirum difficilem ingenio asperumque futurum. At puer quidem, etsi morosulus quodammodo habebatur a suis, cernebantur tamen in eo aliquando domesticæ pietatis semina in jucundissima erumpere germina, dum suis æqualibus immixtus, quibuscum Grammaticis operam dabat, templa sæpe venerabundus obibat, et in eis pie ac pure Sacris intererat. Namque in eorum quæ venerabatur cogitatione defixus, nihil admittere nihilque ferre videbatur, quod loco ac tempore non esset consentaneum; ejusmodi cogitationibus se oblectans sacra etiam sæpe egressus æde.

Ob Stephani singularem ad honestissima quæque sectanda animi propensionem, optimis parentum incitatam monitis, nihil in ejus cernebatur moribus indecorum, nullumque ex ore ejus verbum excidebat, quod non præ se ferret eximiam quamdam ejus animi moderationem : illius videlicet, qui ad eam diem in eo insederat candoris et innocentiæ testem; quin etiam addunt nonnulli (qui ejus res gestas ad trigesimum quartum suæ ætatis annum litteris commendarunt ex fratre ejus germano Ivone) eum, quamvis vividum ingenium in generoso pectore gereret, solum tamen per urbem incedere, et senilem quamdam maturitatem ostendere sæpe solitum esse : partim quia ad graviora litterarum studia jam tum ephebus appulerat animum (legibus quippe dabat operam), partim quia illa animi sui præstantia cœperat generosus fastidire æqualium congressus. Hinc erat quod speciosa quædam ac splendida magno versans animo, mira cupiditate ardebat peregrinas lustrandi orbis regiones, et ad elegantissimum ingenii cultum capiendum, Regias ac Principum aulas cognoscendi.

Dum ingenuus noster adolescens in litterarum palæstra mirabiles habet progressus, alterum et vigesimum annum agens, generosi interea ac præfervidi spiritus illi in eo recaluerunt, qui antea studiorum causa, sive assiduis parentum præceptionibus, quodammodo congelarant. Quod ubi Conradus pater animadvertit, commodum occasione usus, omnes curas cogitationesque suas intendit ad filii animum ab inita peregrinandi cogitatione deducendum. Ob id ipsum igitur primum de Doctoris eo insignibus titulisque certo consilio exornando, apud Gymnasiarcham aliosque præstantes viros agitare cœpit, ratus viam illi straturum ad Magistratus gerendos. At Sephanus obfirmata in priori sententia mente perstabat, nec ab ea deduci se ullo pacto patiebatur.

Aliam rursum rationem Conradus ineundam sibi putavit, qua filii animum ad suam flectere voluntatem posset. Neque incassum adhibiti conatus. Siquidem dum natum videt pertinacis animi decreto a suis aversum optatis, alios et nobilitate illi pares et sanguinis propinquitate conjunctos, ejus conatibus opponit. Qui a patris abhorrentem consiliis sensim aggressi, tantum virium habuere ad Stephani mentem expugnandam pervertendamque, ut verius dicam, ut manus dederit se adhortantibus : prorsus ut, litterarum studiis abdicatis, ad eorum se vota sectanda totum accommodaverit. Ex qua quidem filii mutatione quanquam Conradus magnam percipiebat voluptatem, quod ex hoc vel imprimis eum fixum stabilemque patriis in tectis mansurum existimabat, facere tamen non poterat quin sæpe valde illi timeret, præsertim cum durius acciperet profusos ejus sumptus in corporis cultu.

Stephanus igitur inter suos æquales ætatis fervore atque adeo juvenilis licentiæ æstu abreptus, quod sibi datum fuerat tempus ad æternæ quæstum salutis, id totum ad animi hilaritatem effundere; et fluctibus vitæ præsentis jactatus, nihil sibi erat curæ vel in factionum rixarumque periculis versari, vel perditam prorsus, complurium consuetudinem secuto, diem philtro voluptatis misere imbuto consumere.

Qua vivendi sane licentia factum est, ut Stephano ludis convivalibus celebrandis die quodam intento, apud Nobiles quosdam viros sibi affinitate conjunctos altercari de jure honoris inter eos cœptum sit. Cujus rei causa eo Stephanus devenit, ut suum jus, quocum suæ etiam conjuncta erat existimatio gentis, armis tuendum ratus, acerbas repente contraxerit inimicitias. Quæ hoc graviores, quia sævius in dies cum viris e Tholomea atque Renaldina gente, primariis ab antiquitate et potentia in urbe patria familiis, exercebantur. Quas tamen, ne multorum scilicet sibi conflaret invidiam, uti etiam viribus impar, declinare avebat; eoque magis quod, re accurate perpensa, sciebat se culpæ quodammodo non exortem. Sed quominus id efficeret, æquales ejus prohibuerunt omnino. Ergo Stephanus a sociis humanæ gloriæ facibus concitatus, novos sibi facit animos, palam incedit urbe luculentis instructus armis; et operis egregie stipatus ingentem manum facit; et quod caput erat quodque in majus rem attollebat, ad eum se complures propinquorum et affinium continenter adjungunt....

Per id temporis florebat omni sanctitate beata Catharina Senensis. Hanc Virginem ut adeat, viri graves Stephanum adhortantur : ut scilicet rebus suis consulat, utque suæ saluti prospiciat antequam certum in interitum se suamque domum impellat. Sed surdo canebant, quando surdis auribus saluberrima quæque monita respuebat. At mater ejus Joanna lugens filii contumacis in

lubrico versantis statum, nullum tempus vacuum transire patiebatur, ubi per occasionem liceret ab iterandis monitis. Nec frustra. Siquidem, fractis vitiosæ verecundiæ repagulis ac dira posita ferocia, se jam tandem flexit, et sincera matris maxime agnovit hortamenta.

Claritate Dei intus illucescente, cum interim Stephanus nihil sibi antiquius esse matri diceret, quam ut se totum ad ejus nutum voluntatemque componeret, tunc parens optima, « Hoc est, inquit, fili, quod vel præcipue velim : nimirum Petrum Bellantum nostras propter ædes inhabitantem, ut convenias, teque illi totum aperias; et quæ tibi mandata dabit magis idonea ad tuas vitæ præsentis rationes exhaurias. Non enim sum nescia, quæ est ejus in nos nostramque familiam eximia animi propensio, quin tuas in aures instillet atque adeo antea oculos ponat, quæ e re tua maxime domusque nostræ dignitate videntur. »

Igitur Stephanus matris mandata cupide amplexus, eodem cum Petro, viro nobili, genere claro, venit in congressum : eique sui pectoris latebras fidenti animo pandit, suamque innocentiam ostendit, se seque totum ad Petri composuit arbitrium. Auctor fuit Stephano Petrus ut ad beatam Catharinam confugeret, quo inimicitiis adhiberet remedium.

Simul atque Stephanus in conspectum Seraphicæ Virginis se dedit, re ipsa extemplo comperit non sine Divinæ mentis consilio ad eam se perductum fuisse. Hujus virginis eximiam in se excipiendo benignitatem Stephanus vehementer admiratus, stuporeque perculsus quod eam de rebus divinis tam scite et apposite disserentem audiret, protinus exclamavit : « Digitus Dei est hic. » Stupore exin deposito, cœpit fidenti animo adapertisque sensibus causam exponere, quamobrem eam convenisset, quantopere laborasset ac contendisset uti voti compos fieret, utque ab adversariis diu concupitam consequeretur pacem. At vero cum ad hanc diem operam prope lusisset, se ad eam in præsentia confugere, magna spe ductum fore, ut optata pro voluntate impetret, ea maxime auspice et adjutrice.

Quibus Virgo perceptis, jubet illum bono esse animo, haud dubium quin obtineat quæ sunt ei in desiderio. Dum interea temporis anteactæ vitæ rationem ac mores illius variis interrogatiunculis cœlestis doctrinæ Magistra explorans, eum primo adhortatur, ut domi se paulisper contineat, seque colligat; et quotidianam per sui pectoris discussionem in sua dicta, facta et cogitata diligenter inquirat. Mox Stephanus, dum se totum ad arbitrium Seraphicæ Virginis se componit, cum adversariis, eadem divinitus adnitente Virgine, in bonam gratiam redit.

Excultus et institutus ad omnem Christianam pietatem a B. Catharina Stephanus noster, ab eadem animam agente Cartusianum Institutum Dei

mandato jubetur amplecti. Cum enim Virgo moriens suis alumnis indixisset quam vitæ rationem sequi deberent, conversa ad Stephanum, dixit ei : « Tibi, o Stephane, præpotentis Dei nomine mando, ac sanctæ obedientiæ virtute præcipio, uti Cartusianam ineas disciplinam, teque totum illi Ordini addicas. Ad eum enim ineundum te Deus vocavit. Et hæc sint tibi, fili, suprema Matris mandata. »

Post hæc moritur sancta Virgo anno 1380; et Stephanus paululum retardatus ab impletione jussionis, dum moras ullas nectit, a prædonibus capitur, sed divinitus paulo post liberatus. Inde profectus ad Cartusiam S. Petri de Pontiniano, anno 1381, aggregatur Ordini, licet tum Ordo Cartusiensis divisus esset. Et jam in silentio vitam transigere decreverat, cum paulo post institutus est ejusdem Domus Pontinianæ Moderator; et prodigiis inclarescens, in magna veneratione ubique haberi cœpit propter fructus mirificos quos faciebat. Inde ubi ad aures Joannis Galeatii, Mediolanensium principis, ejus fama pervenit, voluit eum habere Priorem Cartusiæ Mediolanensis. Et cum ex ejus conversatione sanctissima Princeps multum sublimiter saperet de Ordine nostro, meditari mox cœpit de Cartusia Papiensi construenda; cujus ad structuram promovendam multa contulit Stephanus, anno 1395, eique præfici, anno 1398, Bartholomæum Ravennatem, virum sanctitate celebrem, curavit.

Mortuo Christophoro Florentino, generali Priore Cartusiensis Ordinis per Italiam, Germaniam et Angliam, cum ad providendum super electionem novi Primatis super annum delectus esset, mense Septembri ad Illyricum appulit. Ubi igitur ad electionem ventum est, repertus est electus ipse Pater Stephanus ; qui, quamvis diu multumque reluctatus esset, tandem acquievit, sperans inter cætera se strenue curaturum pro unione Ordinis resarcienda. Statim quoque scripsit ad Patres Majoris Cartusiæ pro accelerando negotio (licentiam quoque a Romano Pontifice petiit, anno 1401) cum Gallis Patribus; verum necdum aderat tempus unionis faciendæ. Mortuo etenim R. Patre Guillelmo Priore Cartusiæ Majoris, suffectoque R. Patre Bonifacio Ferrer, res desperata videbatur, nisi Stephanus ad id opus animum firmasset.

Jam vero annus 1408 aderat quo, R. P. Bonifacio penes Benedictum XIII Pseudopontificem manente, Præsule suo Cartusia Major orbata erat. Igitur ad eos Patres, qui tum Cartusiam Majorem incolebant, secundas litteras dictavit Stephanus : hortans eos ad unionem, et rogans quatenus mitterent ex suis aliquos deputatos, cum quibus de unione ageretur occasione Concilii Pisani, in quo novus Pontifex creandus erat. Deputati sunt ergo (uti alibi jam diximus in Vita Bonifacii Ferrer) duo Priores, Parisiensis videlicet et Fontis B. Mariæ.

Igitur in Concilio Pisano exauctoratis Pontificibus schismaticis et Alexandro V in Summum universalis Ecclesiæ Antistitem electo : quoniam RR. Patres Bonifacius et Stephanus de generali Præfectura abdicanda pepigerant, Bonifacium Benedictus XIII detinuit, ne præsens esset Capitulo generali nostri Ordinis anno 1410. Litteras tamen misit, quibus renuntiavit Generalatui, modo id quoque Stephanus faceret. At B. Stephanus accessit ad Majorem Cartusiam, ubi ab Ordinis Proceribus tanquam Angelus Domini exceptus est, et in pleno Capitulo viva voce et præsens se ipsum deposuit, dans facultatem Patribus alium eligendi Reverendum Patrem generalem Cartusiæ. Electo in summum Cartusiensis familiæ Præfectum Joanne de Griffomonte, Stephanus ne inglorius ad suos rediret, instituitur Prior suæ domesticæ eremi Pontinianæ; cui etiam supra Domos Italiæ generalis fuit concessa potestas usque ad sequens Capitulum generale. Anno 1411 rogatus est Stephanus, ut regimen Cartusiæ Ticinensis subiret : quod licet invitus, attamen amore obedientiæ iniit; studuitque recuperare plura, quæ infelix Dux Joannes Maria alienaverat.

Sed cum ad cellæ quietem valde anhelaret, anno tandem 1421 per generale Capitulum voti fit compos, his verbis : « Priori Beatæ Mariæ de Gratia prope Papiam, ad suam magnam instantiam, propter senium et suas infirmitates et labores multos propter Ordinem perpessos, pro consolatione sua et requie fit *misericordia*. Et quod ad aliam Domum, si eligatur, recipiendam non possit compelli. Et omnis humanitas, favor et reverentia in dicta Domo præstetur sibi ; a qua emitti non possit, nisi et in quantum esset sua consolatio. Et auctoritate Capituli generalis, de consilio Domni Stephani, et consensu Conventus, præficimus ibidem in Priorem, etc.»

Descripta hactenus per synopsim Stephani Vita, quam fuse retulimus in nostro Volumine Provinciæ Lombardiæ propinquioris, nonnulla hic adjiciemus de virtutibus illius deprompta ex Bartholomæo Senensi.

Stephanus igitur tanquam sui juris factus publici oneris levamento, et tanquam in ætatem et valetudinem integram revolutus, unam sibi domi cellarum selegit, quam suarum curarum requiem, quam fessæ ætatis solatium haberet, et in cujus gremium supremum spiritum exhalaret. Hic venerabilis senex per omnia fere vegeti robustique monachi privata munera animo versans, gestiebat interdum ea factitare in rebus divinis tractandis, quæ cæteroqui per senium minime ei licebant : sæpe secum conquerens se inutile inaneque pondus factum super terram.

Verumtamen cum Deo expleri nunquam videretur, hinc erat quod plerumque noctes transigeret in divinarum rerum commentationem intentus : ut olim jam in Pontiniana Cartusia fecerat, cum primo rei monasticæ rudi-

mentis operam daret. Quod ubi in hac Ticinensi Cartusia ejus cubiculi administri Religiosi animadvertunt, veriti, ne hujusmodi animi contentione in tam exacta ætate mortem sibi approperaret, obtestantur, obsecrant, ut sibi parcat, senioque indulgeat. Quibus ille : « Sinite, inquit, filii, sinite hæc effari. O me beatum! si mors mihi ingrueret in Dei mei recordatione versanti. Quid enim expectamus, dum scilicet lectulo affixos, ingenii viribus ac corporis nos prorsus effœtos mors inveniat? Jam satis superque genio indulsimus. Jam tempus est, quo ad Deum conversi, curemus pro virili ne nobis aversum se præbeat in tempore suo. » Hæc viro Dei pleno dicente, tantumque non lachrymante, contrahebant servi se se; et mœstitia pariter et admiratione affecti cœpto desistebant.

Porro Sacrum quotidie Stephanus faciebat, si per adversam valetudinem liceret; sin templum ingressus, ac humili scabello assidens vel in genua procumbens, prout corporis constitutio requirebat, ad expandendos animi sui sinus rebus divinis insistebat: prorsus ut interdum totus immotus staret ad divinæ auræ influxus recipiendos. Interdum vero humi in faciem projectus, tamdiu eo corporis habitu hærere, dum aliorum ope ad cubiculum deduceretur. In quo tanta quandoque mentis dulcedine perfundebatur, ut gaudio gestiret incredibili; præsertim cum, peracta Re divina, ad idem cubiculum reveniret.

Dum autem faceret iter, sic se habebat erga Deum. Eques vel pedes ambulans Stephanus, statim atque ad destinatum locum hospitiumve pervenisset, in genua palam se projiciens ante sacram quampiam iconem, divinæ precationi se dabat mox ut ocreatus erat. Ubi aliquod per temporis intervallum cum pie cœleste Numen adorasset, ita ut tota domus ad ejus conspectum interna admonitione compuncta staret; surgebat indidem, templum vel ædiculum, si prope adesset, initurus, non ad horarias tantum preces de sacro codice recitandas, verum etiam ut in interioris animæ cellæ penetralia ingressus, ex admonitu suæ olim Seraphicæ Matris ad calculos cogitationes omnes suas vocaret, quæ eodem die mentem ejus obequitantis subierant. Postremo sobria cœna refectus in cubiculum se recipere ; in quo ad multam noctem longas trahendo vigilias cœlestibus commentationibus vacabat: nihil aut parum sibi otii relinquens, quod necessariæ quieti tribueret.

Ad hæc singulari pietatis studio ferebatur in Deiparam Virginem, quod ad solennes quotidianasque in ejus laudem institutas precationes prònunciandas, cum præcipua veneratione ejus dies festos lætus agebat, tum precarium sertum manu sæpe versans atque eamdem Dei Matrem singulis in orbiculis ex usitata formula salutans, ubi ad verba illa *Sancta Maria Mater Dei* deveniret, totus exultare lætitiis videbatur; apud

animum suum reputans quomodo Virgunculam æterni Dei Genitricem effectam, Patronam simul et adjutricem humanum genus haberet, suum ad Filium Deumque nobis propitiandum.

Neque his plane contentus, ubi se ferret occasio de eadem Cœli Regina verba faciendi, protinus de illius humilitate, puritate, clementia cæterisque divinis virtutibus ejus et attributis, tanto cum animi sensu, lachrymis per os ejus manantibus divinæ dulcedinis, disserebat, ut qui præsentes aderant ad alendam jucundius ejus venerationem, subditis divini amoris facibus incenderentur. Atque talibus hisce excitamentis Stephanus suum aliorumque animum ad veram sæpe pietatem erga misericordiæ divinam Parentem excitans, monstrabat in cœlis potius quam in terris animo versari.

Secundum Deum Deiparamque Virginem efflorescebat Stephani pietas in Seraphicam virginem Catharinam Senensem, et jure quidem optimo. Illi enim omnium mortalium maxime quidquid boni haberet, modo in se boni quidpiam, ut fatebatur, inesset, secundum opem Divinam referebat acceptum. Per eam quippe malitiam veteris hominis initio deposuisse ferebat, per eam novum induisse affirmabat, per eam denique ad novam et animæ et corporis vitam revocatum fuisse asserere non dubitabat. Recordatus vel maxime, ea divinitus adjutrice, præsentissima evasisse vitæ pericula ; et eadem opitulante, ab illius e terris abitu, magnis perfunctum molestiis in re publica sui Ordinis administranda inter Germanos vel in primis versantem non negabat, ad Antonium Naccium Dominicanæ familiæ sodalem scribens.

Non injuria igitur, cum sermo opportunus incideret de ea loquendi, beatam hanc Virginem modo Matrem suam appellare, modo Patronam ac tutelarem in terris cœlisque simul auspicemque vocare. Enimvero jurati testes affirmare non dubitarunt, se quandoque in congressum colloquiumque venisse cum Stephano, præclara de hac Virgine narrante miro ac teneriori cum sensu pietatis ardoreque spiritus, ut præ divini æstus dulcedine totus colliquesceret ad ejus recordationem ; et in dulcissimas lachrymas abiens, monstrabat angustum sibi esse pectus, nec animum capere posse quæ de ejus eximia raraque sanctitate sentiret : adeo ut per illius erga se patrocinium apud Deum, quin potius per indubia ejus promissa, cœlestem æternitatem consecuturum speraret. « Si enim, secum ratiocinans, in humanis cum ageret hæc Virgo mei tutelam tanta gerebat cum cura, ut quotiescumque peccassem, ut primum ad eam adivissem edoctam divinitus quæ imprudenter admiseram, extemplo me amantissimis verbis castigaret, asseverans se longe acutius intueri, remotam quamlibet, quæ ipse agerem quæque animo cogitationeque versarem, quam egomet eadem actitans : cur ejus tute-

lam mihi sperandam esse diffidam, præsertim cum hinc e terris in cœlum abitura magis mihi se inter Cœlites immixtam opitulaturam promiserit, quam fuerit olim apud mortales degens benefica patrona? »

Hisce igitur de causis, locus hic me admonet, cum certum tempus quo res contigit minime constet, ut opportune explicem quæ in id ipsum Stephano contigisse tradunt, ad asserendum quod de eo divinitus Virgo beata suscepit.

Is enim cum adolescens homo Conradi parentis secutus exemplum, nomen suum dedisset nobilissimæ Societati B. Mariæ Virginis, sub fornicatis substructionibus sitæ magni xenodochii Senensis, ad eamque pro tempore accederet, spiritualia pietatis officia executurus : accidit, ut quæ Stephano per summam religionem locique dignitatem erant tractanda, eadem, malo instigante dæmone, optima quæque pervertere moliente, præpostero studio raptus pietatis alumnus sacros intra fines in sui aliorumque offensionem verteret imprudenter. Namque tractus loci solitudine, quæ sæpe licentiam ac securitatem prave agendi facit, non dubitavit, aliorum præsertim nobilium impulsu virorum adductus, turbulenta componere consilia, atque de conspirando per speciem honesti contra summum Magistratum civitatis aliosque nonnullos, qui se præcipua popularium capita profitebantur, ad nobilitatis apicem opprimendum cogitare.

Hæc cum apud Stephani sodales in cæcis illis antris arcano agitarentur, Seraphica interim Virgo domi residens, suas inter consodales feminas divinitus conspicata Stephani meditamenta erga comitum sectanda studia, oculis in cœlum sublatis, in has prorupit voces : « Ha! Stephane fili, quid animo volvis? quid moliris? Siccine domum Dei ac domum orationis, domum nefariæ conspirationis facis? » nihil ultra in præsentia affata. Hæc ut audiunt quæ Virgini circumstabant piæ mulieres, isthæc apud se reputantes, verborum interpretamenta avide præstolabantur, arbitrantes Seraphicam Matrem haud irritam tunc locutam.

Interea paucis exactis diebus, Stephanum pro more Catharinam convenientem, antequam verbum faceret, ita alloquitur Virgo : « Hem, Stephane fili, ecquem præceps in interitum animæ simul et corporis ruis? ecquæ insana versas animo consilia? redi ad cor, fili, redi; et quas civiles conjurationes prætexere animum subiit, deponas prorsus volo. An putas domum Dei tanquam inviolabile asylum conspirantibus in viscera Reipublicæ effugia olim futura? falleris omnino. Proinde ad expianda quæ consensu in medium attulisti rei expediendæ, tot sanguinis guttæ, quot verba protulisti, tibi sunt profundendæ, ut reipsa intelligas locum illum sanctum esse, divinisque muneribus ac pœnitentiæ studiis dicatum ; quæ ob id ipsum Sodalitas se verberantium vulgo

dicitur. Me miseram! quæ jam videre videor hoc Cœli Reginæ domicilium, propter insanam civium ambitionem, recti studiosis occlusum, nec aperiendum nisi cum multorum fremitu atque tumultu. »

Nec vana cecinit tunc Virgo Seraphica, quando ejus sæculi anno 1390 jussu principis civitatis Magistratus edicto cautum fuit, ne quis ullus hominum per causam pietatis exercendæ aliamque alicujus rei speciem illud iniret, conventum in eo facturus.

Verum ubi Stephanus sui penetralia pectoris beatæ Matri reserata audivit, seque gravi verborum castigatione perstrictum animadvertit, hæsit attonito similis. Ad se inde reversus præterita detestatur, et Virginis mandata uberiora illius erga se protectionis pignora accepit. Nunc enimvero cum talia his similia aliis sodalium sæpe contingere Stephanus odoraretur, ad Virginem aliquando placido ore conversus, ut suis scriptis ipsemet tradit, sic fatur : « Jam satis superque novi, Mater, plus esse periculi tua utenti consuetudine, quam si furenti pelago ille se temere committeret ; ex quo tuorum præsertim spiritualium filiorum mentis recessus, latebrasque omnes adeo tibi patefactas video, ut nostra facta aut dicta te minime latere possint. »

Ergo Stephanus patrocinium beatæ Catharinæ tum in terris versantis, tum Cœlo divitis, jam toties expertus, tantisque ejus maternæ charitatis officiis divinisque promeritis provocatus, facere non poterat quin suam hanc Sanctam in dies magis suspiceret atque omni studio venerationeque prosequeretur, eumque cultum illi privatim attribueret exhiberetque, perinde atque inter Cœlites Apostolico judicio jam tum foret adscripta.

Quæ beati Viri in Virginem Seraphicam religionis studia augebant pura ac liquida gaudia, quæ suum intra pectus fovebat continenter : fuisse nimirum quotquot annis, hoc est in luce illius decessus anniversaria, in more positum cum Senis in patrio solo, tum Venetiis aliisque frequentibus oppidis, drama publice in scenam producere, cujus argumentum esset pie ac venuste agere præclarum aliquod Seraphicæ Virginis facinus, divino annuente Numine, ab ea in terris versante factum. Quæ pia quidem simulamina, propter apparatus splendorem et actionis elegantiam, plurimum valebant ad illius sanctitatis nomen longe lateque propagandum, aut in fidelium qui aderant mentibus confirmandum : quando quidem ea visum pulcherrima spectacula populorum agmina confluere solita litterarum monumentis est traditum.

Quæ cuncta minime dubiam æternæ mentis significationem habere Stephanus interpretatus, magis in dies confirmari se se in ejus venerationis studio, suamque augeri erga Catharinam pietatem sentiebat : animo quotidie volvens admiranda prodigia quæ Deus

per eam gesserat, ad multorum populorum salutem. Atque eo fiebat, ut quidquid suis in thesauris Vir pius noster haberet de hujus Virginis mortalitate Reliquiarum, summa reverentia prosequeretur, aliisque inflammata voluntate venerandas proponeret : imitatus magnæ auctoritatis sacratos Proceres, qui, qua Romæ, qua Venetiis, qua pariter Senis, sacra virginis lipsana in loco ponebant publice colenda, ad populorum in ejus præcipuam venerationem permovenda pectora.

De ejus Christiana humilitate pauca subjicio ex multis. Consueverat Stephanus, cum ad cœnobium suum sub vesperam pauperes adventarent, ut hospitio exciperentur, illorum nonnunquam abluere pedes, ne quibus præerat, exemplo minus quam dignitate præesset: quod pium munus tamdiu vel maxime exercere placuit, quoad in Germania generalis fuit Ordinis Præses.

Eo igitur cum die quodam manipulus pauperum appulisset, unus in eis erat adolescens bonæ sane indolis. Is jam inde a puero Cartusiam Trevirensem, ut alii scribunt, alii vero aliam tradunt, ingressus, in eaque pie educatus monasticam Vitam procedenti exin die professus fuerat. Quam paucis post annis pertæso, elanguente maxime primævo animi robore, constantia defuit in proposito : prorsus ut in dies magis sibimet aliisque inquietior factus, cœperit respectare mortalia; ac tandem malo sollicitante dæmone, castra nostra deseruerit. Cum igitur transfuga factus, huc illuc corpore et animo varius diu errasset, eo demum devenit, religione maxime perurgente, ut fastidire primum cœperit quæ vagæ pietatis studia sibi antea depinxerat in animo; et egestate dein premente, sordidus stipem ostiatim corrogare inter pannosorum greges compelleretur.

Ergo ad cœnobium Seiz cum pervenisset, squalore obsitus ac macie luridus, admittitur cum reliquo miserorum cœtu. Quibus hospitaliter exceptis, Dominicum mandatum pius Pater linteatus de more impendit, Conversis Fratribus aliisque in tam pio officio ei famulantibus. Ad desertorem ubi cernuus proxime Stephanus accedit, idem illi atque reliquis persoluturus officium, infremuit spiritu divinitus actus. Ille lenissimum Patrem suos ante pedes accidentem intuitus, interna consternatus verecundia, rediit ad se; atque continuo ab exordio lotionis ad finem usque, sine ullo singultu ac strepitu, labentibus perpetuo rivo per genas lachrymis, sua flere cœpit errata. Lotione peracta ac strata mensa, negavit miser quidquam se cibi sumpturum, sed incœnatus cubitum discessit.

Noctem totam transegit somni et quietis oblitus. Quoniam in se alte descendens, ita secum ratiocinari est orsus: « Eheu miser ! Eheu nequam ! Unusne ego tot inter sanctos Dei amicos et servos tantum admisi facinus ? Unusne ipse vesanus æterni abusus sum Dei

clementia, Satanæ ut placerem; suavi excusso Dei jugo, tantum non me ipsum damnavi, mei deceptor et eversor effectus? Nonne legisti, et a Fratribus sæpe tibi inculcatum fuit, optimum esse gratia stabilire cor? Eheu miser iterum ac tertio, oblitus primum vocationis tuæ propositum, oblitus te hominem esse sanctis obstrictum Deo votorum nexibus, oblitus denique sanctum Ordinem quem Cœlestis Pater sua in Ecclesia tot tamque divinis prodigiis constabilitum plantavit ad salutem multorum suamque gloriam magis in dies propagandam! Hæccine Deo rependis pro innumeris ab eo in te collatis meritis ac beneficiis? Hem infelix, cæcus ac nudus, corruptor Religiosæ disciplinæ, gravis tibimet aliisque fortasse futurus! qui, quoniam ultro jam a te ipso sanctorum Patrum Fratrumque tuorum salutaria monita rejecisti, eorumque sanctam consuetudinem sprevisti, verendum valde est, ne forsitan a facie Dei jam quoque sis projectus prorsusque despectus. »

Hæc et alia his similia, conscientia mordente, miser animo agitabat; nec quidquam sibi longius erat, quam ut se se ante beatum Patrem projiceret, ad spem veniæ impetrandæ divino lumine jam erectus. Vix se dies aperuerat, cum aditum sibi ad Stephanum aperiri postulat gemebundus. Hoc ut obtinuit, extemplo ad beati Viri pedes provolvitur ore exanguis, luctu pene consumptus. Quem Pater conspicatus lugentem illuvieque deformem, quis et cujas esset, et uberis ejus fletus causam blande rogitat. Ipse vero, verbis ex Evangelio desumptis: « Pater, inquit, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari amplius filius tuus. » Quæ sane verba magis magisque in Stephano desiderium exacuere expiscandi scilicet qualis esset tanti mœroris causa.

At ubi primum intellexit, perditum filium ad sanitatem mentis officiumque reversum, non potuit tenerum ac pium Patris pectus in illum totis præcordiis non commoveri, ætatis florem indolemque miseratus: adeo præclara in eo erat humilitatis charitatisque societas. In filii igitur Stephanus ruens amplexus monet et hortatur, ut bono sit animo: haud dubius, quin patris viscera sit apud se reperturus. Itaque probe recognitum, monachalique denuo vestitum amictu, ac rite expiatum restituit Ordini. Verum ne perniciosum illius exemplum cæteris facilem ansam præberet similia perpetrandi, jussit secretum a reliquorum monachorum consuetudine per aliquot dierum spatium seponi: quem dein constantem in proposito, sibique per omnia probatum, ad suum monasterium ablegavit. In quo vitam vivens ad Religiosæ disciplinæ severitatem apprime compositam, præclara vivendi ratione cæteris monstrabat, non mediocriter sibi profuisse egregiam Stephani virtutem: ut rejecta mentis vecordia, ad constantiam rediret, luce divina confirmatus.

Et quoniam, uti modo diximus, tam eximia Stephani virtus humilitatis singulari cum charitate legitimo fœdere jungebatur, non ab re erit hoc loco ostendere utriusque sæpe virtutis ex eo generosos prodiisse fructus, ad plurimorum utilitatem ejus implorantium opem. A primis siquidem suæ conversionis annis totum se mancipans in ægrotorum et pauperum obsequium, non minori postea inter Cartusienses adscriptus effulsit erga suos amore, humilitateque Christiana præcelluit.

Igitur ex hoc intimo Stephani sensu humilitatis, oriebatur in eo quoddam ardens studium paupertatis Evangelicæ ac rerum humanarum despicientia, quæ initium primum incrementumque cepit in beatæ Catharinæ domicilio, quod officina tunc erat omnium virtutum, et ad celsiorem exin gradum pervenit in Religiosis castris tanquam in Christianæ perfectionis schola. Hanc Evangelicam margaritam fulgere vidit in Pontiniana Cartusia, statim atque Religionis cultum habitumque suscepit. Quod monasterium ad eum paupertatis statum perductum id temporis constat ex litterarum monumentis, ut extrema rei familiaris inopia conflictarentur quotquot in eo versabantur Deo famulantes viri.

Quippe debacchante bello Florentinos inter atque Senenses, discursanteque Britannorum, quam vocabant, Societate, cum agrorum devastatione rapinas simul et incendia inferente, Pontiniani monachi suis hærediolis fere depulsi suisque proventibus spoliati, corrogare passim æs ab amicis, ut inde vitæ sibi subsidia pararent, cogebantur : quando, ut egestati suæ consulerent, per domesticæ legis severitatem sibi foras exire ad stipem precario quæritandam minime liceret. Cujus rei causa ad Urbanum VI Summum Pontificem supplices per libellos (prope sub tempus quo Stephanus suæ Religionis vota suscepit) confugiendum rati, rogabant et obsecrabant, ut Pontifex supremam suam auctoritatem interponeret, quo in possessionem bonorum quæ per vim sibi usurpata fuerant, restituerentur innoxii; qui vero temerati Divinæ vicariæ potestati minime parerent, anathemate coerceret.

Ergo in tot incommodorum difficultatibus ac rei domesticæ inopia, tanta animi jucunditate Stephanus cumulabatur, adeoque vitam omnis tristitiæ expertem ducebat, ut ad perfectæ vitæ studium effusis habenis currens, nullis scilicet fluxarum rerum curis detentus, nullisque carorum affectibus delinitus, experiri jam tum in se videretur, quæ mirifica divinæ gratiæ lumina carissimis suis interdum Cœlestis Pater amicis immittere solet ad summum rerum cœlestium fastigium nitentibus.

Religiosæ igitur hujus paupertatis adeo studiosum se Stephanus præbebat in dies, ut Climachi sententiam secutus, eam iter ad Deum sine impedimento putaret. Hinc fiebat, ut hanc omnibus

in rebus locisque sociam honoratam haberet quocunque pergeret ipsius incensus amore, captus pulchritudine. Domi quippe domuncula utebatur privatus cum esset in Xysto perangusta; in qua ex Instituto latitans solitudinis et silentii apprime tenax, mira simplicitate capiebatur eorum quæ ad domesticum ejus pertinent instrumentum ex Ordinis præscripto. In ea quippe mensæ apparatus fere nullus erat; in vestitu vero multa asperitas, in lecto durities : siquidem strato paleis inferto, locus ullus molliter cubandi nec aderat nec appetebatur. Supellex autem librorum ad exiguum admodum numerum redacta, eaque valde necessaria. Quippe non mediocriter eruditus, ea tanquam deliciis utebatur ad vitam nec insuavem nec tristiorem traducendam. In qua magnus epistolarum numerus erat, quas Stephanus sibi retinuerat, tanquam illarum exempla quas ei scribenti Virgo Seraphica dictaverat et ad varios diversosque viros miserat, quas inde in unum corpus relatas asservant Cartusiani Ticinenses.

Nunc vero ad Stephani rigorem inediæ severitatemque victus deveniendum est : quæ uti Christiana virtus ex arctissimo videlicet paupertatis voto ac spiritu emanat, summamque vim habet ad animarum salutem. Is enim eo animi æstu Religiosam hanc inediam amplexus fuit, ut sat contentus esset (ita tradunt) iis quæ quotidie inferebantur cibariis ex antiquo Ordinis præscripto. Quæ si dixeris satis fuisse ad vitam religiose parceque tolerandam, dixeris etiam jejunium propterea pene continuum Stephanum instituisse, nisi si loco scitamentorum, vel legumina, vel elixa olera, quæ ter in hebdomada sapido pro pulmento Nostris eo tempore porrigebantur, existimare velimus.

Multus essem ac tædii plenus, si per singula Stephani virtutum ire vellem. Tacebo igitur ejus prudentiam, in retinenda Ordinis disciplina severitatem : tacebo ejus in adversis fortitudinem animi, religiosam in domesticos simul et extraneos liberalitatem, in pauperes benignitatem, clementiam denique et animi æquitatem, et ad ejus obitum prosequendum stylum convertam.

Hisce igitur virtutum præsidiis munitus ornatusque testimonio, Stephanus noster vitam ad devexam usque senectam duxit : septimum circiter ac septuagesimum annum natus. Enimvero tanta cum opinione inusitatæ sincerioris que religionis ac sanctitatis habebatur , ut ad eum quam plurimi tanquam ad Divinæ voluntatis interpretem de rebus dubiis consulendum confluerent, ipsique sui cordis arcana reserarent. Sed ille cum invisus omnibus et obscurus esse cuperet, atque intra suæ cellulæ amicos recessus multo libentius se contineret, quam in exterorum conspectum se daret; ad eum statum devenit, jam in rerum cardine positus, ut diu noctuque nihil aliud cupere videretur, quam de cœlestibus sempiternisque bonis as-

sidue loqui ac cogitare : cum res suas omnes ita ad summi Boni studium componeret, ut jam quædam beatitudinis præludia, et futura cœlestis patriæ gaudia animo præciperet.

Igitur in hac pacata et tranquilla vitæ statione cum esset Stephanus, leni febricula primum tentari est cœptus. Quæ paulatim vires capiens, quotidie magis in venerabilem senem sævire cernebatur. At ille se ipso terrisque major, ad extremum usque spiritum mentem illam suam singulari Dei munere in potestate habuit, qua tam sancte atque utiliter semper fuerat usus. Id ubi cœnobii Patres animadvertunt, rati non procul abesse tempus beati Viri abscessus, omnes in ejus cubiculum convenientes Divino Viatico Sanctoque Oleo ad pugnam ineundam eum muniunt.

Ille Deo plenus, eosdem Patres lectulo circumfusos intuitus, consueta sua lenitate ac spiritu ad institutum perfectæ vitæ cursum sancte ac fortiter perficiendum in arrepto Ordinis proposito expedite adhortatus est : precatusque unicum solatium illud, ac dulcissimam libertatem Religiosis undique claustris sibi devinctis putarent, ut in obedientiæ legibus disciplinæque rigore summa voluntate studioque se continerent. Id quod longe facilius eis erit futurum, si ab orationis studio, quæ omnium virtutum est parens, animæ tamen plenæ Dei timore ac lumine nunquam discesserint.

Deinde in monachos juniores tyronesque oculos conjiciens, in magnum fletum erupit, vix ut sibi temperare posset, spirituali quadam in eos teneritate dulci mixta gaudio commotus. At collecto spiritu, ita eos affari est orsus: « Filii, Ordinem amate, qui vos amat, qui vos in gremium suum, hoc est in Dei tutelam, ab exitiali Sirenum cantu, a tyrannico diaboli dominatu, per gratiam Dei abstractos continet ac fovet, qui vos ad obsequium Christi Jesu, cui servire regnare est, peramanter adduxit. Rememorate pristinos dies. Caute ambulate; simplicitatem in dictis factisque diligite, quæ cœlestium donorum est capax, et fons beatæ cordis tranquillitatis cellulis vestris apprime necessariæ. Vestris precibus me apud Deum juvari opto, qui vobis semper benedicat, et constantia roboret ad munera Ordinis ad extremum usque spiritum strenue obeunda. »

Hæc cum B. Pater eloqueretur, cadebant ab omnium oculis lachrymæ, præclara interni mœroris testimonia, dum contemplarentur Virum beatum in ultimo rerum omnium articulo constitutum. Sed magis magisque morbum ingravescere conspicati, Stephanum paulisper ut conquiescat, admonent. Ille vero lumina in cœlum tollens silenter orabat. Dein conversus ad quemdam monachum prope assidentem, Sanctorum Reliquias ob oculos sibi statui deposcit. Orat iterum, et in Deum quasi absorptus, *Maria Mater gratiæ,* ac Ca-

tharinæ nomen ingeminans, lenissime mortalitate eximitur, 7 Idus Augusti, anno post Christum natum 1424, et ad ea, quæ semper in pectore tenuit et ob oculos habuit, æterna migravit gaudia, ut eximia ejus sanctitas nobis pollicetur.

Patres itaque ac monachi Ticinenses simul atque tanto Viro, qui eos tot annos antea singulari charitate ac prudentia rexerat, orbatos se vident, illius venerabilem ac jucundissimam speciem in feretro adhuc jacentis insolito quodam cum divinæ consolationis gustu contemplantes, mira animi jucunditate perfundi se sentiunt, novumque ardorem sibi accessisse experiuntur ad illum tanquam unum aliquem de Cœlestibus invocandum, ac sibi suisque tectis Patronum ac Tutelarem asciscendum, pro certa spe beatitudinis, ad quam recta eum evolasse quisque sibi persuadebat.

Publicum igitur mœrorem in commune gaudium convertentes, Stephanum de Cœlo devocant, ejus patrocinium ac tutelam omnibus in rebus deposcunt, eique ob insignem religionem ac sanctimoniam, uti divinum ante conspectum immortali gloria cincto, preces privatim effundere arbitrantur. Qui pius monachorum erga Stephanum sensus, ejusque obitus didita fama tantum valuit in patria terra, ut Senenses primarii, medii, infimique, præcipua pietate ad nostra usque tempora eum colant et inter suæ civitatis præsidia et firmamenta ducant ac venerentur. Recordati in primis Stephani spectatam sanctimoniam ad publicum exemplum Christianæ virtutis in rem patriæ sedis : quando ut in omnium ore tanti Viri nomen et memoria versaretur, intra extraque urbem Senas, ejus imaginem pingendam curarunt, elogiaque passim inscripserunt ; et auspicem ducemque in virtutum cursu appellantes, in Sanctorum Beatorumque virorum Senensium sertum, quo magna Dei Mater Cœlique Regina, uti universæ Senarum civitatis princeps Domina ac præcipua Patrona, est redimita, inseruere.

Interea temporis, vulgata per pagos et viciniam Stephani morte, ad Cartusiam quam plurimi ejus exequias cohonestandi gratia confluere cœperunt. Quippe cum per tot annos in magna apud omnes veneratione fuisset, ob eximias animi sui dotes ad permovendos animos ad studium æternitatis, lamentabantur alii solatium suis in miseriis amisisse, alii pauperum subsidium illum fuisse palam prædicare, alii communem parentem vocare. Patres autem pie ac rite corpus ejus curatum, in sacrum communeque Conditorium terræ mandarunt.

Ex ejus Vita, quam vulgavit B. Bartholomæus Florentinus.

ANTONIUS DE CEA

ELECTUS IN EPISCOPATUM FUNCHALENSEM

Patria Lusitanus, ex urbe de Cea; in Cartusia de Aniago vota professionis emisit, anno 1579, die 24 Maii. Hujus monasterii primum Procurator, deinde Rector institutus, bis postea Prioris officium summa cum laude gessit. Inter præcipuas, quibus præcelluit, virtutes, summa erga pauperes charitate fuit affectus; quorum vices ex visceribus intimis dolens, cum inedia gravis aliquando regionem occuparet, multique languentes passim fame jacerent, ab amico suo Marchione d'Avila de Fuente duodecim frumenti carros petiit mutuos, quibus succurreret egenis. Cumque diu sæviente fame pauperibus distribueret triticum, id sua apud Deum meruit charitate, ut frumentum divina virtute ita fuerit conservatum, imo multiplicatum, ut post tam liberalem panum profusionem, duodecim carri integri reperti fuerint, nec minime quidem imminuti.

Antonius postea in Antistitem urbis Funchalensis in Insula Maderæ electus necdum consecratus dum Matriti versaretur, cum vitam in omni sanctitate transegisset, extremo morbo correptus ad beatam immortalitatem evocatur, die septima Augusti, anno 1609, eximiæ probitatis opinione relicta. Purissimum illius corpus depositum fuit apud Carmelitas Matritenses; unde translatum ad Cartusiam de Aniago a venerabili Patre Alphonso de Caceres qui præerat, anno 1614, sepulturæ in communi cœmeterio mandatum fuit. Porro ejus cadaver, dum in Cartusiam inferretur, ita sanum et incorruptum repertum est, quasi pridie illius diei Antonius expirasset.

Ex Mss. Cartusiæ de Aniago. Joseph de Valles in libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

VIII DIE AUGUSTI

ALBERTUS

MONACHUS MONTELLI

Vir sanctitate celebris, qui in hoc monasterio diem extremum clausit, anno 1350, circa hoc tempus; cujus obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1351. De eo fit perhonorifica mentio in Chronico Montelli in hunc modum : « Et tunc Rector authoritate Capituli vocavit unum de sociis suis, videlicet D. Albertum, monachum singularis vitæ et famæ in Domino, qui post trimestre (al. bimestre) obdormivit in Domino, quem Rector sepelivit in

medio Ecclesiæ; et cum propter nimiam paupertatem Domus, Ordo pluries decrevisset eam relinquere, dicebant Fratres monasterii Parmensis: Nequaquam relinquetur locus ab Ordine, propter merita D. Alberti quiescentis in ipso. Sicque impletum est. »

JOANNES CORDERII

PRIOR PARISIENSIS

Vir magnæ religionis; ex regimine Domus Belnensis, anno 1419, ad gubernaculum vectus Cartusiæ Parisiensis, cujus erat professus; cum non solum huic Domui, sed etiam Provinciæ Franciæ sapienter utiliterque præfuisset, de Ordine optime meritus, vitæ cursum feliciter absolvit, anno 1427, die 8 Augusti.

Catalogus Priorum Cartusiæ Parisiensis.

NICOLETA DE MONTE ORSERIO

SUBPRIORISSA BERTAUDI

Puritate virginea et singulari pietate decorata; quæ ita laudabilem vitam exegit, ut spatio centum annorum, quibus in Ordine Cartusiensi prodigioso ævo perduravit, nunquam deficiens sed semper proficiens fuerit deprehensa. Subpriorissæ etiam diu angariata officio, novellas plantas piis monitis et exemplis irrigavit utiliter. Demum dierum plena animam efflavit, anno 1516, 8 Augusti.

Charta Capituli generalis anni 1517. Martyrologium Cartusiense F. Ganneronii.

PETRUS SENALIS

MONACHUS PARISIENSIS

Is ad Novitiorum curam præpositus, tanta eo in munere observantiæ regularis perfectione, oratione, ac virtutum splendore præluxit novis hisce Religionis tyronibus, ut se illis, non verbis duntaxat, sed illustrioribus vitæ exemplis, veræ virtutis magistrum ac normam præbuerit. Fatis concessit, anno 1586, die 8 Augusti.

Catalogus monachorum Cartusiæ Parisiensis.

PETRUS BEETS

MONACHUS BRUXELLENSIS

Dictus a Lovanio; vitam monasticam professus 19 Maii, anno 1550. Vir simplex et rectus, pius admodum, haud vulgari præditus morum mansuetudine, spiritum emisit anno 1605, die 8 Augusti, non sine opinione sanctitatis. Cujus Eligius noster his verbis Elogium descripsit :

« Beetsius senex tam sedatus semper in omni vita fuit, ut nullus unquam in eo vel tenuissimum iræ motum aut commotionis alicujus suspicionem deprehendere potuerit. Testati sunt Patres, qui cum eo triginta annis et amplius vixerunt, et qui vitam illius (quam in Ordine jubilarius duxit) exploratam ab aliis habuerunt, semper ita vixisse, ut nunquam perturbationem aliquam animi in eo animadverterint. Quod si, teste divo Hieronymo, hominis est irasci, et etiam iram temperare Christiani, profecto non nisi Divinæ mentis esse putandum est penitus non moveri. De Cornelia matre Gracchorum legitur (res ridicula) quod in vita nunquam spuerit. Sed quid de illo dicemus, qui tantum in se imperium habuit, ut nunquam irasci potuerit, nisi sibi ? Non est ursus ita a natura alienus, aut ita domitus, qui si lædatur aliquando non sentiat.

Sit placidus licet, et lambat digitosque ma-
[nusque,
Si dolor et bilis, si victa coegerit ira,
Ursus erit.

« Et hoc unum in vita illius singulare nobis visum est et admiratione dignissimum, quod tam solido semper fuerit pectore et immoto animo, ut neque vehemens aut affectatus injuria, neque improbitas cujusquam eum unquam fregerit. Aliud quoque de eo referunt Patres quidam ex Nostris, commendatam ei fuisse afflictam, ut pro ea orationem ad Deum faceret. Ille, ut erat liquefactus spiritu devotionis, convertit se ad orationem. Vix eam finierat, cum ecce cœpit, quæ gravissime vexabatur, clamare se jam ab omni sensu doloris et molestiæ liberatam esse. Obiit autem hic piissimus ac mitissimus Pater a partu Virginis anno 1605, 4 Augusti, octogenarius. »

Hactenus Eligius, qui perperam signat ad 4 diem Augusti mortem Petri, cum constet ex Kalendario domestico et D. Petro du Wal decessisse die 8 hujus mensis ; cujus etiam obitum Chronicon Cartusiæ Bruxellensis refert ad diem octavam Augusti, ubi de eo agitur sic :

« Mirus erat B. Mariæ Virginis et Sanctorum cultor, quorum imagines omnes, quas invenire poterat, colligebat et depingebat, et in eorum natalitiis ac per octavas in suo altari exponebat, pia prece et antiphona salutabat, aut Litaniis invocabat ; nonnunquam cuculla ecclesiastica et stola indutus prædictas imagines thurificabat. Aliquando etiam dum solitarius in cella *ter Scheut* ageret, exequias pro defunctis celebrabat, et sepulchrum fodiendo in horto, mortuum fictitium suis vestibus indutum in illud dimittebat et postea extrahebat. In dictum sacellum *Scheut* nonnunquam pueros plateæ cogebat, cum quibus fabulabatur, prout in proverbio vulgari dicitur : similis gaudet simili ; et sicut erat simplex malitia, cum simplicibus erat ipsius sermocinatio, et dum quempiam astutiorem animadverteret, eum missum faciebat.

« Cum ante mortem aliquandiu lecto decubuisset, non tamen molestus fuit aut gravis servitoribus. Videntes autem astantes Religiosi eum morti appropinquare, incœperunt legere Litanias, et dum perventum esset ad hæc verba, *Sancta Maria, ora pro eo,* pio gemitu animam in piissimæ Matris gremium deposuit Deo reddendam. Dixerunt aliqui dum sepeliretur suavem odorem exhalasse. » Hactenus Chronicon Bruxellense.

Subjicimus hic epistolam, quam olim Vincentius Knibbe, Procurator Brugis, postea Prior Bruxellensis, scripsit de Petro Beets ad D. Petrum du Wal. Literarum autem tenor talis est : « Temporibus istis, quibus hæresis Ordinibus ordinem laxaverat, adeo ut Nostris etiam sine peccato extra monasterii septa liber exitus pateret, contigit cœlum claudi, ut vix ros aut pluvia veluti Eliæ temporibus decideret. Quapropter terra nullo imbre irrigata fructus et olera denegabat ; et cum ubique, maxime in monasterio S. Elisabeth, eorum penuriam patiebantur, eo quod in monte constitutum sit. Istis igitur temporibus, vir quidam Cartusianus provectæ ætatis, pius (inquiebant) et sanctus, ad prædictum monasterium perrexit ; quem Religiosæ conspicientes, se se ad ejus pedes devolvere, ab illo solatium et olera postulantes. Quibus ille compatiens ac fidem approbans, omnes cubiculum quod intraverat excedere jussit ; in cujus secreto solus ad Deum preces fudit. Nec frustra ; nam protinus cœlum obductum est nubibus, deinde pluviam dedit, denique terra irrigata solitos fructus et olera. Ita mihi a monialibus prædicti monasterii relatum est. Ita et vobis refero, ut posteritati tradatis, etc. »

De Petro Beets agit etiam Arnoldus Raissius in suo Auctuario ad SS. Molani.

RICHARDUS BEAUCOUSIN

PRIOR CATURCI

Parisinus ; professus Cartusiæ Parisiensis. Tot a Deo cœlestibus donis insignitus fuit, ut conclusus licet inter privatos cellulæ suæ parietes prodesset multis, qui inter sæculi tumultus quærentes salutare Dei, directioni tam sapientis magistri se se subjecerant, quo conscenderent ad Christianæ perfectionis apicem. Emicat autem inter illius discipulos beatissimæ memoriæ Petrus de Berulle, qui postea suis suffragantibus meritis ad Cardinalitiam dignitatem evectus est. Hic vix duodecimum ætatis annum attigerat, cum divinitus orationis spiritu illustratus adiit Richardum, illumque elegit tanquam Angelum tutelarem, ut salutaribus tanti viri consiliis instructus, sanctioris vitæ semitas teneret.

Hunc tyronem præstantissimum pius Pater non amore tantum, sed etiam

honore prosequebatur, adeo ut, quamvis mysticæ Theologiæ peritissimus esset magister, Petrum tamen in rebus difficillimis non dubitaret consulere. Cum enim Richardus perspiceret hunc adolescentem spirituum discretione esse decoratum, illum aliquando delegavit ad domicellam quamdam variis afflictam mœroribus et angustiis, quæ multos viros in rebus spiritualibus versatissimos suspensos tenebat. Hanc igitur adiit Petrus Richardi nomine, quid de illius statu sentiendum esset judicaturus. Nec Richardum fefellit opinio; quem enim speraverat, res eventum sortita est, cum ex Petri colloquio domicella mirifice erudita, dilatato ejus corde viam postea mandatorum Dei cucurrit.

Interim Richardus sanctitatis suæ radios ubique diffundens, ad Vicarii munium assumptus fuerat, anno 1593. Huic igitur officio impositus, cum per id temporis multi viri sanctimonia præstarent in hac urbe Parisiensi, cum in consulendo, tum in exhortando gloria excelluit, ut nulli eorum esset secundus. Unde multi ad illum tanquam ad divinæ voluntatis interpretem confluebant; et de rebus dubiis pariterque gravissimis illum consulentes, ejus sententiam, ut qua nihil esset aptius, maxime probarent. Id non sine emolumento domicella Acarie, quæ sub nomine Mariæ ab Incarnatione inter Carmelitas Sorores adscripta est post sui conjugis obitum, experta, Richardum maxime commendavit. Hæc omni genere virtutum exornata a teneris annis, viro, cui suam secure conscientiam committere posset, indigebat. Cumque hominem perquireret in vita spirituali exercitatum, feliciter illum, quem tamdiu desideraverat, qui lepram discerneret a lepra, invenit.

Res autem contigit in hunc modum. Dominus Acarie, Magister Cameræ computorum, ob negotia Cartusiam frequentans, uxori suæ idem etiam monasterium adeundi ansam præbuit. Hanc Maria occasionem nacta, Richardum ea tempestate nominatissimum alloquitur; cujus sermonibus confortata, illum habere peroptavit in directorem. Quanquam autem id Instituto Cartusiensi refragaretur, quod abhorret a mulierum familiaritate, illud tamen Maria impetravit a Patribus Ordinis ad magnam suam instantiam. Huic sapientissimo moderatori animi sui sensa aperuit, Dei erga se beneficia, extases manifestavit ac revelationes.

Aliquando in mentis excessum Maria cecidit coram Richardo, qui piissimam matronam diu a sensibus alienatam conspiciens, divini Officii pensum persolvit, donec ipsa ad se reverteretur. Hanc extasim Richardus considerans, domino du Val, Doctori Sorbonico, declaravit Mariam Acarie in agro Ecclesiæ thesaurum hactenus fuisse absconditum, qui imposterum erat propalandus; subjecitque se multa didicisse ab hac muliere forti, e cujus alloquiis velut

ex fontibus limpidissimis sapientiæ salutares aquas exhauserat. Porro Richardum divino Numine afflatum hæc præsagiisse, indicat satis Volumen illud de sanctissimis feminæ istius moribus in lucem editum a domino du Val.

Prophetiæ etiam spiritu Richardus effulsit. Cum dominus de Berulle Virodunum apud Patres Societatis Jesu se se recepisset, quo liberius sibi soli vacans divinam exploraret voluntatem, domicella Acarie verita ne Petrus Societati nomen daret, adiit magistrum suum spiritualem, mentem suam aperuit Richardo; qui irradiatus cœlesti lumine sic domicellam allocutus est : «Non ita se res habebit; nam dominum de Berulle Congregationis Presbyterorum in Gallia, ad instar beati Philippi de Neri in Italia, fundatorem futurum esse spero. » Is autem, qui nunc jam viget floretque per Gallias sacer Presbyterorum Cœtus, Richardum virum prophetam fuisse comprobat. Cujus consiliis ita dominus de Berulle acquiescebat, ut, reluctante tamen sua humilitate, libellum plane aureum de interiori abnegatione a se compositum lucem aspicere permiserit.

Interim Venerabilis Vicarius, quanquam ex Ordinis nostri proposito silentii atque solitudinis appetentissimus esset, tamen facere non poterat quin, stimulante ipsius charitate, congressus ad se confluentium exciperet, amicas illis præberet aures, simul et eis consuleret, et quacumque poterat ratione adjuvaret. Quidam vir perillustris gravissime afflictus, levaturus animum divertit ad Cartusianos; cumque forte fortuna obvium habuisset Richardum, ei tristitiam suam patefecit. Hujus mœrori, verborum, qua pollebat, efficacia tam salubrem adhibuit medicinam, ut virum in luctu jacentem ingenti consolatione recreatum dimiserit. Ea etenim Richardi sermonibus inerat vis, ut nemo ab eo discederet afflictus. Unde omnes benigne excipiebat, et urgente proximos adjuvandi desiderio, utilia et salutaria impertiebat consilia.

Ferunt eum plusquam trecentas Deo animas fuisse lucratum. Efficax namque in dicendo et fervidus animarum venator tantam colloquiis suis adhibebat energiam, ut infidelissimos quosque admonitione sola in virtutis amorem demutaret. Quoscumque enim alloquebatur, cujusmodicumque essent et ætatis et conditionis, omnes tanto amore Dei et odio vanitatum succendebat, ut unus crederetur ex Ordinibus Angelicis. Doctus ab eo doctior, sanctus ab eo recedebat sanctior, omnes omnium enodabat difficultates et expellebat animi anxietates. Nihil enim latebat eum de spiritualibus, omnia diaboli tentamenta magno experientiæ documento pollens detegebat, ac si omnium mentes intuitus esset.

Tantæ charitatis flamma cellulæ angustiis veluti coarctata non poterat se se continere. Zelus devotissimi Patris ad circumvicinas Domos religiosas ex-

currebat, ut collapsam ibi disciplinam monasticam in primævum fervorem restitueret. In hujus rei argumentum sint Calæ (vulgo Chelles), Charmis (vulgo Charmes) et Montis Martyrum parthenia, quæ piis Richardi sollicitudinibus, curis et orationibus ad meliorem statum efformata, quicquid observantiæ regularis habent, religiosissimo Vicario Cartusiæ Parisiensis adscribunt.

Inter ea autem quæ Richardi memoriam maxime commendant, non ultimas tenet partes in Gallia Monialium Carmelitarum institutio. Hujusce Ordinis exordia dominus du Val describit in hunc modum : « Domicellæ Acarie inter orandum S. Theresia se visendam præbuit, illam admonens, ut Carmelitarum familiam in Gallia, divino sic ordinante Numine, erigeret. Verum devota mulier verita diaboli technas, qui se sæpissime transfigurat in Angelum lucis, visionem animo suo licet fortiter impressam parvipendit. Porro nihil proficiens, rem Richardo revelavit ; qui, cum nihil ipsi antiquius esset, quam divini Numinis gloriam et honorem promovere, sanctuarium orationis ingressus, Dominum consuluit, quo suam ipsi voluntatem manifestare dignaretur.

« Florebant per id temporis dominus Gallemand Doctor Sorbonicus, dominus du Val alumnus ejusdem almæ Facultatis, dominus de Berulle et dominus de Bretigny. Hos doctrina simul et pietate præstantes viros convocat Venerabilis Richardus. Qui in illius cellula coadunati, postquam tanti momenti negotium matura deliberatione ponderassent, rem tot implicitam difficultatibus perspicientes, hanc perfici minime posse judicarunt. Interim pia mulier tantorum virorum consiliis acquiescens, nihil amplius de visione cogitabat. Sed transactis octo mensibus, en iterum S. Theresia se conspiciendam illi præbens, de futura suæ familiæ per Gallias propagatione fecit illam certiorem, quamvis aliunde hujus institutionis nulla plane spes affulgeret. De his a domicella Acarie Richardus admonitus, supramemoratos viros cum Francisco Salesio, per id temporis Gebennensi Coadjutore sanctissimo, accersit. Hi Spiritu Sancto præside in cellula Vicarii congregati, multis hinc inde rationibus allatis, tandem Richardi sententiæ adhærentes, hoc opus totis viribus promovendum esse sanxerunt. »

Carmelitarum itaque cœtus intra cellulæ Richardi limites veluti conceptus, ortum suum simul et incrementum domicellæ Acarie venerabilique Vicario debet assignare, secundum domini du Val celeberrimi Doctoris mentem, qui luculentum hac de re in Vita Sororis Mariæ ab Incarnatione testimonium scriptis posteritati mandavit : ad quem librum Lectorem brevitatis studiosi remittimus.

Silentio etiam minime prætereundum est, quod R. Pater Angelus a Joiosa, vir non minus natalium splendore

quam virtute conspicuus (qui contempto sæculo ad Capucinorum Religionem convolarat, ex qua, ut patriæ periclitanti succurreret, exierat cum bona Summi Pontificis venia), depositis, Richardo adhortante, vestis mundanæ exuviis, rursus monasticum habitum maxima cum omnium admiratione induerit.

Non solum etiam de aliis Ordinibus asceticis, sed etiam de nostro bene meritus fuit Richardus. Nam Eminentissimus Cardinalis de Sourdis, cui perspecta erat illius sanctitas, bene ejusdem gratia in totum Ordinem affectus, Cartusiam Burdegalæ, cujus erat Antistes, magnifice construxit.

Dum longe lateque virtutis suæ radios Richardus emitteret, obstrepente ad Cartusiæ Parisiensis claustrum frequentiori sæcularium turba, quæ Patrum quietem interpellabat; anno 1598, per Chartam Capituli generalis Richardus relegatur Nannetas, ibidem Priorem acturus. Verum ubi per urbem hujus nuncii rumor percrebuit, tot Magnates viri per litteras R. Patrem Joannem Michel, summum Cartusiensis Ordinis Præfectum, rogaverunt, ut non Richardo Lutetiam Parisiorum orbaret, cujus vitæ sanctimonia proderat multis, in honorem Dei et gloriam. Annuit eorum votis Reverendus Pater, cui inter cæteros clarissimus dominus de Monthelon, causidicus in Senatu Parisiensi celeberrimus, gratias scripsit amplissimas.

Perseveravit igitur in officio Vicarii Richardus noster, qui tandem, anno 1602, per Comitia Ordinis generalia fuit admotus officio Prioris Cadurcini monasterii; anno autem 1604, fuit institutus Aquitaniæ Convisitator. Ad hoc munus assumptus tanta cum prudentia illud administrabat, ut vigilantissimi et omnibus numeris absoluti Pastoris immortale sibi nomen comparaverit. Cum Tolosam ad venerationem sanctorum Apostolorum, qui ibidem reconditi sunt, transiret, ita certatim ad eum devota plebs concurrebat, ut qui virum Dei necdum viderant, exsuscitatum prophetam credidissent.

Ut paucis absolvam, integritatis illius vestigia ad perennis ævi memoriam perdurant, qui nihil in vita nisi laudandum aut dixit, aut fecit, aut sentire voluit. Omni siquidem jam pridem disciplina morum exornatus, modestus, affabilis, austeræ vitæ, cibi somnique parcissimus erat, ut longiores in oratione vigilias traduceret. Postquam commissam sibi Domum affatim mire sua cura exornasset, auxisset redditibus, et dotasset Beneficiorum sibi collatorum largitate; postquam ædificia omnia disposuisset juxta formam Ordinis, quæ a tempore Joannis Papæ XXII Fundatoris juxta situm compositionemque Templariorum (quorum primitus erant) duraverant; tandem mortificationibus, maxime vigiliis et jejuniis consumptus, ex hoc mundo naufrago ad cœlestem patriam evolavit, anno 1610, die 8 Augusti, ætatis suæ quadragesimo.

Solent Cadurcini Cartusienses mortuorum corpora, non quidem terræ mandari, sed in cryptis supra asserem reponi; quæ postea congruo tempore postquam incinerata sunt, in fossam propinquam congeruntur, ut novis demortuis corporibus locum cedant. Itaque cum Richardi corpus sicut et cætera supra asserem collocatum esset, cum post sextum circiter ab ejus obitu annum projectum foret, ut cadaveri domini Sevini Coadjutoris daret locum, Richardi corpus integrum, atque ita ab omni putredine immune intactis etiam vestibus reperitur, ut etiam percussum ac e crate ferrea in qua jacebat dejectum, ex se ipso steterit; quin et illud apparuit mirabilius, quod instrumento percussum effuderit vividum sanguinem, adeo ut religiosissimi Patris sanctimoniam venerantes, a lachrymis abstinere minime potuerint. Sic Deus ad sui nominis gloriam non dedit sanctum suum videre corruptionem, qui suo tempore oculus contemplativorum dicebatur.

ANDREAS DE TOBAR

MONACHUS DE PAULARI

Vir inculpatæ vitæ, haud vulgaris humilitatis, miræ devotionis ac singularis patientiæ; quam cum in multis infirmitatibus exhibuisset, pie admodum efflavit animam, die 8 Augusti, 1623.

IX DIE AUGUSTI

BERNARDUS

CARDINALIS SANCTI CHRYSOGONI

Habitum Religionis suscipiens in Majori Cartusia, promotus fuit ad hanc dignitatem ab Innocentio II Summo Pontifice, uti testatur D. Nicolaus Molin in Historia manuscripta Ordinis nostri, his verbis : « In variis autem Ordinis Monimentis asservatis in bibliotheca Cartusiæ, floruisse dicitur Bernardus Cardinalis, monachus dictæ Cartusiæ, summa sanctitate vitæ et probata doctrina, quem Innocentius Papa II ideo ad tam altum honoris locum evexerat; sed spem tanti Pontificis et universalis Ecclesiæ fefellit præproperæ mortis eventus, 5 Idus Augusti, ut refert vetustissimum Calendarium Cartusiæ Portarum, sub his verbis : « Bernardus presbyter tituli S. Chrysogoni, nostræ Congregationis monachus, obiit in Vigilia S. Laurentii, anno 1138. Cujus corpus Romæ magnifice conditum quietem accepit. »

Indiculus SS. Ordinis Cartus. D. Polycarpi de la Rivière refert Bernardum

decessisse anno 1137. Meminit etiam Bernardi Theophilus Raynaudus in suo Brunone Stylita, puncto 10, § 6.

HERIBERTUS
PRIOR BONI PASSUS

Cujus vitæ probitas et integritas ea fuit, propter quam a Summis Pontificibus et ab aliis coleretur. Cujus opera etiam Petrus Faverius, juxta revelationem sibi a Deo factam, Sacramentis ecclesiasticis munitus et tandem sepulturæ mandatus est, die 29 Aprilis, anno 1319. Obiit ipse die 9 Augusti ejusdem anni.

Heriberti meminit in suo Martyrologio Ganneronius noster ad hanc diem.

ROLANDUS DE LUYSTERINGEN
PRIOR COLONIÆ

De quo hæc refert Chronicon Cartusiæ Coloniensis : « Celeberrimus iste vir, cum esset decanus Cathedralis ecclesiæ Paderbornensis, et nobilitate, doctrina, auctoritate in sæculo floreret, atque ad honores majores spe fulciretur; hæc omnia ob Christi amorem repudiavit, et omnibus mundi illecebris et vanitatibus rejectis ad Christi vexillum convolavit, Crucisque ignominiam sæculi splendori prætulit. Ad hanc itaque Domum ceu portum salutis advolans, gratiose susceptus est; brevique tempore animum omnibus religiosæ disciplinæ exercitationibus adeo excoluit, ut paulo post in Vicarium, dein sublato antecessore in Priorem assumptus, sic laudabiliter ac strenue, juvante illum gratia divina, præfuit, ut non modicam benedictionem paupercula fundatio ista per ejus sedulam administrationem reportarit. Siquidem industria sua magna procuravit bona dominorum de Hardehusen (juxta Bonnam sita) ad valorem trium fere millium florenorum, et alia hinc inde. Fuit quoque annis aliquot Convisitator Provinciæ Rheni, atque ob ingentem literaturam et famam a Capitulo generali Majoris Cartusiæ (tunc enim Ordo unitus erat) destinatus ad Concilium magnum Constantiense; in quo dum egregie muneri suo satisfecit, pestilentia præventus, ibidem cessit e vita, anno 1417, die 9 Augusti, anno Prioratus sui tertio decimo. »

GUNDISALVUS DE ALCAZAR
CONVERSUS DE COVIS

In eo præsertim præcelluit, quod in obedientia Exactoris hujus Cartusiæ constitutus, sæculares, quibuscum negotia gerebat, suo exemplo et morum suorum suavitate traheret ad vitam castigatiorem : adeo ut multi sæculo valedicentes hac in eremo Institutum Cartusiense professi fuerint. Hujus Fratris memoria celebris erit in omnes generationes; nam ex familiaritate, quam cum

illo contraxit, nobilis eques Alvarus Obertos de Valeto ita fuit Ordini nostro devotus, ut amplissimam Xeritii construxerit Cartusiam. Diem extremum Gundisalvus clausit, anno 1454, 9 Augusti, cum opinione sanctitatis.

Ex Manuscriptis.

PETRUS WINTREN
PRIOR HILDESII

Ex monacho Ordinis Cluniacensis et generali Visitatore per Austrasiam factus monachus Majoris Cartusiæ, non solum doctrina sed humilitate ac simplicitate præcelluit. Vir fuit sui admodum incurius; quodque admiratione dignum est, cum esset Germanus elato vastoque corpore, fuit cibi potusque parcissimus. Convisitatoris munus obivit magna cum laude ob mores religiosissimos. Fuit etiam Prior Brunæ. Decessit anno 1619, 9 Augusti; sepultus Confluentiæ.

Ex Manuscriptis.

X DIE AUGUSTI

GUILLELMUS POETGHAEST
CLERICUS REDDITUS CAPELLÆ

Vir multum religiosus et ita suam refrænans linguam, ut multis annis silentium strictissime servaverit; pie fatis fungitur anno Domini 1450, die sancti Laurentii. Ita testatur vetus Chronicon Cartusiæ Capellæ. Signatur autem ejus obitus in Charta anni 1452.

JOANNES PISTOR
MONACHUS GANDAVI

De quo mentio fit in Chronico Cartusiæ Gandavensis his verbis: « D. Joannes Pistor a patientissima diversarum tentationum tolerantia mirum in modum laudabilis extitit: tanta fuit animi quiete et tranquillitate præditus, ut ne minimum unquam signum indignationis vel murmuris dederit. Charitate vero præcipue fuit ornatus, quæ ita in corde ipsius diffusa erat, ut similem Domus hæc non habuerit. Officium exercuit Infirmarii summo compassionis affectu erga infirmos, in quorum obsequiis libenter se impendebat et superimpendebatur. Cum autem in extremis positus, præter charitatem, divinæ illius virtutis facibus exæstuans, nihil spiraret; et instar discipuli apostolique Domini Joannis, lingua pene faucibus hærente, Fratres hortaretur ut alter-

utrum diligerent. Ex circumstantibus unus dum moneret ne se tantum loquendo gravaret, ne forte acceleraret suam mortem, « Quam felix essem, inquit, si talia fando, animam darem ! » Plenus dierum et bonorum operum expiravit, anno 1492, die 10 Augusti. »

SIMON

MONACHUS NUREMBERG

Cujus elogium extat in Charta Capituli generalis anni 1527 : « Obiit 10 Augusti D. Simon, professus Nurembergæ, hospes Domus Herbipolis, qui multas et graves a Lutheranis persecutiones usque ad mortem pro Ecclesia Dei patienter sustinuit. »

JOANNES DE LA PUEBLA

PRIOR DE MIRAFLORES

Hujus monasterii alumnus; multis virtutibus ac mira vitæ sanctimonia inter cæteros Priores de Miraflores effulsit. Fuit namque vir devotissimus, vitæ innocentia, morum honestate ac pietate celebris. Ita autem solitarius erat et ab omnium familiaritate semotus, quamdiu privatus in cellula vixit, ut nullo unquam tempore, præterquam in functionibus publicis, inter monachos conspiceretur. Noverat enim innumera propemodum esse solitudinis bona, quæ hominum consortio deperduntur; noverat solitudinem lites nescire, odia ignorare, detractioni non vacare, fovere silentium, cohibere linguam, nutrire orationem, Angelis jungi, frui Deo, id Deo ipso per Prophetam attestante : *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus*. Noverat Arsenio olim hanc e cœlo vocem redditam : « O homo ! fuge homines, et salvaberis. » Vulnera etenim, quæ hominum familiaritas animo infligit, solitudo aut præcavet aut sanat.

Solitudinis igitur atque silentii Joannes cultor eximius, abhorrebat imprimis a detractionis vitio, nec quemquam de proximo male loquentem poterat sustinere, cum ex necessitate aut ex charitate cum aliis conversari cogeretur. At quando quidem linguæ custodia omnium pene virtutum ad se perfectionem trahit, Apostolo affirmante : *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir ;* hinc Angelica mentis puritas, hinc honestatis candor, hinc rigor disciplinæ regularis, hinc sensuum mortificatio, hinc gulæ præsertim interitus pullulabat, quo fiebat ut potus, cibi somnique parcissimus esset. Otii etiam osor maximus, in cella semper erat occupatus, aut lectioni, aut orationi, aut scriptioni vacans.

Propter tam eximias virtutes admotus officio Prioris et Visitatoris Castellæ, suam Domum et Provinciam summa cum prudentiæ laude administravit.

Cum enim nihil præter Dei gloriam et gregis profectum atque utilitatem animo versaret, cui non sola Pastoris voce et doctrina, verum multo magis vita et exemplo opus sit, admirabilis plane erat viri hujus ad utrumque virtus.

Non solum circa gregem sibi commissum Joannes sollicitus erat, sed etiam circa pauperes, quorum necessitati satagebat subvenire, adeo ut ad eorum inopiam sublevandam, ultra quam posset, erogaret. In hujus rei argumentum, ipsissima Manuscripti cujusdam e Cartusia Miraflores nobis exhibiti verba subjicimus : « Fuit summa erga omnes charitate, benignissimus in pauperes, quibus pro posse succurrebat, et ultra vires succurrere nitebatur. Anno 1539, vehementer in his regionibus fame laboratum est; et a mense Februario usque ad mensem Augustum, singulis hebdomadibus jubebat distribui ad januam Domus in eleemosyna quadraginta mensuras tritici in pane cocto. Tempore istius V. Patris et ob merita ejusdem, ut credi potest, operata sunt a Deo miracula in augmento tritici et farinæ post copiosarum eleemosynarum elargitionem. »

Hæc in eodem Manuscripto paulo aliter referuntur his verbis : « Anno 1540, 17 die Martii, Rector moderatoresque civitatis Burgensis, maxima famis angustia in regno Castellæ instante, statuerunt ne ullus pauperum ostiatim mendicaret; providerunt tamen, quatenus omnes, tam honesti quam mendicantes ejus pauperes, tam advenæ quam peregrini, dividerentur et sustentarentur a monasteriis, hospitalibus, a Nobilibus et ab aliis civitatis incolis, juxta uniuscujusque facultatem.

« Ad quod tam pium opus peragendum non parum contulit, tam verbo quam opere, hæc Domus, annuente Patre Priore D. Joanne de la Puebla, qui in præfata pauperum divisione, quinquaginta pauperes alendos suscepit; ultra quos, a prima Maii usque ad primam diem Augusti, singulis hebdomadibus, quarta videlicet feria et Sabbato, quibusdam civitatis egenis centum sexaginta panes integri duas cum dimidia libras habentes erogabantur. Insuper habitatoribus pagorum sive locorum circumjacentium septuaginta panes ejusdem ponderis in fragmentis quotidie distribuebantur. Nec quidem propter hoc cessavit eleemosyna consueta et quotidiana scholasticorum, pro quorum sustentatione septingentæ tritici mensuræ et amplius quotannis expenduntur (præter decem et octo alios scholasticos,qui in Domo hac habitant), nec eleemosynæ aliæ quæ fieri consueverunt in tritico, farina et vino, nec etiam mutuatio frumenti in agricolarum pauperum favorem assueta cessavit : unde ex illa jam die hydria farinæ non defecit, juxta verbum Domini.

« Mirabile dictu! Hæc enim Domus pro tantis eleemosynis faciendis, ultra triginta quinque Religiosorum et viginti mercenariorum et hospitum occurren-

tium quotidianum victum, vix habuit quadringenta tritici onera, quæ mille et sexcentas mensuras faciunt; cum, sequenti anno, ob defectum pauperum propter maximam abundantiam subsecutam, non erogati fuerint singulis diebus plusquam viginti panes in eleemosyna ad Domus januam, et quadringenta quinquaginta onera tritici, quæ mille et octingentas mensuras faciunt, adhuc non suffecerint. Nec illud silentio prætereundum est, quod eodem tempore contigit: cum enim præfatus Prior duas farinæ mensuras egenis erogandas cuidam sacerdoti commendaret, quatuor in ejus manibus apparuerunt. Quæ omnia miraculose facta non dubitamus, et ut talia idem religiosissimus Pater Prior in scriptis nobis reliquit. »

Vir ita in egenos munificus, ne aliquando charitas erga pauperes refrigesceret, posteros ad faciendas liberali manu eleemosynas adhortaturus, elegantem satis et Scripturæ Sacræ testimoniis exornatam conscripsit orationem, ubi inter cætera sic loquitur: « Illud infallibiliter expertus sum, quod Veritas ait: *Omnis qui dederit aliquid propter nomen meum, centuplum accipiet, etc.* Ideo magnopere vigilandum est, quatenus eleemosynæ in dies magis ac magis crescant, et sic Domus non solum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus, sine dubio prosperabitur. » Et alio in loco dicit: « Experimento didici vere in hac Domo impletum esse, quod Veritas ait: *Date et dabitur vobis*.» Idem iterum atque iterum inculcat ad excitandam in calamitosos compassionem. Quæ quidem opera charitatis magnam, non solum apud domesticos, sed etiam apud sæculares existimationem conciliarunt.

Porro cum multoties impositam sibi regiminis sarcinam multoties abdicare frustra tentasset, tandem ea qua vixerat sanctitate, feliciter cursum absolvit, anno 1541, die 10 Augusti.

Ex Catalogo Priorum de Miraflores.

MICHAEL

MONACHUS BONONIÆ

Vercellis, nobili familia oriundus; Bononiæ Juri utrique dedit operam, satagens inter studia litterarum pietatem, quam cum lacte hauserat, devotionis exercitiis fovere. Edoctus experimento, quot scopulis et syrtibus in sæculo degens circumvallaretur, veritus ne in illos naufragus incideret, ad tutissimum Cartusiæ Bononiensis portum appellens, a D. Hieronymo cœnobii moderatore habitu Religionis donatur. Cum primum inter divi Brunonis castra conscriptus religiosæ militiæ nomen dedit, bello vitiis omnibus indicto, primam sibi obedientia ac perfecta propriæ voluntatis abnegatione viam ad profectum statuit. In his novus Religionis tyro præcellens, post emissa professionis vota sibi sternens iter ad

cæteras virtutes, fuit addictus solitudini, silentio et orationi; tantaque morum honestate atque vitæ sanctimonia excelluit, ut, Nicolao Gozzadini sub Vicariatus pondere præ senio et debilitate virium fatiscenti, communi monachorum omnium voto fuerit suffectus. Unde Michaelis virtus in loco sublimiori posita longe lateque suos radios effundens, non modo Cartusiam, sed et urbem Bononiam irradiavit suorum gratiæ charismatum fulgore.

Per id temporis Carolus dux Borbonius, qui a Rege Galliarum defecerat, in Italiam irrumpens, devastata penitus Longobardia, jam Bononiensium finibus ferrum flammamque minabatur; et quotquot erant in agris, imminens periculum declinantes, confugiebant in urbem, cum Cartusienses, solum etiam vertentes, ac in hospitium Sanctæ Annæ extructum in ipsa civitate se se recipientes, quicquid habebant pretiosius asportarunt. Remansit interim Domi cum Prioris licentia Michael imperterritus : vallabatur enim virtutum satellitio, fideique scuto circumseptus, diu noctuque orationes vibrabat in cœlum, quarum vi sisteret incursus hostiles.

Borbonius Bononiam, quam fortissimis militum copiis munitam noverat, oppugnare non ausus, crudelius in rusticos desæviit. Nuntiatum est interim Michaeli, Ducem cum ingenti equitum cuneo Cartusiam eversurum advolare. Tunc ille non ferro, non milite, sed multa fide divinoque fretus auxilio, Crucem pro clypeo in manu gestans procedit obviam irruenti, blandeque Carolum salutans, ita tumentem ira et plenum cæde animum illius mitigat, ut Vicarium humaniter suscipiens intacto monasterio recesserit. Non tamen servus Dei prohibere potuit, quin nonnulli militum ecclesiam Cartusiæ ingressi, cibos ibidem, nulla habita sanctitatis loci ratione, coxerint. Post direptum Bononiensem agrum innumeramque pecorum et jumentorum prædam, Borbonius cum exercitu suo direxit iter per Romandialam et Picenum, Romam obsessurus, quacumque transibat suæ crudelitatis vestigia relinquens.

Ubi primum abiit hostis, qui ex agris in urbem confugerant, ad sua revertentes, monachi quoque Cartusiæ in dilectam solitudinem redierunt; inventoque Michaele, quem credebant sepultum monasterii ruinis, salvo et incolume, repertaque Domo illæsa atque ab hostibus intacta, gaudio incredibili affecti sunt : portenti namque simile quid eis videbatur, Vicarium e tanto periculo superstitem evasisse. Tam felix exitus orationum Michaelis magnum illi nomen apud extraneos comparavit, multosque convocavit ad Cartusiam Bononiensem, rei novitate ac virum Dei videndi desiderio illectos; qui precum illius suffragia implorantes, ejus salutaribus monitis aut ad frugem meliorem conversi sunt, aut sæculo valedicentes, se se famulatui divino mancipavere.

Verum Michael attentius considerans quantum detrimenti solitudo pateretur ex tot sæcularium frequentia, quantumque humilitas et Cartusiana simplicitas inter hominum plausus periclitaretur, instanter petiit a Visitatoribus, ut cum bona eorum venia liceret sibi in locum a turbis et strepitu sæcularium remotiorem secedere. Annuerunt votis Vicarii Visitatores; juxtaque licentiam ab eis datam, concessit in Cartusiam Vedanensem, constructam in agro Tridentino, septam undique montibus præruptis. Cum Vedanam pervenisset, dimisso, qui eum comitatus fuerat ex amicis quodam Nobili, jam quæ retro erant oblitus, in anteriora se extendit, idque unum illi curæ erat, ut præter Deum et salutem suam nihil curaret. Dum in silentio et solitudine degens gustaret et videret quam suavis esset Dominus, et torrente voluptatis ejus potaretur, amici illius tamdiu præsentia ejus orbari ægre ferentes, reditum Michaelis in Cartusiam Bononiensem a Visitatoribus impetrarunt. Moleste admodum Superioribus Michael obtemperavit; dolebat etenim præreptam sibi, qua fruebatur in hac eremo, quietem. Ille autem nobilis vir qui abeunti se comitem itineris dederat, comitatus est revertentem.

Cum venisset Bononiam, invisit monialem e divi Francisci familia, insanabili morbo laborantem. Cumque afflictam piis et consolatoriis sermonibus confortasset, ita afflictissimæ dolore commotus est, ut subito conversus ad illam, dixerit: « Rogo te, Mater, da mihi morbum quo cruciaris. » Cui illa subjungens: « Esto, fiat ut jussisti. » Mirum dictu! vix hospitium S. Annæ suprememoratum ingressus fuerat, cum, ista divinitus sanata, mox ille eodem pestilentiæ ulcere corripitur, tantisque statim febris ardoribus exuritur, adeoque destituitur viribus, ut in Cartusiam, licet uno milliari ab urbe distantem, deferri nequiverit. Acciti medici morbum periculosum judicantes, post maturam deliberationem vulneri ferrum ultra quinquagies jubent admoveri. Sustinuit ægrotus patientissime manus medicas, totus effusus in gratiarum actiones, quod dignus a Deo habitus fuisset animam ponere pro salute proximi. Sic igitur feliciter consumptus, præclarum vitæ sortitus est (uti præsagierat) finem, anno 1542, die 10 Augusti.

Vix animam exhalarat, cum magnus fit ad hospitium populi concursus. Certatim ruunt in oscula pedum et manus, vestes cadaveris diripiunt, nullusque occurrit, qui non gestiat pio furto defuncti reliquias deprædari: denudatum corpus novis tegitur vestimentis. Jamque ære publico civitas Michaeli parentatura erat cum funebri pompa, ni Cartusiæ Bononiensis Moderator obstitisset, causatus talem apparatum refragari Cartusianorum humilitati. Corpus, comitante Franciscanorum familia, advectum in Cartusiam in cœmeterio depositum est.

Ex Vita ejus ms. Italice descripta.

JACOBUS PUJALT

MONACHUS PORTÆ CŒLI

In libro Chronici hujus Domus cap. 22, Vita ejus describitur his verbis :

« Ut posteri sciant quale habeant præmium sancta simplicitas innocuaque vita, pauca nunc dicamus de V. D. Jacobo Pujalt Valentino, qui in Vigilia sancti Joannis Baptistæ, anno 1520, factus est monachus. Talis itaque vir iste erat, quod vere de eo dici poterat, quod de sancto Job scriptum est. Erat in Domo Portæ cœli vir simplex et rectus et recedens a malo : simplex, quia revera nemo in ipso vel simulationem vel superbiam, aut sui æstimationem apprehendere poterat; et rectus quidem ante Deum et homines, quia cum esset vir timoratus optimisque dotatus nativis, audebat dicere ejus Confessor, quod noxam ex suo genere tantum venialem deliberate ac voluntarie nunquam admisisset. Sed cui, quæso, unquam hominum nocuit ille ? Quin potius in omnibus se cunctis semper (citra culpam tamen) accommodabat, importunos aliorum mores benigne tolerans. In sequela actuum conventualium, maxime divinorum Officiorum, primus semper accedens, novissimus recedebat. Nunquam deficiens, nunquam tarde aut vocatus veniens, cum quadam summa simplicitate ac sinceritate hæc omnia adimplens, soli Deo placere desiderans, ab omni inanis gloriæ peste penitus alienus.

« De hoc igitur tam pio sinceroque Patre a quodam integerrimo viro, etsi habitu sæculari, moribus tamen religioso, mirabile accepimus testimonium. Ipse est D. Petrus Nicolaus vir patricius, piis semper actibus, maxime deditus spiritualibus exercitiis, in dandis eleemosynis, sicut et nos experti sumus, largissimus, egregius rerum terrenarum contemptor et inter divitias paupertatis amator.

« Hic igitur tantus vir ad nos aliquando veniens, et cum duobus monachis de præfato D. Jacobo Pujalt colloquens, talia narravit dicens : « Circa dies obitus ejus, contigit me habere spirituale colloquium cum quadam persona, in qua est Spiritus Dei, et cui sua aliquando Deus revelat secreta. Cumque ad Domum hanc Portæ cœli (quam non noverat, neque monachos ejus) sermo percurrisset, dixit : « His diebus, quidam in ea defunctus est monachus, qui tribus tantum horis passus est in Purgatorio ». At cum monachi nomen interrogassem, « D. Jacobus Pujalt, inquit, appellabatur, qui nisi tepide se habuisset in fine, cito pervolasset ad gloriam. » Quod ego admirans, solidius de veritate revelationis certificari volens, simulate eam interrogavi : unde monachos Portæ cœli noverat ? Respondit se nec monachos nec Domum aliquando vidisse. Et hæc est, inquit ille, verissima res et certa, de qua hæsitare nullo modo, Patres, debetis. Quis autem sit cujusve sexus persona illa, dicere nullo modo possum. » Hactenus ille.

« Verum quod dictum est, ob tepiditatem suam tribus fuisse passum horis in Purgatorio, non de malitia aut de notabili negligentia intelligendum; sed quia ejus ægritudo non adeo gravis erat, ut lecto omnino decumberet, aut in mortis periculo esse crederet : sermocinabatur enim et cum omnibus gaudebat. Hæc, arbitror, ejus culpa fuit. Verum a P. Vicario cum de periculo admonitus fuisset, ad se reversus mox dixit : « Quid me vis facere, Pater ? » — « Confitere, inquit, primo, et post Sanctissimo te muni Sacramento, periclitaris enim. » Tum exhibens, unius horæ spatium sibi concedi petiit, quo se melius præpararet. Quo transacto, cum Vicarius ad ipsum post Completorium rediisset, confessus est a primo instanti, quo errare potuit, usque ad illam horam. Quo peracto, rogavit me, ne Sanctissimum Sacramentum illa hora tam tarde ad cellam deferretur, quin potius in sacello Sanctæ Annæ sequenti die sibi ministraretur, quando quidem absque labore illuc ire poterat, quia prope erat locus.

« Videns ergo Vicarius humilem piumque affectum, cum nemo de sequenti eventu quicquam suspicaretur, placuit acquiescere ejus humili petitioni. Deus tamen, cujus judicia abyssus multa, aliter voluit disponere. Nam cantantibus monachis Matutinas, ministrum ille Infirmarium extra cellam dormire jussit; solusque remanens et mortis anxietatibus et angustiis præventus, surrexit a lecto, et ad locum consuetum, nempe ad oratorium cellæ suæ pergens ibique residens, spiritum suum Creatori reddidit, die sancti Laurentii Martyris anni 1546, cum viginti et sex annos vixisset in Ordine. »

JOANNES GAY

PRIOR HOLLANDIÆ

Vir non solum in rerum temporalium administratione peritissimus, sed etiam multum religiosus ac exemplaris; qui cum multos labores pro Ordine sustinuisset, de eo optime meritus, pie animam efflavit, anno 1551, die 10 Augusti.

Catalogus Priorum Beatæ Mariæ prope Montem S. Gertrudis in Hollandia.

TUSSANUS BANSE

MONACHUS ROTHOMAGI

Anno 1561, cum hæretici Calvinistæ Deo Regique perduelles diabolica rabie templa Rothomagi passimque per alia Galliæ loca devastarent, sacras confringerent imagines, presbyteros religiososque homines mactarent crudeliter; die S. Laurentii festo irrumpentes in Cartusiam Rothomagensem, diripiunt

monasterium. Et ad cumulum impietatis, irruentes in Ecclesiam dum sacra Mysteria peragerentur, Tussanum Bansetum, in ara majori celebrantem, tam immaniter, nulla habita loci nec Mysterii ratione, impetunt, ut ex vulneribus paulo post occubuerit ipse pro Fide Catholica, victima factus.

Ex antiquo Manuscripto, et Historia Archiepiscoporum Rothomagensium Francisci Pommeraye Benedictini.

ANNA BELLEFLORIERE

SUBPRIORISSA GOSNAY

Quæ cum per 50 annos sategisset se virginem castam et immaculatam exhibere Christo, meritis dives ad Sponsum migravit, anno 1569, die 10 Augusti.

Ex Manuscriptis.

ELISABETH VITENHOVE

PRIORISSA BRUGIS

In magna rerum penuria et tribulatione ob bellicos Flandriæ tumultus præfuit per decem circiter octo annos huic monasterio, cujus regimen abdicavit, postquam haud vulgari cum patientia et humilitate cæteris præluxisset. Abiit ad vitam tranquilliorem, anno 1582, die 10 Augusti.

Ex Catalogo Priorissarum.

JOANNES DE CURIEL

PRIOR DE MIRAFLORES

Nobili ortus prosapia; inter Cartusianos de Miraflores annumeratus, tot tantisque naturæ gratiæque dotibus in hac eremo floruit, ut cunctis monasterii muniis fuerit admotus; quæ quidem obivit strenue atque laudabiliter. In eo elucebat mira morum gravitas et exterioris hominis compositio, quæ emanabat ex sollicita cordis illius custodia. Orationi siquidem internæ addictissimus, inter rerum temporalium curas, quibus vacabat juxta sibi injuncta Ordinis officia, suspensam semper gerebat in Deum mentem; in cujus præsentia vir perfectus ambulans, nullo modo sæcularibus negotiis distrahebatur, se se coram Deo et hominibus conservabat immaculatum. Fuit vigilantissimus Procurator, Vicarius admodum exemplaris, peritissimus Magister Novitiorum, Pastor optimus in ovium regimine, prudens in administratione temporalium, monachus demum solitudinis, silentii eximius cultor. Decessit anno 1599, 10 Augusti.

Ex Manuscriptis.

XI DIE AUGUSTI

HENRICUS DE GANDAVO

MONACHUS PARISIENSIS

Religiosæ admodum conversationis monachus et sacerdos; qui cum vigiliis, orationibus et jejuniis in hac eremo addictus vitam exegisset, a Domino remunerandus evocatur ab beatam immortalitatem, anno 1310, die 11 Augusti. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1311. Ejus etiam mentio fit in Necrologio Cartusiæ Parisiensis, ubi parentes ejus recensentur inter benefactores.

JOANNES JUSTUS LANSPERGIUS

PRIOR CANTAVII

Extat ejus Vita apud Bibliothecam Cartusianam descripta a Petræo, cujus tenor talis est :

Joannes Lanspergius, re et nomine Justus, ex celebri Germaniæ ducatu Bavaria et civitate Lansperga, honestisque parentibus originem duxit. Qui a Domino præventus in benedictionibus dulcedinis, post expletum in alma Universitate Coloniensi studii Philosophici cursum, mox florem juventutis suæ in Cartusia ejusdem civitatis Creatori suo offerens, corpore et animo mundum deseruit, se seque militiæ spirituali viriliter accinxit. In qua quantum in omni spiritualis vitæ disciplina profecerit, quam fervidus extiterit amator Dei, quam devotus gloriosæ Virgini Matri ejus (hanc etenim post Deum unice diligebat), quam obediens erga Superiores, quam durus sibi, quam benignus aliis, quam zelosus pro observantia sacri Ordinis, quam tenax justitiæ, quam assiduus in oratione, quam infatigabilis in labore, quam multis denique verbo et exemplo in via Dei velut fulgidum sydus in firmamento Ecclesiæ positum luxerit, difficile profecto foret explicatu. Qui porro aliqua hinc nosse voluerit, sedulo pioque animo ejus scripta et libros perlegat.

Fuit quidem non modo in sæcularibus litteris apprime eruditus, verum etiam interna unctione Spiritus Sancti non mediocriter illustratus : quo dulce fiebat ei in lege Domini meditari die ac nocte, semperque vel devotis precationibus, aut sacra lectione, vel certe scriptione tempus fructuose deducere, insuper Hostiam Agni immaculati Deo in altari quotidie immolare. Et his sanctis

exercitiis adeo ferventer incubuit, ut ab illis nec validis quidem (quibus aliquot annis ante mortem premebatur) morbis sineret se avocari; sed supra vires sæpe languens, nihilominus supra vires se se ad ea cogebat.

Omnium hominum necessitatibus velut pia mater compatiebatur, se seque petentium consolationi, sive informationi (neglecto interim subinde somno, vel cibo proprio) totum impendere non gravabatur. Nam omnibus aliis benignus et affabilis, sibi autem soli durus et immisericors fuit. Et ut carnem spiritui repugnantem edomaret, corpus suum jejuniis, vigiliis, flagellis, ciliciis et aliis pœnitentiæ laboribus assidue macerabat. Aliquandiu etiam loricam ferream ad nudam carnem circa renes occulte portavit. A cibis delicatis, a verbis superfluis, otiosis, sive nocivis se ipsum studio summo temperabat. Unde quilibet facile colligere potest, quanto nitore puritatis mens ejus fulserit intus, qui carnis sensuumque suorum tam strenuus castigator extitit foris. Quoniam absque hujusmodi castigatione quisquis se puritatem mentis et corporis adipisci putat, se ipsum misere decipit, umbram sequens, et aerem verberans.

Obedientiam Superioribus suis, tam in gravibus quam levibus rebus, adeo simpliciter et absque ulla discussione, aut murmuratione quacumque exhibebat, ut omnes id magnopere mirarentur. Cujus rei gratia cum in officio Prioratus Domus Cantavii prope Juliacum (quod ex sola obedientia susceperat) propter loci humiditatem, suæ naturæ prorsus contrariam, ex vomitu sanguinis sæpius usque ad mortem ægrotaret, nunquam tamen importune a suis Superioribus exegit ad salubriorem locum (licet id maxime desideraret) remitti. Unde paulo ante obitum suum, pro informatione cujusdam Fratris, graviter testabatur se in Ordine contra Superiorum suorum voluntatem nec uno verbo scienter unquam quicquam fecisse. Quapropter tantam cordi et verbis ejus Deus infudit gratiam et sapientiam, ut non solum Fratres, sed et Principes quoque et Magnates terræ eum requirentes, monita salutis magna cum aviditate et reverentia ab eo haurirent, ipsumque uti Dei amicum, seu potius Deum in ipso loquentem, honorarent.

Et quia in operibus bonis in domo Dei servum se fidelem et prudentem exhibebat, misericors Dominus ipsum pro incremento salutis suæ calculo, phtisi tussique violenta, immo et vomitu sanguinis diversisque aliis gravibus ac diuturnis languoribus, velut aurum in igne in hoc sæculo (quod orare subinde, quemadmodum etiam in scriptis ejus reperimus, solebat) a peccatis suis plene (uti speramus) purgare dignatus est. Nam mirabili patientia sustinebat pœnas omnes et dolores, quibus supramodum, præsertim circa finem vitæ, vexabatur : adeo ut intuentes stuperent, dicerentque ipsum supernaturaliter in

vita conservari. Quod nemini mirum videatur, cum a medicis sæpe desperatus, et morti adjudicatus sit; eo quod hepar et pulmo læsa et corrupta multis annis, contra eorum sententiam, valetudinarius supervixerit. Adeoque patientissimo hæc aliaque complura animo ferebat, ut ne vel unum impatientiæ verbulum ab ejus processerit ore. Et quando aliqui Religiosi, seu etiam sæculares et Magnates ipsum invisentes, percunctarentur, quinam haberet, semper respondit, vel bene se habere, vel cum D. Job : *Sicut Domino placet : Sit nomen Domini benedictum.*

Sæpius tæduit eum diutius vivere propter nimios excessivosque dolores, cupiebatque dissolvi et esse cum Christo; maxime propter gravissimam Ecclesiæ Catholicæ ruinam, animarumque damnationem sanguineis lachrymis merito deflendam : quas passim absque modo et freno per libros Erasmi, Lutheri et aliorum monastici Ordinis desertorum (quos a Deo dicebat datos in reprobum sensum) videbat corruptas ad infernum currere, cum talibus pseudodoctoribus excæcatus hodie credat mundus. A quorum lectione ipse penitus abstinebat, abstinendumque omnimode monebat : tum quia parum bonæ frugis habeant, tum quia absque aliquo periculo vel contagio vix legi queant : quod sermo eorum ut cancer serpat, tum etiam quod non modo omnis doctrina, sed etiam omnes libri ipsorum prohibiti et damnati essent.

Qua etiam re permotus, uti erat mire amans et sitiens salutis animarum, multa subinde edidit scripta, nihil nisi pietatem, sanam fidem, eximium in Deum proximumque amorem spirantia : ut pro sua virili parte, quoad ejus fieri posset, jam eversos et corruptos ab errore et nexibus diaboli, quibus videbat innumeros tam tenaciter obligatos, clausis oculis in flammas tartareas properare, extraheret, nutantes ac titubantes firmaret, stantes corroboraret, tepidos accenderet, conantes juvaret, imperitos instrueret, currentibus calcar adderet, Deo servire cupientibus tanquam probe exercitatus et peritus dux regium monstraret iter, denique nemini non aliquam adferret utilitatem. Quod sane, Deo favente et scriptis ejus gratiam haud vulgarem adspirante, cecidit illi non infeliciter; talem quippe in Dei Ecclesia fructum fecit, ut inter Ecclesiasticos Doctores non postremo sit loco numerandus.

Et quia contemni solent hi, qui quod docent, ipsi non præstant, se ipsum studuit virtutum omnium tanquam vivum quoddam simulachrum exhibere, nihilque in se admittere, quod doctrinæ illius repugnaret, aut pondus detraheret. Ita fiebat, ut quicquid diceret aut scriberet, plurimum haberet energiæ et authoritatis, etiam apud magnos et eruditos ævi istius viros; qui, in illo certis indiciis Christi Spiritum habitantem, et per os ejus tanquam organum sua verba exprimentem, animadver-

tentes, tum dictum tum scriptum illius sæpe non mediocriter permovebant.

Erat siquidem in tota illius vivendi ratione mirus candor, columbina simplicitas cum prudentia multiplici conjuncta, Christiana integritas, prompta erga quosvis benevolentia, propensa benignitas, suavis nec tamen dissoluta affabilitas, odium peccati, justitiæ amor, contemptus mundi et rerum terrenarum, paupertatis ingens studium, charitas flagrantissima. Quis namque ad illum unquam accessit, qui non senserit illius se exhortationibus adjutum? Quis illius familiari usus colloquio, non aliquid lucri reportavit? Nec solum erga Fratres suos promptissima alacritate talem se gessit, sed etiam erga extraneos et ignotos. Evàngelicum præstare virum reipsa semper studuit, non solum ore Evangelium, ut multi hodie solent, circumferre.

Execrabatur plurimum impios dogmatistas nostrorum temporum, quod cum tota vita ab Evangelii præscripto discrepent, tamen se jactent Evangelicos, et a Deo illuminati videri velint; quorum illi impudens temeritas, et vesana impudentia summe erat invisa: ita tamen ut illorum doleret vicem, ploraretque cæcitatem et amentiam, qua tum se ipsos, tum alios complures in æternas conjicerent miserias et calamitates, licet id illi nullius pensi habeant, ob vastissimas cordis tenebras, et præfractam animi obstinationem.

Porro sæpe in lucubrationibus suis eorum reprehendit et confutat errores, non alio sane consilio, quam ut, iis agnitis, resipiscant, aut certe alii eisdem non implicentur. Est enim hoc commune sanctis Dei hominibus, ut cupiant ac nitantur diabolica fraude deceptos eripere, et ad veram salutis viam revocare. Non enim ferre possunt animarum pericula, quibus multo magis quam proprii corporis incommodis cruciantur. Sed et ipsa Dei omnipotentis multiplex injuria, quam accipit ex peccatis hominum, supra modum illos cruciat, ob ingentem erga illum amorem, qui facit ut etiam minima in se ipsis peccata non sinant inulta abire.

Possemus adhuc multa in hujus V. Patris commendationem plena fide scribere; sed quia ex scriptis ille suis abunde cuivis manifestus est, longam texere historiam superfluum judicamus.

Feliciter vixit, et felicem vitam obitus felix consecutus est. Non potuit namque mala perire morte, qui etiam cum viveret ita vixit, tanquam propediem moriturus. Non necesse habuit mortis timere insidias, qui nihil in se residere patiebatur, quod posset terrorem mortis incutere. Dum vixit, omne peccatum, et quicquid in morte prægravare posset, diligentissime a se profligare conatus est, ut morte adventante non tum demum, quod multi stolidissime faciunt, ad mortem se se præpararet, sed ipsam mortem tanquam vitæ aditum lætissimus exciperet. Et certe unum illum ex eorum fuisse numero minime

dubitamus, qui et vitam in patientia, et mortem habent in desiderio. Quid enim illud delectaret vivere, qui, uti jam ante diximus, tam variis cruciabatur morbis, ut mortuo, quam viventi esset similior?

Ergo indesinenter suspirabat ad mortem, ut posset venire ad conspectum gloriæ Dei. Et quamvis aliquandiu dilatus fuerit, nec pro voto exauditus, tandem tamen post multos fideles labores et patientiæ coronas, fructumque animarum quem in Ecclesia Dei et Ordine Cartusiano verbo, calamo, et exemplo tulit uberrimum, Sacramentis ecclesiasticis religiose munitus, et omnia sua errata aliquoties scrupulose pieque confessus, bene compos mente, postquam in sancto Ordine Cartusianorum annos 30 laudabiliter sancteque vixerat, sanctum spiritum suum Deo reddidit, a quo illum acceperat, 3 Idus Augusti, anno ab orbe redempto 1539. »

JOANNA COQUELET

CONVERSA GOSNAY

De qua referunt, quod cum tempore festorum Paschalium (quibus parentes monialium accedunt frequentius ad hanc Cartusiam) silentii solitudinisque pertæsa dolens cogitaret, quod ad confabulandum a nemine vocaretur; cumque de hac re conquereretur inter orandum, trahitur ad portam tympanum. Accedit ad pulsum Soror atriensis, nunciatque Joannæ adesse quemdam, qui eam ad cratem vocabat. Pergit illa ad locutorium; cumque paululum supparum elevasset, vidit mundi Redemptorem in effigie seu specie cruenta ostendentem illi manus suas et latus, dicentemque : « Quereris, filia, quod nemo te conveniat; numquid ego tibi melior sum, quam propinqui tui? » Quo dicto Dominus disparuit, illam eruditam ex hac reprehensione intusque consolatam dimittens. Sancte moritur, anno 1570, die 11 Augusti, postquam in Ordine 50 annos exegisset.

Ex Mss. Mariæ Margaritæ de Brongniart et Elisabeth de la Ruelle, Monialium hujus parthenii.

BRICTIUS VIOLART

VICARIUS VALLIS S. PETRI

Cujus pietas ea fuit, quæ etiam frigidos accenderet; modestia, quæ immorigeros etiam tacendo reformaret; amabilitas, quæ etiam discolos ad amorem mutuum compelleret. Cujus denique tam inculpata fuit conversatio et probata patientia in morbis diuturnioribus, ut cœlestis gloriæ non immerito jam ex hac vita candidatus haberetur. Obiit anno 1596, die 11 Augusti.

Ex Chronico Vallis S. Petri.

XII DIE AUGUSTI

HENRICUS DE HASSIA

PRIOR MONICHUSEN

Professus Friburgi, non minus sanctimonia quam eruditione celebris; abdicato propter infirmitates suas Prioratu, naturæ debitum persolvit, anno 1427, die 12 Augusti.

Catalogus Priorum hujus Domus, Bibliotheca Cartusiana, Antonius Possevinus perhonorifice scribunt de Henrico.

JOANNES DE PUTEO

VICARIUS VALLIS DEI

Ex obscuro loco natus; oblatum ab Archiepiscopo Rhotomagensi S. R. E. Cardinali honorificum Grammaticæ magisterium ex innata animi humilitate recusans, modicum in ecclesia quadam Collegiata Canonicatum recepit, quo sibi matrique subveniret. Ante Ordinis ingressum, anno 1450, Apostolorum limina ob Jubilæum lustravit magno cum devotionis sensu. Redux in eremum Vallis Dei se recipiens, divino se mancipavit obsequio magna cum animi humilitate. Ad Sacerdotii etenim dignitatem et Canonicatum promotus, nihilominus tamen ad viliora quæque monasterii munia se se animo alacri deprimebat. Admissus ad professionem, illo fuit succensus regularis observantiæ zelo, qui nihil de mansuetudine, nihil de lenitate remitteret. Erat quippe ad nostri Salvatoris exemplum ad mansuetudinem et cordis humilitatem figulatus, in omnes benignus et affabilis; et quamvis excelleret in omni genere scientiarum, ita tamen de se sentiebat humiliter, ut discere potius quam docere paratus esset.

Tanto divinæ charitatis æstu inflammabatur, ut sæpissime facies ejus appareret ignita. Eam erga divinissimum illud Altaris Mysterium (quod vivum et incruentum est Domini Sacrificii simulachrum) animo venerationem ex frequenti meditatione hauserat, ut in litando totus esset in lachrymis. Cujus vita etiam concordabat cum Sacrificio. Carnem etenim suam spiritui mirabiliter subjiciens, fessos artus non in lecto sed super asserem oratorii deponebat, storea e culmo supposita, frigoris inclementiam sic in hyeme patiens. Frequenter in Sacrarum Litterarum lectione, oratione et meditatione pernoctabat, vix

quicquam somno indulgens ante preces Matutinas. Post nocturnum Officium ad cellulam reversus, reliquam pene noctem in cœlestium rerum contemplatione transigebat. Adeo erat sibi durus et immitis, ut scaturientes pulices et vermes ex vestium, quas nunquam exuebat, immunditia contractos mira cum patientia toleraret.

Cœlites omnes et Angelum tutelarem, Beatissimamque Virginem Mariam singulari amore prosequebatur. Divinum Numen ubique sibi præsens puro et simplici corde semper contemplans, nihil agebat quod offenderet hujus tremendæ Majestatis oculos. Osor otii maximus, aut lectioni vacabat aut orationi, vel componendis libris vel describendis. Virginitatis illibatum florem inter molestas carnis tentationes usque ad mortem illæsum conservavit, atque ideo in conspectu Altissimi fundebat lachrymas, corpusque suum crebris macerabat flagellis. Tanta autem in alios charitate effulsit, ut inter diversas, quibus probatus fuit, corporis infirmitates, sui omnino oblitus, quicquid in aliorum levamen et solatium conferre posset, indefessus impenderet.

Demum postquam in officio Procuratoris et Vicarii religiose sancteque admodum se gessisset, in capite casu nescio quo periculose vulneratus, postquam insignis patientiæ et devotionis in extremo morbo exempla reliquisset, perceptis Pœnitentiæ et Sacræ Unctionis Sacramentis, ad cœlestem patriam, ad quam tamdiu anhelaverat, felici morte evolavit, anno 1503, die 12 Augusti.

Hujus Vita manuscripta rudi admodum stylo exarata servatur in Cartusia Vallis Dei, ex qua hæc delibavimus.

MICHAEL NEGRETTUS

MONACHUS BONONIÆ

De Capugnano. Per vicem suam Sacramenta ministravit in xenodochio; ipse solus ex multis gratia donatus est, ut ex eo ad locum Cartusiæ proximum transferretur, ut ibi curari posset. Huic Sacramenta viriliter ministravit V. P. Hieronymus Rubeus, qui caute ac prudenter vitam suam posuit pro charitate erga suum amicum. Verum paulo post infirmus Michael sancte dispositus efflavit animam, anno 1630, die 12 Augusti; a publicis vespillonibus capsa lignea inclusus, sepelitur in nostro cœmeterio.

Fuit Sacrista diligentissimus; silentii, disciplinæ, supra quam dici potest, observantissimus; assiduus in Confessionibus excipiendis; laboris patiens; Deo dilectus ac hominibus, propter suam charitatem et humilitatem. Vere monachus, vere Israelita, simplex, rectus, vitam duxit irreprehensibilem.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

XIII DIE AUGUSTI

HUMBERTUS DE MONTCHENU

ARCHIEPISCOPUS VIENNENSIS

Ex Cartusiano ad hanc dignitatem assumptus; illam vitæ candore et innocentia morum exornans, e vivis excessit die 13 Augusti, anno 1390.

Ita testantur D. Hugo Buat in suo Indiculo Virorum illustrium nostri Ordinis; Nicolaus Molin in Historia ms. Ordinis; Theophilus Raynaudus in S. Brunone Stylita Mystico, puncto 10, § 6; Franciscus Ganneron in Vita B. Hugonis archiepiscopi Viennensis.

HENRICUS DE NULLEM

PRIOR CAPELLÆ

Patria Buscoducensis, ex illustri prosapia oriundus; relictis parentibus et sæculi delitiis, in Cartusia Parisiensi se se Deo per vota professionis consecrans, cum in hac eremo religiose conversatus fuisset, præfectus Cartusiæ Capellæ et Provinciæ Teutoniæ, magna fuit apud omnes in existimatione ob prudentiam et regularis observantiæ zelum. Vitæ cursum sancte absolvit, anno 1409, die 13 Augusti.

Catalogus Priorum hujus Domus. Necrologium Cartusiæ Parisiensis.

XIV DIE AUGUSTI

CÆCILIA

SUBPRIORISSA BRUGIS

Omni virtutum genere præcellens, Magistra Novitiarum instituta verbo simul et vitæ exemplo eas ad omnem observantiam regularem efformavit. Quæ, in extremis posita, cum ex bonis operibus repositam sibi coronam præstolaretur, inter has voces *Benedic anima mea Dominum,* placidissime expiravit, anno 1403, die 14 Augusti; sicque, quod anima vivens degustarat, etiam in ipsa separatione a corpore patenter demonstravit.

Ex Manuscriptis hujus monasterii ad nos transmissis.

ALPHARDUS DE HOLLANDIA

PRIOR MONICHUSEN

Professus Domus Monichusen, primum Prior Erfordiæ ac Visitator Alemaniæ Inferioris; vir pius ac benignus, ac magno rerum usu et experientia pollens, cujus opera Patres Ordinis usi sunt ad aliarum Domorum moderamen. Anno 1409 translatus est ad regimen Cartusiæ Monichusen, ubi transactis circiter sexdecim in hoc officio annis, confectus senio et laboribus pro Ordine susceptis, obdormivit in Domino, anno 1424, die 14 Augusti.

Ejus mentio fit in Chronico Cartusiæ Erfordiensis his verbis: « Iste D. Alphardus, verus amator Fratrum suorum, vir admodum pius ac benignus, et in re domestica curanda summe dexter, Siffrido suffectus est. Qui licet alienæ Domus filius et professus esset, filialem tamen prorsus ad hanc nostram gessit fovitque affectum; adeo ut Domum alieni onere æris prægravatam brevi reddiderit exoneratam. Ipse, durantibus debitis, novas nulli concessit vestes. Sermones in Capitulo diebus statutis habuit bonos et ædificatorios, quamvis simplices et minime concinnos aut doctos. Somnum post Matutinas laudes decantatas capiendum summopere suadebat, affirmans quoniam, etsi dormire non valeamus, membra tamen læsa et vires debilitatæ instaurantur. Qui etiam gravi aliquando adversa valetudine confectus Dei beneficio, cum jam pedetentim sanitati restitueretur, curiositate tactus, vultum suum contemplari voluit in speculo; sed en horribile visu! diabolum vidit in speculo, horribilem scilicet speciem quamdam sive faciem, qua plurimum territus, et pœnitudine facti ictus, omni reliquo tempore vitæ suæ dictam suam curiositatem querebatur, incusabat, damnabat.

« Sed heu! triennio vix elapso, Domui qui bene et utiliter præfuisset et fidelem se præbuisset alienæ, a suis hinc revocatus et electus in Priorem, Domui jam cogitur præesse et fidelem se se exhibere suæ et propriæ. Discessurus itaque, et Patribus plerisque discessum ejus ægre ferentibus, calidasque per genas largiter profundentibus lachrymas, dolorem eorum leniturus respondit: « Filioli mei, nolite flere, nam Deus providebit vobis de bono Priore; certissimum enim hoc est, quod boni monachi semper habent bonum Priorem. Mali autem et discoli nunquam habebunt qui eis placeat; necessario enim oportet fidelem et bonum Priorem illis disciplinas et pœnitentias pro excessibus imponere: ideo semper eum odio habent, licet sine causa. »

Hactenus Chronicon Erfordiense, ubi certum regiminis Alphardi tempus signavimus.

JOANNES DE WISCH

PRIOR VALLIS S. PETRI

Dictus de Teneremonda, olim Prior Vallis S. Petri, Gosnay et Siligniaci, et Visitator Picardiæ atque Burgundiæ; qui in palæstra virtutum Cartusiæ Capellæ B. Mariæ apud Angianum cum cæteris sanctis ejusdem ætatis eruditus, pietate in Deum et charitate in pauperes sic efferbuit, ut etiam vivens Sanctus ab omnibus diceretur, quamvis in abscondito faciei Domini tectus, vix luceret in oculis hominum : qui tamen ex scriptis, quibus Ecclesiæ Catholicæ gazophylacium ditavit, vellet nollet magis insplenduit.

Cum Priorem agebat in Domo Siligniaci, tanto in egenos ferebatur compassionis affectu, ut quotidie manu propria plusquam mille et ducentis pauperibus eleemosynam largiretur, quamvis concredita Domus tantis non sufficeret expensis; tantoque in calamitosos beneficio illustris, eos dietim pavit, et ne morerentur, servavit duorum inauditæ famis annorum spatio. Nec propter hoc in Domo Siligniaci, quamvis duplicatus fuisset conventus, grani cumulus decrevit; sed eadem grani quantitas in horreo comperta semper exstitit, imo et major apparuit.

Porro cum,ætate ad occasum vergente viribusque deficientibus, se se regimini Joannes imparem videret, ad suas instantissimas preces, anno 1487, exauctoratus a Capitulo generali, exoneratusque a Prioratu Domus Siligniaci, ibidem Angelicam vitam ducens, tandem ad eorum consortium evocatur, anno 1488, die 14 Augusti, relicta sanctitatis opinione.

Agunt de Joanne Trithemius, Possevinus, Sutor, Petræus, Chronicon Capellæ et Vallis S. Petri.

GUILLELMUS DE HALEWIN

PRIOR GANDAVI

Hujus monasterii alumnus, vir in sæculo dives, nobilis, et ob doctrinam multum spectabilis; unde admotus diversis muniis, ea obivit cum ingenti prudentiæ, dexteritatis ac probitatis laude. Primo etenim Gandavi Vicarium, postea Priorem egit; quo officio absolutus, anno 1475, monialium Brugis Procurator per generale Capitulum instituitur, ut eidem parthenio debitis gravato sua industria subveniret. Deinde præfectus Cartusiæ Vallis S. Petri, cum ab anno 1488 usque ad annum 1496 Domum hanc utiliter gubernasset, hanc sarcinam excutiens, cogitur per Ordinis Comitia Procuratoris onus in Cartusia Abbatisvillæ subire. Tandem se se recipiens apud moniales Brugenses, ibidem in silentio præstolaturus salutare Dei, de hoc monasterio, quod sua dexteritate a ruina vendicaverat, bene meritus, ibidem pie mortuus, an-

no 1500, die 14 Augusti, requievit a laboribus suis.

Chronicon Cartusiæ Gandavensis.

MICHAEL SERRA

VICARIUS MAJORICARUM

Catalonus Dertusensis ; adolescens jam virtutibus exornatus eximiis, anno 1490, die 29 Maii, Ordini nostro in Cartusia Scalæ Dei nomen dedit. Novitius jecit tam solidæ virtutis fundamenta, ut iis non fœnum aut stipulam, sed superædificaverit aurum, argentum et lapides pretiosos. Summa in eo relucebat pietas, qua orationi rerumque cœlestium meditationi vacabat assidue, silentii solitudinisque tenax. Divam Mariam Magdalenam solitariorum Patronam impense diligebat. Gloriosam Dei Matrem et ipse colebat unice, studebatque ut ab aliis coleretur, eosque ad id rosariis, quæ sæcularibus dabat, inflammabat.

Per biennium in Domo Scalæ Dei Procuratorem egit, et Vicarium in Domo Majoricarum. Unde redux ad locum suæ professionis, cellæ quieti redditus, ad patriam cœlestem in dies suspirans, ipso Assumptionis Beatissimæ Virginis pervigilio, ex hac vita migravit, anno 1537.

Annales Scalæ Dei, part. 2. Joseph de Valles in Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ.

ANDREAS DE AGUILAR

PRIOR DE COVIS

Alumnus Cartusiæ de Paulari, Religionis per Hispanias decus et ornamentum, vir morum integritate præstantissimus; datus Prior eidem Domui de Paulari, postea Granatensi, demum præfectus Cartusiæ de Covis, Domum hanc et Castellæ Provinciam, cujus erat Visitator, rexit magno cum plausu religiosi candoris, vitæ sanctitatis ac observantiæ regularis nomine commendatus.

Cumque omnigenis virtutibus floreret, præcelluit imprimis effusa in egenos compassione, quorum inopiam larga liberalique manu sublevabat. Hujus venerandi Patris eximiam charitatem Deus sibi gratissimam esse miraculo testatus est in hunc modum. Deficiente siquidem pecunia, quam Cartusiæ de Covis œconomus singulis mensibus Andreæ suppeditare solebat, præcipiebat nihilominus vir Dei Fratri Converso sibi ministranti, ut quidquid pecuniæ occurreret in arca erogaret pauperibus. Durus iste sermo erat Fratri, qui probe noverat funditus exhaustum esse sui Prioris marsupium; cujus fidem modicam Andreas increpabat. Nam juxta fidem præcipientis Deus ita suis benedictionibus adauxit Cartusiæ nummos, ut semper ad eleemosynas elargiendas suffecerint.

Vir hic insignis cum Religionis sta-

dium per quinquaginta duos annos inoffenso pede decurrisset, octogenarius, corruptibili hac carnis sarcina deposita, incorruptibilem, uti credimus, gloriæ coronam adipiscitur, anno 1567, die 14 Augusti, juxta Chartam Capituli generalis; quamvis Manuscriptum Cartusiæ de Covis referat ejus obitum ad diem 12 Augusti, et Catalogus Priorum Granatæ ad diem 11 Augusti.

ARNOLDUS HAVENSIUS

PRIOR BRUXELLENSIS

Hujus Elogium edidit quidam dicens ignorari de eo doctiorne fuerit an humilior, morum gravitate præstantior an animi tranquillitate hilarior; in quo certabat singularis illius prudentia cum simplicitate admiranda, fervor orationis cum operibus charitatis, adeo ut benefaciendi studio et scriptionis laude exteris sicut etiam suis esset amori ac honori. Ejus Vitam damus ex quodam Manuscripto quod habuimus e Cartusia Bruxellensi, cujus tenor talis est :

« Arnoldus Havensius Sylvæ Ducis in Brabantia natus, anno 1540, Societatis Jesu Institutum amplexus est, anno 1558, 10 Aprilis; in quo sic profecit, ut dignus habitus sit, qui decennio post Doctorali laurea insigniretur, ac Coloniensi Patrum collegio non multo post præficeretur. In quo munere cum egregiam navasset operam, totusque in eo fuisset, ut in orthodoxa Fide confirmaret civium animos qua voce, qua scripto ac omni genere officiorum; cumque totos septem et viginti annos in laudatissima ea functione consumpsisset, tactus tandem ab eo, qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum, decrevit aliquando sibi solique Deo secretius vacare, fixum habens semper illud in animo, quod a sapiente alio dictum est : « Nihil recte agimus, si, dum aliis indiscreta sollicitudine nimium servire volumus, nos ipsos posthabeamus et negligamus. » Et quod alius : « Si ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur. »

« Cum igitur assidue et attente ruminaret arcum Domini tensum, in quo vasa præparat mortis, et in quo sagittas suas effectibiles facit, dum in eos, quos per terrorem corrigit, accensus verborum sententias emittit; salubriter compunctus, et quasi irrevocabili vadimonio vadatus ad tribunal illud, in quo de omni verbo otioso reddenda est ratio, statuit ad silentiariam sedentariamque vitam Mariæ transire; nec aptior ulla, quam Cartusiana visa est, præcipueque Lovaniensis illa Piscina vastissimas porticus habens mœroris amicas et jucundi horroris plenas, ubi multi viri virtutum et magni nominis, orbe pererrato, conquievissent et felici catastrophe vitam terminassent. E quorum incitatus exemplo, veteres exuvias novis pannis paupertatis religiosioris commutavit.

« Ibi ipse, cui ætas adhuc integra, rerum experientia et rerum civilium usus contigisset, cœpit in silentio secum et cum libris otium pium dividere, nesciri velle et nescire, uni necessario Evangelico vacare, virtute juvenem, maturitate senem exhibere, arcanum cœleste profundius rimari, perpetuo ascensu mentis in Deum et jugi meditatione se vegetare, et quicquid homines labores vocant, suam naturam existimare. Ita vivebat secumque degebat in abscondito faciei Domini, et bene illi erat, cum lavaret pedes suos, pulvere prædicationis olim obsitos, butyro, et lampas illuminans oculos cordis luceret splendidissime in ejus tabernaculo.

« Remittebat aliis nomen Patris, contentus nudo nomine Fratris, ut qui sciret se ex uno eodem Religionis humilioris utero natum, communemque aerem haurire cum Fratribus suis. Nihil præ illis sibi sumebat, nec doctoris nec docti quidem viri, quo tantopere gloriantur homines, vel apicem unum; sed nec Confessarii : quod tamen nomen multi, ut honoris insigne venditare solent, et si multis aurem totam præbeant, tum vero, ut olim Romani de subditarum gentium vocabulis sumebant insigne adoptivum, ita plurimam speciem ab illis trahunt. Quem fastum cum detestaretur naturaliter, multo magis illustratus ex alto despuebat.

« Nec castigare mores juniorum (ut est apud Horatium) amabat, nec erat laudator temporis acti, se puero sciens multos sub alieno nomine suos increpasse morbos nec sanasse : veram autem illam censebat esse medelam, quæ non indignationem sed compassionem comitem haberet. Religionem quoque mundam eam apud Deum esse dictitabat, quæ prima ac præcipua sui significatione cultum Dei internum suique curam potissimam notat, non quæ strepitu externo metitur omnia, in quo sæpe major est apparatus verborum quam operum.

« Intimam porro conversationem cum Deo avidissime ambiebat, in qua super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectatur, Christum ferens in pectore, Christum gerens in mente, et omni tempore habitatori suo studens, consona jubilatione resonare laudes et gratiarum actiones decantare. Quæ omnia charismata gratiarum, mustei primi Novitiatus et proxime sequentes anni solent bene purgatis pectoribus ingenerare, abundantius autem in hujus viri capacissimo corde. Quam memoriam abundantiæ suavitatis condiebat beneficiorum perpetua confessione, non ignorans vere a Cassiodoro dictum : « Jugiter sibi subvenire facit Deum, qui præstitum beneficium ante oculos semper reducit; et meliora meretur suscipere, qui collata dona non probatur amittere. » Beneficium igitur beneficiorum interpretabatur vocationem suam ad tranquillum portum Religionis, juxta illud Psalmographi : *Non fecit taliter omni nationi.*

« Sed vere non est in homine via ejus: quod in hoc viro videre est. Siquidem hic tantus, qui se sponte nudaverat omnium favoribus mortalium, ut unum Christum lucrifaceret, dum se quiete sua frui posse putat, in omnem vitæ suæ reliquam ætatem, nunquam ita potuit abscondi, quin conspicua fieret virtus ejus, et extraheretur in lucem. Parendi necessitatem sibi voto solenni indixerat; ideo coactus est obsequi Majorum imperiis, qui per varia virtutem ejus distraxerunt officia, Vicarii, Œconomi, Prioris in variis Provinciis, Sylvæ Ducis, Lovanii, Leodii, Bruxellis, et Gandavi, et per Provinciam Visitatoris ac denique Diffinitoris. A quibus tamen omnibus vacationem quandoque accepit; tumque quasi sibi redditus, ad consueta pietatis, eruditionis et scriptionis exercitia revertebatur.

« Decessit ex hac ærumnosa vita, anno 1610, in Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ. Qui in extremis constitutus, dum visitaretur a quibusdam Abbatibus, et illi pro sua ad eum fiducia et familiaritate sciscitarentur ex eo, an mori paratus esset? respondit se vel ideo Religionem arctiorem intrasse, ut in hanc horam paratus inveniretur. Cæterum addidit se libenter hac vita defungi, ne mala videre cogeretur, quæ superventura prævidebat orbi Belgico. Præsagiebat enim fortasse, quæ jam videmus et dolemus ejus urbi natali supervenisse.

« Obiit autem, licet septuagenario major esset, adhuc validus et vegetus ad labores, qui ipsi ex officio incumbebant. Et si fas dicere, laboribus ipsis pro Ordine assumptis, sine sanguine martyr incruentus obiit. Cum enim inaudisset quasdam vicinas Domos ordinationibus Capituli generalis difficulter acquiescere, eo profectus est ut vel precibus vel imperio cogeret obedire : ex quo labore febres lethales ac mortem ipsam sibi conscivit. Felix qui tali clausula hujus vitæ ærumnas terminavit.

Agunt de Arnoldo Petræus in Bibliotheca Cartusiana, Athenæ Belgicæ.

XV DIE AUGUSTI

ASSUMPTIO BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

Quam in propriam et singularem Patronam Cartusienses peculiari ritu colendam susceperunt, et laudibus ac scriptis mirifice celebraverunt; cui et ob pacatam Cartusiæ montis austeram et inhabitabilem commorationem, et fugatam in multis Domibus tædiosæ solitudinis perniciem, quotidianum Of-

ficium de ea persolvunt, cum Officio nudo Missæ, præter Missam specialem et propriam, quæ ubique ad altare primarium ad ejus honorem dietim celebratur. Quam gratum vero illi tantæ devotionis fuerit obsequium, et quam benevola exinde in Cartusienses generaliter et singulariter fuerit, ex Historiis abunde elucescit.

Dorlandus. Platus, de Vita Religiosa. Franciscus Poiræus, de triplici Corona B. V. Mariæ; et Kalendaria B. Virginis.

DEDICATIO
S. STEPHANI DE EREMO

Facta in honorem Beatæ Mariæ et Sancti Joannis Baptistæ, ad instantiam S. Brunonis, Lanuini, et Rogerii comitis. Hujus vero consecrationis Instrumentum tale est:

« Anno Domini nostri Jesu Christi 1094, mense Augusti, Festo B. Mariæ assumptæ, Ego Alcherius Nic..... archiepiscopus Panormitanus consecravi ecclesiam istam in honorem Dei et B. Mariæ Virginis et B. Joannis Baptistæ, in præsentia Militensis, Tropiensis, Neocastrensis, Catanensis et Squillacensis episcoporum; una cum domino Rogerio comite Calabriæ, Adelaide comitissa, Magistro Brunone et Lanuino, et cæteris Fratribus assistentibus, et in præsentia bonorum hominum: qui omnibus vere pœnitentibus et confessis.... quadraginta dies de vera indulgentia pœnitentiæ relaxavit, Archiepiscopatus sui anno.....

† Ego Alcherius archiep. Panormit.

† Ego Tristanus Tropiensis episcopus interfui.

† Ego Angerius Catanensis episc.

† Ego Theodorus episcopus Squillacensis interfui.

† Ego Goffridus Militensis episcopus interfui.

† Ego Henricus Neocastrensis episcopus. »

Ex antiquis hujus monasterii Monumentis hæc excerpsimus.

NICOLAUS CUC
MONACHUS MAJORICARUM

Cum Serenissimus rex Aragonum Martinus Cartusiam in insula Majoricensi construere vellet, R. Pater Guillelmus Raynaldi, Cartusiæ Majoris Cœnobiarcha, delegavit, anno 1398, D. Berengarium de Camps et Nicolaum Robert patria Majoricenses, Vallis bonæ professos, qui locum explorarent, remque maturo tractarent consilio, quo quidem vel staret aut caderet. Appulerunt sat felici navigio ambo monachi ad insulam sub Decembris initium. Hos tota gens summo cum gaudio velut Angelos Dei suscipiens, eisdem perhumaniter exhibuit hospitalitatem. Sed imprimis propensissimus in nos affe-

ctus religiosissimi cujusdam sacerdotis vitæque sanctitate conspicui, nomine Nicolai Cuc, ecclesiæ Cathedralis presbyteri, se se effudit in Cartusianos. Nam cum multi certatim Patres Commissarios hospitio contenderent accipere, venerandus hic sacerdos præ cæteris isto, quem ambiebat, honore potitus est, dum Cartusiani apud eum diversati sunt.

Nec contentus his charitatis officiis, pro fundatione novæ Domus totas facultates suas tradidit; cujus exemplo nonnulli cives commoti, se se etiam beneficos erga Nostros exhibuerunt. Porro cum Nicolaus rebus terrenis se se expoliasset, arbitratus se nihil fecisse, nisi se etiam cum possessionibus suis manciparet Majoricensi Cartusiæ, primus ibidem vota professionis emisit; ubi, cum ad finem usque religiosissime perseverasset, in hac eremo fatis fungitur. Ejus obitus notatur in Charta anni 1429.

Ex Manuscripto fundationis Cartusiæ Majoricarum.

GODEFRIDUS TILMANNUS

MONACHUS PARISIENSIS

Doctrina, pietate ac religione celebris; post edita suæ eruditionis monimenta, in hac eremo animam efflavit, anno 1561 (non anno 1562), die 15 Augusti.

Petræus in sua Bibliotheca Cartusiana.

LUDOVICUS TELM

PROTOPRIOR SCALÆ DEI

Illerdæ in Cathalonia natus est Ludovicus, anno 1548, die 15 Augusti, ex honesta familia. Puer optimis a parentibus suis moribus imbutus, præclara ab ineunte ætate præludia edidit futuræ virtutis. Litterariis studiis addictus, utriusque Juris lauream adipiscitur. Vix autem vigesimum annum attigerat, cum, sæculo cum suis deliciis calcato, mundo major, Deo se consecrat in Cartusia Scalæ Dei, pridie solemnitatis Sanctorum Omnium, anno 1568, habitu Religionis donatus a V. Patre Michael Ferran Priore.

Vir fuit ad omnem virtutem compositus, nihil in ipsius moribus aut actibus nisi grave, nisi honestum elucebat. Nam Deum semper in conspectu suo providens, cogitabat in sensu illius circumspectionem; dimissis in terram oculis semper incedebat; cumque exterioribus rebus occupari cogebatur, his quantocyus expeditis, suapte natura in Deum revolvebatur. Inerat illi cordis humilitas, charitas in opere, in mente puritas, in carne castitas, pietas in pectore, parcitas in victu, in habitu simplicitas, in incessu modestia, in adversis patientia et longanimitas admirabilis, sedulitas in oratione, in vigiliis, jejuniis spiritualiumque exercitiis tanta perseverantia, ut modum et naturæ vires superare videretur.

In suæ conversionis primordiis quibus earum virtutum germina jamjam apparebant, fructum suo tempore productura copiosissimum, cum quatuor hominis novissima jugi meditatione recogitanda sibi proposuisset; in tantam animi devenit angustiam ex supremi judicii apprehensione horrifica, et mortis (malorum omnium terribilissimi) timore, ut ex mentis ac naturæ contentione nimia, sanguineo sudore manans, contraxerit dolorem capitis gravissimum. Hac infirmitate laborans, nihil tamen remisit de vitæ rigore et spiritualibus exercitiis. Cumque juvenis modum excederet, necesse fuit ut Superiores ejus fervori frænum adhiberent, ne tot mortificationibus impar brevi succumberet.

Aliquando secum reputans quid ad meditandum seligeret, adfuit ei Beatissima Virgo Maria sole pulchrior; quæ librum expandens, meditationes Passionis Sacratissimæ Christi Salvatoris illi proposuit. Hanc Beatissimæ Virginis Telmo factam apparitionem tabella egregie depicta demonstrat, quæ inter alias, quibus sacellum Deiparæ exornatur, appensa est; eamque, brevi perstringens epigrammate, quidam monachus aliquando celebravit his verbis :

Telmus Ilerdensis monachus pietate refulgens
Dum servire Deo plusque placere cupit,
En adstat Virgo : « Hunc, dixit, meditare libellum
Qui nati pandit maxima probra mei. »

Alius vero ejusdem monasterii alumnus fusius sequens decantavit Phaleucium :

Telmus mentis in arce dum revolvit
Summum jusve Dei, potentiamve,
Cujus judicium subire debet;
Vel quod perpetuo ignibus cremandum
Crimen mortiferum sit, aut piandum
Terræ in gremio, pavescit artus,
Et cor sanguineum exprimit liquorem
Quo perfunditur omne corpus ejus.
Multum læditur hinc salus, caputque
Languet corporis; hinc tamen parentum
Morbo saucia mens sibi medetur.
Nec cœpto a studio recedit ille
Summi Judicis ut timore crescat.
Ast Virgo Genitrix Tonantis alto
E Cœlo veniens, adest Magistra,
Et nostro monacho offerens libellum
Infit : « Pone metum, memor dolorum
Nati esto mei. Sit satis timori. »
Cor ardens charitas inungit ejus;
Infusamque olei suavitatem
Corpus participando (gratiarum
O ingens diluvium!) fit omne sanum.
Extra se rapitur (magis sui unquam
Compos ille fuit?) Maria namque
Cum dat munera, vi rapit suavi.

Hujus divinæ visitationis favor quales in Telmo sit operatus effectus, non est nostræ tenuitatis exprimere. Verum silentio minime prætereundum est, quod exinde erga Sanctissimam Virginem ejusque Filium suavissimo exarserit amoris incendio. Ejus namque cœlesti visione mirifice recreatus et magisterio edoctus, illa animi excussa perplexitate, superius ascendit, ad dulcissimam, videlicet Dominicæ Passionis contemplationem, ad quam incalescebat, et exæstuans mira volupe reficiebatur. Huic

exercitio toto pectore Ludovicus incumbens, se ipsum divinæ adaptabat operationi; unde melioribus charismatibus ita fuit a Deo adauctus, præsertim dono contemplationis, ut aliquoties orans corpore in aera sublatus, totusque splendore coruscans a quodam Religioso visus fuerit.

Prophetiæ etiam spiritu illustratus, multa prædixit quorum eventus vaticinii veritatem comprobarunt. Intimas etiam nonnunquam hominum cogitationes penetrabat, adeo ut nihil lateret Ludovicum. Porro interioris hominis pulchritudo foras etiam in Telmo erumpebat : cujus exterioris tam admirabilis erat compositio, ut cum aliqui sæculares hospites aliquando illum in choro conjunctum psallentibus conspexissent, non homini sed Angelo potius similem; tanto spectaculo stupefacti, pharmacopolium postea lustrantes, sciscitati fuerint a Fratre Converso, quisnam ille Pater esset in tali parte chori stans, cujus faciem splendidam viderant.

Defunctorum animæ purgatoriis addictæ flammis sæpe sæpius Ludovico apparebant, ipsius orationum suffragia expetentes; quibus pius Pater vehementer compatiens, tam ferventes preces apud iratum Numen fundebat, donec ille, lachrymis et sacrificiis Telmi placatus, eas educeret in refrigerium. Sicque multi a piacularibus pœnis soluti ope illius, ad Angelorum gaudia evolarunt. Inter quos fuit Æthiops quidam in Lusitania ad Fidem Catholicam conversus, servus perillustris Archiepiscopi Eborensis, Fundatoris Scalæ Cœli; qui post mortem meritas in Purgatorio pœnas luens expetiit ejus suffragia.

Impense colebat et diligebat Deiparam Virginem Mariam; cui amoris vices effuse Beatissima Virgo rependebat, quem sæpe suo dignabatur conspectu, eumque ad redamandum provocabat. Quantum autem apud Sacratissimam Virginem Ludovici orationes valuerint, patet ex hoc exemplo. Rogabat enixe Angelorum Reginam pro D. Vincentii Bru Novitii perseverantia in arrepto proposito, qui se precibus servi Dei humiliter commendaverat. Cui se videndam Virgo præbens, annuensque Ludovici votis dixit : « Hortare Novitium, ut bono animo sit, neque lacescat in Filii mei servitio. » Quibus verbis mire confortatus Vincentius, tyrocinii palæstram ita feliciter decurrit, ut post emissa professionis vota eremum hanc virtutum suarum radiis illustraverit.

Alter Novitius graviter tentatus a diabolo, ad sæculum redire cogitabat. Cujus rei conscius Jacobus Monlleo, Conversus Scalæ Dei vitæ sanctimonia conspicuus, Novitium rogat ut mentem suam Ludovico aperiat. Promisit ille, verum malo recrudescente, factus est transgressor promissionis. Licet enim ter e cellula egressus jam ostium præfati Patris attigisset, retraxit pedem, suggestioni Satanæ succumbens. Interim

bonus Frater Jacobus non despondens animo, ardentissimas preces pro Novitii perseverantia offert, ipsumque ad resistendum viriliter diabolo excitat; verum cum se surdo fabulam canere cerneret, saltem instantissimis precibus extorsit, ut ipsius nomine negotium Patri commendaret. Hunc Jacobus statim conveniens, ei miserum Novitii statum indicat. Iste jubet ut pergat juvenem tentatum salutaribus monitis confirmare, subjungitque se post triduum, Divina propitiante clementia, daturum responsionem. Interim Ludovicus Oraculum (Beatissimam Virginem intelligo) petit de Novitio. Cujus negotium per triduum eidem Cartusianorum Patronæ crebris et ardentissimis orationibus commendans, tandem affirmavit Dei voluntatem esse, ut Novitius a conatu laudabili non desisteret, utque, quæ retro sunt penitus obliviscens, se extenderet ad anteriora, pro brevi et momentanea tribulatione consolationem in præsenti, et in futuro abundantem accepturus retributionem. Quod et factum est; nam ille postea per triginta annorum spatia religiose in hoc monasterio conversatus, vitæ cursum feliciter absolvit.

Egressus fuerat quandoque Telmus extra Domus septa, animi relaxandi gratia. Licet hoc etenim interdum et expedit spiritualibus viris, præsertim cœnobitis, « ne perfecta separatio, inquit S. Nilus, dirumpat vinculum concordiæ, paulatim inducens oblivionem suorum inter se officiorum. Solet enim quæ est nimis intensa solitudo (nimis inquit, non discreta) mores efficere ingratos et agrestes, qui longa consuetudine dediscunt charitatis societatem et communionem. » Ea ut declinaret Telmus, socium sibi acciverat D. Vincentium Bru (pares enim cum paribus facillime congregantur). Colloquebantur ad invicem, non de vanis et sæcularibus; totum quod dicebatur animæ cibus erat, unde spirituales nutriebantur sensus; cum Beatissima Virgo adfuit in medio eorum, suosque servos visitare dignata est, diversimode tamen, Ludovico namque revelata facie se visibilem præbuit, Vincentio se negavit. Ille tantæ Dominæ gratissimo adventu aliquantulum turbatus, socium rogat, ut eat tantisper longius, rem ipsi dissimulans. Vincentius autem, quid agebatur suspicatus, prudenter mysterii veritatem detexit. Qua cognita ejusdem favoris sitibundus, « Ignoscat, ait, Pater mi, Deus hanc noxam. Cur non meam Dominam obsecrasti, quatenus me quoque servum suum licet immeritum, suæ participem faceret visitationis? » Cui Telmus: « Præstiti quidem, verum nequaquam hoc tuæ saluti expedire intellexi. » Felix Telmus, at non minus felix Vincentius! nam Virgineæ pulchritudinis visus denegatio, mira fuit erga eum dignatio.

Eisdem alio quodam die in cella de æterna Beatorum felicitate colloquentibus (singulare enim hoc donum ambo

acceperant a Deo, ut eorum colloquia recreationesque juxta formam in nostris Statutis expressam transigerent), adstitit eadem piissima Dei Mater, nostroque Telmo apparuit, non quidem amicta sole, nec luna erat sub pedibus ejus, aut duodecim stellarum præcincta diademate, sed sanctæ viduitatis vestimentis modeste ornata; non post multum temporis ad ea, quæ tamdiu concupiverat, gaudia ascensurum, servo suo prænunciavit.

Rem sic narrat D. Andreas Peroz, qui eam ab eodem Patre Vincentio Bru se accepisse testatur : « Deinde, inquit, non post multum temporis, cum ambo simul in cella de rebus æternæ patriæ confabularentur, Beata Virgo ut vidua cellam ingressa est. Qua visa Telmus turbatus est aliquantulum ob socii præsentiam; timebat enim ne rem perpendisset, et sua virtus et sanctitas detegeretur. Cui D. Bru ignarus mysterii, turbationem difficulter advertens, ait : « Quid habes, Pater ? » Qui respondit : « Nil novi est, noli mirari. » Sed quia hujusmodi visiones semper dona mirifica spiritualia animæ conferunt, ex consolatione ipsius ac dulcedine spiritus factum satis aperte cognovit, et postea ab ipso artificiose extraxit. Et D. Telmus ex ista visione instructus, addidit se non multo tempore victurum. Quod satis brevi temporis intervallo expletum est; nam post tres annos spiritum Deo reddidit in Cœlis perenniter regnaturum. » Hæc ille.

Tam eximius Beatissimæ Virginis cultor non minori erga augustissimum Altaris Sacramentum ferebatur affectu devotionis. Quapropter a festo S. Lucæ anno 1572, quo die primam Missam celebravit, ad extremum usque vitæ finem, nisi legitime præpeditus, contrito semper et humili corde Divina Mysteria peregit magna cum utriusque hominis puritate. De exteriori quidem illud notatu dignum est, quod eo graviter sanguinis fluxu laborante, medicus clam eoque inscio, spurcam medicinam (pax sit naribus) stercus videlicet asininum parare volens, animal adduci jubet : quod per diem et noctem stabulo alligatum, illud quod præstolabatur medicamentum non dedit, aliudque ægroto propinare necessum fuit. Reque dicto Patri renunciata, respondit : « A Domino factum est istud; indecens enim erat ac indecorum, os Sacratissimam Eucharistiam manducare, et pretiosissimum Jesu Christi Sanguinem bibere assuetum tam immundo coinquinari medicamine. »

Cordis vero illius puritatem mentis excessus, quos sæpenumero inter sacrificandum patiebatur, manifeste testantur. In eis autem Deus quædam occulta ei revelabat. Unde aliquando (secunda videlicet die Capituli generalis anni 1587) hora nona Missam celebrabat; dictoque Sacrosancto Evangelio, super Missale insolitum dedit signum. F. Jacobus Monlleo ejus minister, qui id observaverat, peracto Sacro, num

male se haberet sciscitatur. Cui Telmus : « Jam liberatus sum, inquit, a molesta hujus Domus regiminis sarcina (erat tunc Prior Scalæ Dei); sed alibi mihi manent tribulationes. »

Dictum factum; nam per Chartam Comitiorum Ordinis præfati anni 1587 mittitur ad Domum Eborensem in Lusitania. Talis autem est tenor Chartæ : « Priori Domus Scalæ Dei a Reverendissimo Archiepiscopo Eborensi vehementer desiderato et enixe postulato pro incremento Ordinis et fundatione novæ Domus in regno Lusitaniæ fit *misericordia;* cui committimus delectum monachorum illuc deducendorum, quorum unus erit Procurator, alii vero claustrales, duorum etiam Conversorum, ex quibuscumque Provinciæ Cathaloniæ Domibus; quibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut obediant dicto Priori novæ Domus Lusitaniæ, etc. »

Quantum vero Ludovicus novæ huic plantationi profuerit, quantumque Archiepiscopo Fundatori gratus extiterit, constat ex Chartis nostris capitularibus. Hæc autem leguntur in Charta anni 1588 :

« Novam plantationem Domus Scalæ Cœli ab Illustrissimo et Reverendissimo Archiepiscopo Eborensi Primate Lusitaniæ fundatam, grataanter recipimus et incorporamus Ordini nostro, et adjungimus illam Provinciæ Cathaloniæ, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Gratias insuper illi habentes de optimo in hanc Majorem Cartusiam affectu. Rogamus vero ut velit sua pietate revocare ea, quæ in litteris fundationis contra Ordinis nostri libertatem, jura et privilegia, ex fervore spiritus observari in dicta sua nova plantatione desiderat, plura repensuri in illius favorem, subsidium animæ et perpetuam futurorum sæculorum memoriam. Eapropter concedimus ex gratia speciali, ut duæ Missæ antea per eum fundatæ a monachis nunc existentibus et futuris in posterum celebrentur: e quibus unam assignamus Missam de Beatissima Virgine Maria in majori altari quotidie celebrandam, et alteram pro devotione ipsius; cum parum sit conveniens sacerdotes sæculares in subsidium nostrum evocare. Et præficimus in Priorem dictæ Domus D. Ludovicum Telm professum et propterea a Domo Scalæ Dei absolutum ; quem hortamur, ut quod bene incœpit, in finem percipiat solidetque. Quin etiam, pro Ordinis decore et incremento, omnimodam illi impertimur Capituli generalis authoritatem recipiendi quascumque Domos, quas pii et devoti viri obtulerint, et convocandi monachos ex quacumque Provincia illuc mittendos cum pace Visitatorum et sua. »

Quæ autem in litteris fundationis inserta fuerant contra Ordinis libertatem, ansam præbuerunt nonnullis malevolis scribendi summo Ordinis nostri Ministro, Ludovicum nostri juris ignavum hoc in negotio fuisse propugnatorem.

Patienter id tulit vir innocuus, se seque Reverendo Patri modestissimis verbis purgans, sic eum per epistolam alloquitur :

« Hoc animi mei gaudium et cordis jubilum temperavit et moderata est aliquantula turbatio ex eo orta, quod vestra Reverenda Paternitas in suis litteris scribit : videlicet, quod debueram nonnullis ordinationibus et conditionibus in contractu Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi appositis obsistere, et dissentire, sicut in duabus Missis quotidianis feceram; et quod non solum non restiterim, verum etiam eidem Illustrissimo ac Reverendissimo D. Archiepiscopo suggesserim, ut id efficeret, et in contractu prædicta apponeret. Quod quam aliter factum sit, testis est conscientia mea, quæ, si talibus consensissem, non mediocriter coram Deo inquietaretur et gravaretur. Verum cum in hac parte nihil mihi conscius sim, laudo et gratias ago Deo meo, qui me in iis, quæ mihi objiciuntur, probari et purgari permittit, cum longe aliter se habeant quam vestræ Reverendæ Paternitati retulerunt. Instavimus, quantum potuimus, cum Domino Archiepiscopo, et noluimus ullo modo consentire. Tandem nihil aliud obtinuimus, nisi illud, quod Missæ a laicis sacerdotibus dicerentur. Ne autem scandalizaretur, in hoc demum nos subscripsimus, ut totum hoc negotium Reverendo Patri et Capitulo generali relinqueretur. »

In Charta Capituli generalis anni 1589 hæc signantur : « Priorem Scalæ Cœli hortamur et rogamus magis ac magis satisfacere devotioni et liberalitati Illustrissimi Principis Archiepiscopi Eborensis Reverendissimi, ejusdem Domus fundatoris et dotatoris munificentissimi et ferventissimi, utpote ab eo præ cæteris electum et dilectum. Cui præterea Illustrissimo Principi delegamus Priorem Vallis Christi, Provinciæ Visitatorem, ut nomine Ordinis eidem humillimas gratias agat pro tanta in se benevolentia; resciatque si quid amplius velit a nobis suis perpetuis Oratoribus; animet insuper Priorem, suos coadjutores, fratres nostros, ad perseverantiam in labore religioso exemplarique conversatione; a qua item Domo nullus emittatur aut admittatur, nisi prius consentiente eodem Illustrissimo Principe. »

Mire laudat monachos Scalæ Cœli Charta capitularis anni 1590, dum dicit « Patres nostros ibi degentes factos esse formam Cartusiani propositi futuri omnibus Domibus, quas Deo et Ordini parere gestit illud inclytum Lusitaniæ regnum. »

Item anno 1591 in Charta Capituli perhonorifica Ludovici fit mentio in hunc modum : « Priorem Domus Scalæ Cœli ad hujus officii patientiam plurimum exhortamur, utpote habentem bonum ab omnibus suæ religiosæ conversationis testimonium, maxime ab Illustrissimo et Reverendissimo D.

Archiepiscopo Eborensi, amplissimo fundatore et dotatore dictæ Domus, in hæc verba : « Intelligo Patrem nostrum Priorem a te postulare, ut a Prioris munere absolvatur. Id Cartusiæ nostræ nequaquam expedit, neque equidem ullo modo feram, qui illius religionem, virtutes, pietatem et multas alias animi dotes perspectas habeo. » Quem et ejus Conventum rogamus, ut ea, qua cœperunt, quotidie proficiant observantia pro Dei honore, etc. »

Nec immerito sane Patres Ordinis sic Ludovicum extollebant. Vir etenim erat omni laude major, cujus prudentia elucebat in delectu monachorum hujus novellæ plantationis; æquus siquidem meritorum ponderator, neminem secundum carnem et sanguinem noscens, ad hanc eremum eos tantum advocabat, quos orationi, sensuum mortificationi addictiores intelligebat. Unde omni sanctitate florebat Domus sub Ludovici moderamine, in quem, tanquam magnarum quoddam virtutum speculum, omnium tum domesticorum tum sæcularium virorum oculi convertebantur.

Cum igitur se se bonorum operum exemplar præberet, vir aliunde doctrina atque admirabilis ingenii prudentia pollens, ferventissimis hortationibus monachos ad virtutes sectandas, ad æmulanda charismata meliora, ad regularis observantiæ praxim, ad mutuam charitatem, ad rerum terrenarum contemptum, ad silentii solitudinisque custodiam, ad studia rerum divinarum capessenda provocabat. De his luculentum perhibent testimonium conciones illius quæ etiamnum in cellula Prioris Scalæ adservantur; in quibus emicat ejus eloquentia, et observantiæ zelus dignoscitur : minutissimas quippe observantias in se et in aliis præcavere satagebat.

Eodem zelo Confessiones sui Fundatoris in sua diœcesi residentis excipere renuit, Statuti scrupulo (ut ipse loquitur) quo cavetur ne in Domibus novis Confessiones sæcularium audiantur. Super quo R. Patrem consuluit. In hac autem et similibus consultationibus dispensationem aut licentiam absolute non postulabat; sed re proposita pro qua scripserat, quid sibi faciendum magna cum animi resignatione humiliter responsum expectabat.

Interea morbis quibus sæpe laborabat ingravescentibus, medicorum consilio, et D. Archiepiscopi Eborensis suasu et expensis, Ulyssiponem venit recuperaturus sanitatem : quod Deo inspirante procul dubio factum est. Ibidem, ubi frequentissimus est diversarum gentium affluxus, mirabilem suæ religiositatis emisit splendorem. Unde apud omnes, præsertim Magnates ac summos regni Moderatores, in maxima erat existimatione simul et amore, ita ut eorum nonnulli novam in ea civitate Ordinis Domum fundandam sibi proposuerint : quod tandem postea, Deo rebus nostris favente, ac obstetricante Ludovici industria, impletum est.

Recuperata sanitate, statim ad Eborensem Cartusiam rediit, et quasi honoris impatiens quo a suis exceptus fuerat, mente frequenter versabat, quomodo Prælaturæ onus simul et honorem abjiceret : quandoquidem imbecillitatis humanæ bene conscius non ignorabat animarum regiminis periculum, quo latere potius in abscondito faciei Dei, quam lucere malebat vir humillimus. Narrant, quod antequam Prioris officio admoveretur, fuerit visus a quodam Religioso spectatæ sanctitatis ex fulgentissimo quasi aureo diademate coronatus; aliis vero postea præfectus, argentea tantum corona redimitus apparuerit : ac si per hoc sibi aperte innotesceret, majoris esse meriti apud Deum subesse quam præesse. Unde totis viribus a Reverendo Patre suam exauctorationem exposcebat.

Quapropter, anno 1592, tandem aliquando voti compos factus, tale responsum obtinuit a Comitiis generalibus : « Priori Domus Scalæ Cœli ad suam magnam instantiam et ad levamen tot infirmitatum suarum, accedente etiam gravi testimonio Illustrissimi et Reverendissimi Archiepiscopi Eborensis, amplissimi dictæ Domus fundatoris, fit *misericordia;* et præficimus in Priorem, etc. Et Prior absolutus vel eligat sibi Domum salubriorem et commodiorem recuperandæ suæ sanitati ad formam Statuti, vel maneat in dicta Domo pro consilio ejusdem Reverendissimi Archiepiscopi. »

Hujus quidem obtenti beneficii gratulatoria ad R. Patrem data apud Patres Scalæ Dei extat epistola, cujus fragmentum subjicio; ex quo patet Ludovicum prosperis hujus sæculi, dignitatibus videlicet et honoribus, ex sola jussione militasse. « Ex Charta, inquit, Capituli generalis proxime elapsi mihi innotuit absolutio ab officio tamdiu a me desiderata. Quæ sane quam grata et jucunda mihi fuerit, vix verbis ullis effari possum. Cum enim me imperfectionibus obrutum conspicerem, quomodo aliis perfectionis exemplar et speculum fieri poteram, quod præcipuum est Prælati munus ? Nam ut sapiens ait : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Et ut apostolus Paulus testatur : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Vere ex animo dicere possum : *Digitus Dei est hic.* Quare V. Reverendæ Paternitati ingentes et immortales refero gratias, qui me a tam gravi onere eripuit, et a nimiis externarum rerum curis spiritum meum opprimentibus me abduxit et amovit, quo verius et perfectius profectui meo spirituali incumbere et insudare possim. » Hæc ille.

Denegato sibi ad Domum suæ professionis regressu (tanti etenim itineris laborem sustinere non poterat, cum tot tantisque corporis infirmitatibus premeretur, ut jugiter lectulo affixus decumberet, velut alter Job in sterquilinio jacens testa radens saniem), remansit in Domo Scalæ Cœli. Quantum vero in

morbis emicuerit patientiæ virtus (quæ perficitur in infirmitate), testes sunt quotquot pium Patrem tanquam aurum in fornace tribulationis purgatum invisebant. Flagrabat interim semper desiderio remeandi in Cathaloniam. At Eminentissimus Lusitaniæ Cardinalis, necnon Illustrissimus Eborensis Archipræsul, aliique quam plures hujus regni Proceres, in tanta veneratione Ludovicum habebant ob egregias ejus animi dotes, ut omni studio et industria navaverint operam ne discederet e Lusitania. Quapropter per D. Vincentium Bru tunc Vicarium Scalæ Cœli re significata Reverendo Patri, expetita licentia pro reditu in patriam suam, ad Dei gloriam, Ordinis incrementum et postulantis meritum ei sæpe denegata fuit.

Tractabatur interea ab Illustrissimis Lusitaniæ Magnatibus, Reverendissimo præsertim agente D. Georgio de Atayde, episcopo Visensi, Catholicæ Majestatis Philippi II majori Sacellano, negotium novæ Domus in civitate Ulyssiponensi erigendæ. Unde anno 1594 noster Telmus per Capitulum generale, cum plenaria Ordinis authoritate sibi delegata novas Domos eo in regno ædificandas acceptandi, et quascumque personas Ordinis, Officialibus duntaxat exceptis Provinciæ Cathaloniæ, evocandi, illuc transmissus est. Ubi dum moraretur, a celebri quodam viro visitatus, solusque in cellula inventus, ab eodem, quidnam tunc in eo secessu actitaret, interrogatus : « Custodio, inquit, hos parietes ob amorem Domini mei Jesu Christi. »

Stabilita autem hac Ulyssiponensis Cartusiæ fundatione, licentiam tandem suæ professionis Domum repetendi obtinuit cum ingenti consolatione. Verum antequam se ad iter accingeret, regni Primatibus valedicens sine eorum assensu abire noluit. Cum bona igitur Ordinis amicorum venia recedens, ex mandato R. Patris pertransiit Castellam, Domum de Caçalla et cæteras utriusque Provinciæ visitaturus.

Ingrediens igitur Caçallæ monasterium, ad socium conversus ait : *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ad hæc verba subrisit itineris comes, bene etenim valere videbat Ludovicum. Ille interim absolvit Visitationis opus. Cumque ad abeundum se præpararet, morbo corripitur, quem extremum longe ante collegæ suo præsagierat. Gravius ægrotare cœpit; mente igitur Sacramentis expiata, crebrioribus suspiriis, orationibus, uberrimisque lachrymis adventum Domini præstolans, natus in festo Assumptionis, in eadem Solemnitate, anno 1598, denascitur Deo victurus in æternum.

Vita ejus manuscripta et Joseph de Valles referunt ejus obitum ad hanc diem Augusti 15. In Charta autem Capituli generalis signatur ad diem 16 hujus mensis.

Non est vero prætereundum, quod eximias istius virtutes, vitæ merita et

egregiam sanctimoniam præpotens Deus pro sua sapientia evidentissimo argumento ac testimonio comprobare dignatus sit. Nam V. P. D. Vincentio Bru, tunc Domus Scalæ Dei Priori, podagra laboranti, cum ob urgentem Domus necessitatem R. D. Andream Capella Urgellensem episcopum adire cogeretur, nec posset, ea præpeditus ægritudine; Telmus noster, qui jam ante aliquot annos mortuus fuerat, in somnis apparuit, pedumque infirmitatem basesque consolidavit, ita ut podagræ morbus nullum dolorem nullamque molestiam prædicto Priori intulerit amplius. Quæ tanquam certissima ab eodem, cui contigerunt, Patre relata, teste utique omni fide dignissimo, ab aliis tamen litteris commendata huc inserenda duxi. De eodem præfatus Vincentius, qui arcana cordis ejus longa usus consuetudine penetraverat, dicere solebat: « O si noverint homines, quemadmodum et ego, Telmi puritatem! Heu! quot et quales divinæ gratiæ thesauros refudit in eum divina Sapientia! Jam fortasse in Sanctorum Albo esset conscriptus, si alumnus extitisset alterius Religionis. »

Hujus venerandi Patris Vitam Latine descriptam nobis submisit bonæ memoriæ V. P. D. Joseph Illa, Prior Montis hilaris et Cataloniæ Visitator, cujus stylum interdum mutavimus. Nonnulla etiam excerpsimus e Vita Hispanico idiomate exarata a Josepho de Valles.

XVI DIE AUGUSTI

JOANNES DE LINGONIS

PRIOR NOVIOMI

Vir ob pietatem, zelum Ordinis, prudentiam ac diuturnum regimen commendabilis; postquam plures annos in Prioris et Visitatoris officio transegisset, de Ordine bene meritus ad vitam meliorem abiit, anno 1417, die 16 Augusti, juxta Necrologium Cartusiæ hujus Domus. In Charta Capituli generalis ejus obitus signatur ad diem 17 Augusti.

JOANNES MICKEL

PRIOR BUXIÆ

Patria Augustanus; alumnus hujus monasterii et Vicarius, vir ad regimen animarum natus; unde anno 1495, die 2 Januarii, electus in Priorem, tantis tamque molestis afflictus fuit morbis, ut, cum se prorsus imparem officio cerneret, ad suas instantissimas preces, anno eodem, die 29 Septembris, a Visitatoribus suam obtinuerit absolutionem

non sine ingenti monachorum doloris sensu : eum quippe tanquam Patrem et verum Pastorem diligebant et venerabantur. Post absolutionem, circa annum 1501, cum V. P. Balthazaro Brigelia Horti Christi Priore et Visitatore ad Domum Boni lapidis profectus, ibi secundam professionem emittens, ibidem etiam emisit spiritum, anno 1508, die 16 Augusti. Fuit haud vulgari doctrina, pietate ac morum integritate spectatissimus.

Ex Chronico Cartusiæ Buxiæ.

JACOBUS FRADIN

PRIOR CATURCI

Andegavensis, ex nobili prosapia oriundus, dominus de Malemouche. Sæculo valedicens, in hoc monasterio fuit habitu donatus a venerandæ memoriæ Amantio Fabri Priore; a quo ad omnem observantiam regularem efformatus, officium Vicarii egit, Richardo Beaucousin tunc Cadurcensem Cartusiam moderante. Per id temporis Jacobi virtus diversimode probata clarior evasit, præsertim autem singularis charitas, qua ferebatur in ægrotos. Post Richardi mortem in ejus locum suffectus, cum insigni morum affabilitate et mansuetudine præditus esset, primo factus est Convisitator Aquitaniæ; deinde, Bertrando Chalup Priori Tolosæ et Visitatori Provinciæ ad meliorem vitam translato, Jacobus ob eximias animi sui dotes in utroque officio successit. Promotor fuit Cartusiæ Burdigalensis. Cumque ad novæ Domus Molinensis fundationem delegatus fuisset a R. Patre, Biturigis morbo correptus, extremum diem clausit, anno 1623, 16 Augusti, sepultus in Abbatia S. Sulpitii.

XVII DIE AUGUSTI

JOANNES

NOVITIUS DE CAÇALLA

Ex illustri prosapia oriundus; spretis sæculi deliciis, vix decurrebat Religionis palæstram, cum ad metam feliciter pervenit. Correptus etenim extremo morbo, in extrema pariter salutis linea constitutus est. Invisit interim Novitii pater, vir nobilis et dives, ægrotum, quem precibus instantissimis iterum atque iterum rogat, ut sibi consulens ad paternas ædes deferatur, quo facilius a morbo possit sanari. Verum propositi tenax Novitius obsurdescens ad parentis voces dicebat : « Malo millies, pater mi, hoc in sordido palearum strato vitæ cursum absolvere, quam domi tuæ deliciis affluens illam producere. »

Cumque jam instaret ei dies ultimus, jamjamque animam ageret, cantilenam Hispano sermone ab eo compositam modulari cœpit eo cum mentis jubilo, ut totus amore divino incalesceret. Illo igitur sacro igne exæstuans, cum ejus vehementiæ impar esset, natura inter charitatis flammas deficiente, spiritum Deo reddidit, circa annum 1508.

Habebat Novitius fratrem puerum in domo patris sui, qui oculos perdiderat. Ipsa autem die et hora, qua Novitius expiraverat, cæcus clamavit voce magna : « Ecce video, video certe, benedictus Deus, video profecto. » Interrogatus autem a patre et a sororibus quid cerneret : « Video, inquit, fratrem nostrum Joannem Cartusiensem, aspectu pulcherrimum, splendore coruscum : videte quam decorus per aera ascendat, egreditur albo colore pallioque nigro vestitus, formosus nimis, manuque annuit et invitat ut eum præeuntem subsequar. » Obstupuerunt omnes, rei perculsi novitate. Interim puer levi febre correptus, post triduum placide defunctus est.

Ex Mss. Cartusiæ de Caçalla.

XVIII DIE AUGUSTI

LAMBERTUS

EPISCOPUS MAURIANENSIS

Ex monacho Cartusiano ad hanc evectus dignitatem, hanc non solum eximia eruditione, sed insigni pietate exornavit; fatis fungitur anno 1198.

Gallia Christiana. Indiculus Cartusianus.

SEBASTIANUS

CONVERSUS PONTINIANI

Qui per multa temporis spatia strenue laborans, rebus externis occupatus, nihil unquam de hominis interioris cura remisit; adeo ut semper sollicitus circa sui custodiam, non minus sancte quam utiliter sibi et aliis vixit. Bonorum operum mercedem recepit anno 1411, die 18 Augusti, juxta Chartam Capituli generalis anni 1412; ubi Elogium ejus, quod nemini hactenus concessum fuerat, perhonorifice describitur.

HENRICUS ROYE

SACRISTA BRUXELLENSIS

Patria Bruxellensis; per vota professionis, anno 1470, die 17 Novembris,

inter ascetas hujus Cartusiæ annumeratus, singulari devotione et spiritus fervore in divinis Officiis persolvendis excelluit. Cumque usque in finem perseverasset, ad meriti cumulum, per triennium circiter ante mortem tantis calculi dolorum aculeis cruciatus est, ut diuturno quasi martyrio hoc consumptus occubuerit, anno 1525, die 18 Augusti. Vixerat in Ordine plusquam 56 annos.

Chronicon Cartusiæ Bruxellensis.

JOANNES BAPTISTA PISANTIUS

PRIOR NEAPOLIS

Professus et Prior hujus cœnobii et suæ Provinciæ Visitator; multum charus R. Patri Justo Perrot, qui Joannem vocabat virum vitæ integerrimum. Nec immerito; moribus siquidem erat præditus candidissimis, justitiæ tenax, pro qua multos sustinuit labores. Multas peregit Visitationes, etiam extra suam Provinciam, semper tamen oleæ ramum in ore ferens, pacem et tranquillitatem spargens monachis. Ob illibatam conversationem, virginitatis laureolam, ut pie creditur, promeritus in Cœlis, ad beatam immortalitatem migravit, anno 1645, die 18 Augusti, juxta Chartam capitularem et Catalogum Priorum hujus Domus.

NICOLAUS MOLIN

PRIOR SYLVÆ BENEDICTÆ

Hujus Elogium nobis submisit D. Hugo Buat Coadjutor Siligniaci, vir in rebus nostris versatissimus, cujus verba hic subjicimus :

« D. Nicolaus Molin Suessionensis ex Benedictino professus Cartusiæ, die 1 Junii festo Sanctissimæ Trinitatis, anno 1586. Prior Sylvæ Benedictæ et Visitator Provinciæ Burgundiæ, alias Prior Vallis S. Hugonis et Vallis S. Mariæ; religiositate et gravitate venerabilis, et amabilis affabilitate; Officialibus in Visitatione terribilis, Religiosis benignus et misericors; Episcopatum ab Henrico IV Rege Francorum oblatum humiliter respuit; persecutiones quasdam pertulit magnanimiter ac contempsit. Ne otiosus videretur, quamvis idiomate Latino rudis, conscripsit aliquos Tractatus, sicut et Historiam Ordinis et Epitomen Annalium Baronii. Tandem senio gravatus, ex hoc sæculo migravit, 18 Augusti, anno 1638.

« Post ejus obitum D. Emmanueli Pivard per mensem singulis noctibus visibiliter apparuit : cellam ingressus in oratorio *Ave Maria* dicebat, deinde per cellam deambulans, postea egrediebatur. Hæc præfatus D. Emmanuel retulit D. Vicario, qui despexit omnia quasi fabulam; sed credidit postea. Emmanuel enim dixit præfato D. Molin : « Domne Prior, D. Vicarius ridet

et me irridet, quando de apparitione tua ipsum alloquor. Rogo te, ipsum visita. » Quod et fecit. Apparuit aliquot adhuc diebus dicto Pivard, qui tot visitationibus fatigatus, dixit tandem : « Domne Prior, si in aliqua re te offendi, propter Deum ignosce mihi. Si vero me offendisti, Dominus noster Jesus Christus tibi ignoscat, sicut tibi ex toto corde ignosco. » Exinde postquam inclinasset caput, non est reversus. Hæc mihi retulit præfatus D. Emmanuel Pivard comprofessus meus, et confirmaverunt qui in Domo tunc habitabant. » Hactenus Hugo Buat.

Nicolaus vulgo dicebatur Rituale Ordinis Cartusiensis. Maxime vero circa chori et claustri debita erat ita pervigil et providus, ut vel pulicem coclitem, ut aiunt, deprehenderet.

XIX DIE AUGUSTI

GUIGO

EPISCOPUS AUGUSTENSIS

Prior Cartusiæ Majorævi, tanta pollebat apud Humbertum comitem Maurianensem gratia, ut Comes ad Guigonis instantiam Cartusiam Allionis fundaverit. Assumptus postea ad gubernaculum Ecclesiæ Augustensis, virtutum omnium exemplar vivum se præbens, animam efflavit anno 1190.

Catalogus Priorum Majorævi. Indiculus Virorum sanctitate illustrium Ordinis Cartusiensis.

JOANNES

PATRIARCHA ALEXANDRINUS

Joannes ab Aragonia, Jacobi II Regis et Blancæ tertius filius, nascitur anno 1301. Cum autem a teneris illius annis in eo semina virtutum apparerent, a Patre famulatui divino consecratus, et Clementi V Summo Pontifici oblatus, multis ab eo dignitatibus et ecclesiasticis Beneficiis, anno 1311, die 3 Junii, decoratur et ditatur. Anno 1317 a Joanne XXII, Clementis successore, fit Abbas Montis Aragonum prope Oscam in regno Aragoniæ.

Dum Infans non minus pietate quam doctrina præcelleret, anno 1316, in locum D. Guillelmi de Rocaberti, archiepiscopi Tarraconensis, mortui, a Capitulo Cathedralis ecclesiæ suffectus fuerat ; cujus tamen electioni Joannes XXII refragans, ad hanc dignitatem evexit D. Eximenum de Luna, præsulem Cæsaraugustanum. Interim cum virtuti præmia debeantur, Deus tantum Principem de Ecclesia benemeritum debitis remuneravit honoribus; anno

etenim 1318, vacante Toletano Archiepiscopatu, cum vix septimum decimum ætatis annum attigisset, a Capitulo ad hanc Sedem assumptus fuit. Consecratus est anno 1320 in urbe Illerdensi ab Eximeno de Luna Tarraconensi, et Petro de Luna Cæsaraugustano archiepiscopis.

Per decennium Infans Ecclesiæ Toletanæ Pastor vigilantissimus magna cum charitate, zelo et justitiæ amore præfuit. Verum quia Deo erat acceptissimus, variis pœnis tribulationibusque exagitatur; inter quas mentem semper æquam servans, se se patienter constanterque gessit. Exortæ quædam dissensiones inter utrumque Castellæ et Aragoniæ Regem has tempestates excitaverunt. Unde cum Castellano suspecta esset fides ac integritas Archipræsulis Toletani, qui Castellæ Cancellarii perhonorificum munus obiens, sigilli *Puritatis* nuncupati custos erat; Rex ipsi Magistratum hunc abrogans, jussit, ut signum Tabularium traderet Garciæ Lasso, magno Castellæ Senescallo. Interea Summus Pontifex Principum discordias sedare satagebat: sed frustra. Quapropter Infans e curia Castellaque discedens, Regis patris sui interventu, factum est ut Toletanum Archiepiscopatum Tarraconensi mutaret, adjuncta Patriarchæ Alexandrini appellatione.

Anno 1324, Joannes se Toletano Archiepiscopatu abdicans, Tarraconensis Sedis administrationem, anno 1327, suscepit. Quo triennii spatio, sæculo valedicens Institutum Cartusiense sectatus est in monasterio Scalæ Dei. Cum autem Patrum incuria penitus exciderit ejus professionis memoria, luculentum de hac re testimonium perhibet Charta capitularis anni 1333, quæ sic injungit : « Orabitur pro Reverendo in Christo Patre D. Joanne, sanctæ Alexandrinæ Sedis divina Providentia Patriarcha, Ordinis nostri. » De quo rursus fit mentio in Charta anni 1334 his verbis : « Domino Patriarchæ Alexandrino Domos nostri Ordinis in illis partibus (videlicet Cathaloniæ) constitutas humiliter commendamus. »

Rebus igitur divinis Joannes jugiter vacans in hac solitudine, se seque humilitatis, pœnitentiæ mortificationisque perfectissimum exemplar exhibens, ex amica vitæ contemplativæ quiete, a Pontifice Romano ad Tarraconensis Ecclesiæ moderamen evectus est.

Humeros oneri Princeps supposuit, totum se Dei et aliorum famulatui mancipaturus. Apparuit mox quantam Christi flammam in pectore aleret : cujus præconiis nocte dieque celebrandis, instruendæ plebi, alendis pauperibus, tuendis viduis, levandis oppressis, monendis et reducendis ad rectam viam deviis quibusque, sedulus invigilabat. Jejuniis tantum deditus, quantum eleemosynis profusus; carnem macerabat flagellis. At cinctum lupis ovile cum strenue tueretur fidus Pastor, multis se persecutionibus objecit : dum collapsam ecclesiasticam disciplinam volens

in integrum restituere, in se Cleri odium excitavit. Verum solo Domini exercituum zelo zelatus, victor, patientiæ invictæque fortitudinis promeruit coronam.

Spiritu prophetiæ illustratus multa præsagiit, inter quæ hoc unicum referam vaticinium. Cum aliquando Joannes construeret claustrum Scalæ Dei, torvis oculis Tarraconensibus civibus Principis liberalitatem intuentibus, ratis satius fore si Archiepiscopi redditus in Cathedralis ecclesiæ reparationem impenderentur, prædixit neminem unquam istius civitatis professionis vota in hoc monasterio nuncupaturum. Quod rei comprobavit eventus. Nam a trecentis viginti quinque circiter annis, quibus hoc prænunciavit, multis ex hac urbe habitum Religionis in hac Domo suscipientibus, nullus tamen, juxta Joannis vaticinium, hactenus ibidem perseveravit.

Ecclesiam Scalæ Dei dedicavit, anno 1333, 6 Kalendas Septembris, et secundum construxit claustrum, ubi talis inscriptio legitur : « Hoc opus claustri præsentis cum cellis et apparatibus suis, fecit fieri de bonis suis inclytus et Reverendissimus, sanctæ et præclaræ memoriæ Dominus, D. Joannes, Illustrissimi D. Jacobi recordationis eximiæ regis Aragonum filius, Patriarcha Alexandrinus. Qui in sortem Domini electus et divinis obsequiis mancipatus, a Sancta Sede Apostolica variis gratiis et privilegiis merito insignitus, Cartusiensis (ad quam affectione speciali et devotione præcipua ferebatur) Religionis puritatem et vitæ austeritatem, in qua vivunt istius Ordinis professores, ac bona spiritualia, quæ fiunt continue in eodem, attendens : speransque indubie, ut sola Dei bonitate ad regna cœlestia per hanc Scalam scandere mereretur; cupiens devotionem hujus operis indicio demonstrare, ad honorem Dei et Beatæ Virginis Mariæ Matris ejus, in hoc monasterio Conventum ordinavit, mandavit et voluit duplicari; semper ad Deum pro anima sua ac parentum suorum et omnium Fidelium oraturi ac Deo ad laudem et gloriam sui nominis servituri : pro quorum provisione legavit dicto monasterio locum suum de Caydino diœcesis Illerdensis. Eisdem monachis etiam pro studio in sacra Theologia ab ipsis utilius impendendo, Bibliam suam pulchram, glossatam, undecim volumina habentem, (interdicta tamen penitus ipsius Bibliæ alienatione) perpetuo concessit, prout in sua inde facta ordinatione pia et laudabili continetur; in multis aliis gratiis et beneficiis istud monasterium honoravit. Anno Domini 1333, 6 Kalendas Septembris. »

Anno 1334, cum Castellæ et Aragonum Reges simul collocuturi essent de magni momenti negotiis, Alphonsus, rex Aragonum, eximias Infantis animi dotes multum faciens, voluit ut isti interesset congressui. Joannes fratri suo obtemperans, se ad iter accingit; interim

morbo superveniente ad Populum regni Aragoniæ vicum, 19 Augusti carnis exuvias deponens, pietate, sanctitate summaque literatura sacrorum Librorum illustris, ad cœlestem patriam evolavit. Notatur ejus obitus in Charta Capituli generalis anni 1335, sic: « D. Patriarcha Alexandrinus, qui duplicavit Conventum in Domo Scalæ Dei, cui conceditur Monachatus, qui obiit 15 Kalendas Septembris. »

Porro mandaverat Joannes ut corpus suum Tarraconam translatum ibidem in sepulchro marmoreo, quod vivens erexerat in presbyterio, deponeretur; cui cum debito apparatu Tarraconensis Clerus parentavit. Super ejus tumulum asservatur brachium sanctæ Teclæ protomartyris, hujus ecclesiæ Patronæ; ibique sequens sculptum legitur epitaphium :

« Hic quiescit corpus sanctæ memoriæ D. Joannis, filii D. Jacobi regis Aragonum, qui decimo septimo anno ætatis suæ factus archiepiscopus Toletanus, sic dono scientiæ infusæ divinitus et gratia prædicationis floruit, quod nullus ejusdem ætatis in hoc ei similis crederetur. Carnem suam jejuniis et ciliciis macerans, in vigesimo octavo anno ætatis suæ factus Patriarcha Alexandrinus, et Administrator Ecclesiæ Tarraconensis. Ordinato per eum, inter multa alia bona opera, novo monasterio Scalæ Dei, diœcesis Tarraconensis, ut per ipsam Scalam ad cœlum ascenderet, reddidit spiritum Creatori, 14 Kalendas Septembris, anno Domini 1334, anno vero ætatis suæ 33; pro quo Deus, tam in vita quam post mortem ejusdem, est multa miracula operatus. »

De Joanne agunt Hieronymus Blanca in Commentariis Aragoniæ, Bzovius tom. 14 Annal. ad annum 1334, § 8, Annales Scalæ Dei.

XX DIE AUGUSTI

S. BERNARDUS

ABBAS CLARÆVALLENSIS

Mellifluus Doctor, Apostolicus vir; propensus admodum in Cartusienses, qui, in argumentum magnæ ad eos dilectionis, obtinuit apud Montem Dei cellam propriam, quæ etiamnum illius nomine appellatur; in qua, juxta morem Ordinis nostri degens, se sibi aliquando, et Magnatibus, quorum vexabatur alloquiis, subtrahebat.

Fuit amicitia conjunctissimus cum Guigone Cartusiæ Majoris Priore; cujus sanctitatis et Fratrum illius eremi fragrantia illectus, ipsum invisit. Rem narrat Gaufridus, monachus Claræval-

lensis, libro 3 Vitæ ejusdem, his verbis : « Cum jam Dei famulus annos aliquot in Claravalle peregisset, subiit animum ejus ut S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum et Cartusienses Fratres devotionis gratia visitaret. Quem prædictus Episcopus tam gratanter et reverenter suscepit, Divinam intelligens in ejusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem servus Christi Episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, vehementer expavit; et ipse quoque corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti Viri veneratione confusam, non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una, et se invicem fruerentur in Christo. Sicut enim Regina Saba de Salomone testatur, uterque se se in altero, longe amplius quam fama vulgasset, invenisse gratulabatur.

« Cartusiæ quoque a viro Reverendissimo Guigone Priore et a cæteris Fratribus, eodem affectu et eadem veneratione susceptus est servus Christi, exultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit, quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit, stratura videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis insidebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat; sed locutus uni e Fratribus, aliquatenus super hoc moveri se se confessus est et mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset, non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, quod ita scilicet a Claravalle Cartusiam usque venisset, ut nunquam illud vidisset, nunquam considerasset, et usque in horam illam, quale esset, omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi avunculo suo, et in sua vicinia demorante, fuerat commodatum : et erat, sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset. »

Quanti autem S. Bernardus Cartusianos faceret, diximus in Elogio Guigonis. Qui, consummatis feliciter vitæ suæ diebus, et annis circiter sexaginta tribus expletis, inter filiorum suorum gemitus ad obvia perrexit Angelorum agmina, anno 1153, die 20 Augusti.

Surius et alii rerum Cisterciensium Scriptores.

GUILLELMUS

COMES NIVERNENSIS
CONVERSUS MAJORIS CARTUSIÆ

A quibusdam Gerardus perperam vocatus; vir magni meriti et grandis famæ. Relicto sæculi Principatu, et omni honore calcato, Cartusiam petiit, anno 1147 (ut habet monachus Altissiodorensis in sua Chronologia ad dictum annum); ibique digne Deo in humillima paupertate conversans, infra annum conversionis suæ felicem terminavit cursum vitæ.

« Hic (teste Dorlando lib. 4, cap. 14) inter cæteras virtutum dotes, etiam in sæculo positus, humilitate singulari radiare visus est, pestemque inanis gloriæ aspernari. Qui cum gravitatis et sapientiæ prærogativa sui temporis Francorum aulicos omnes antecederet, Regi Ludovico VII imprimis charus, ab eo et a regni Optimatibus, quasi unus omnium Parens, pari colebatur affectu. Nemo unquam in ejus præsentia, vel etiam Rex ipse, ludicrum verbum aut factum proferre audebat. Uno dierum, cum Rex ludentibus ad scacarium assideret, timens ne Comes superveniens et se spectantem et illos ludentes adverteret, jussit ocyus de medio tolli scacos. Sed ille intelligens quid actum esset, Regem dissimulare rem cupientem, nec valentem, his verbis corripuit : « O te, inquit, insignem Principem, et populi Dei provisorem, qui mentem regiam his ludicris subigis, qui omni vitæ tuæ tempore vix ea cogitare sufficeres, non solum ut non delinqueres, sed quæ justa quæque utilia populo tuo sunt institueres ! Quomodo igitur in his vanis tempus insumis, et vigorem mentis effeminate resolvis ? » Hanc objurgationem Rex humiliter excepit, sciens se a viro justissimo et optimo reprehendi.

« Hic Comes inter Consules et Nobiles viros sæpe cum in regia Concione sederet, horis solennibus exiens, ad orationem secedebat in partem, flexis genibus aut corpore toto fusus in terram, cum lacrymis et singultibus Divinam super se clementiam implorans. Idem sæpe etiam, cum in campis aut pratis esset, actitabat; ita ut a suis aut hypocrita aut vaniglorius diceretur. Verum ille hæc audiens, in nullo penitus movebatur; sed stillantibus ubertim per genas lacrymis, verbum memoria dignum loquebatur : « Absit, inquiens, absit, ut proditoris crimine pollui velim, mihi usurpando gloriam Dei mei. Si adoro et exoro Dominum Deum meum, non mihi utique peccatori, sed gloriam glorioso sancto Nomini ejus do. » Hactenus Dorlandus.

Tantæ virtutis splendore, etiam positus in sæculo, irradians noster Comes, non aulicos solum sed amicos Dei virosque sanctos ita sibi devinxit, ut in causis maximi momenti pietatem spectantibus arbiter eligeretur. Monachis Pultariensis Abbatiæ, in diœcesi Lin-

gonensi sitæ, a recto veræ Religionis tramite deviantibus, ad illos reformandos sanctus Bernardus abbas Claræ-vallensis Comitis zelum interpellavit. Hinc exacerbatus Gerardus eorum cœnobiarcha, magnos egessit querelas in Virum Dei, qui epistola 81 adversus iniquam criminationem se purgare nitens, inter cætera de Guillelmo sic loquitur :

« Scripsisse me aliquid ad Comitem Nivernensem in tuæ personæ accusationem, nec recordor, nec verum est. Cæterum si pro ecclesia tua ad eumdem Principem misi, hoc non adversum te, sed pro te egisse me arbitror. Siquidem audieram ipsum, tuo et assensu et consilio proposuisse venire ad visitandum vos; ad probandum de tantis malis, quæ de Domo vestra divulgabantur, an vera essent aut cujus culpa essent; ut quod forte sinistrum reperiret, ibidem ejus et studio et sollicitudine corrigeretur. Cujus tam justum et tam pium propositum si hortatu nostro roborare curavi, cur te inde læsum jure conqueraris non video. Puto enim me recte fecisse, si de Domo Dei zelum Dei habens, ejus providentiam qui emendaturus erat commonui. »

Anno 1126 (al. 1116), Radulphus de Baugenciaco ecclesiam S. Mariæ Canonicis regularibus Aurelianensibus restituit, præsentibus, ne dicam jubentibus, Ricardo Cardinali S. E. R., Raimberto Senonensi archiepiscopo, Ivone Carnotensi, Gallone Parisiensi episcopis, « Guillelmo Nivernensi comite, » et Roberto de Arbrisello fundatore Fontis Evraldi. (Ex litteris restitutionis insertis Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis, lib. 9, n. 28, auctore Carolo Saussayo.)

Cumque anno 1128 Concilium Trecis congregatum fuisset ad examinandam Regulam Templariorum, placuit Patribus ut et consilium a viris Nobilibus peteretur, inter quos fuit et noster Comes, qui veritatis amator dicitur in Actis ejusdem Concilii, quæ sic habent : « Cæterum vero de non litteratis, idoneum nobis videtur ut testes amatores veritatis adducantur in medium. Comes Theobaudus, « Comesque Nivernensis », ac Andreas de Bandinento intentissima cura quod erat optimum scrutantes, quod eis videbatur absurdum temperantes, in Concilio sic assistebant. » Hæc ibi.

Occiso Thoma S. Victoris Priore anno 1133, Episcopis apud Jotrum congregatis sanguinem innocentem ulciscendi gratia, adfuit noster Comes cum Principe Blesensi, suo consilio et auctoritate Patres firmaturus : ut colligimus ex litteris Hugonis episcopi Gratianopolitani, et Guigonis Prioris ac Conventus Cartusiæ ad Concilium missis, in quibus jubent Principes Blesensem et Nivernensem valere.

Consiliis arma quoque, cum opus erat, jungebat Guillelmus. Cum enim Ludovicus Crassus, rex Franciæ, Ludovici VII pater, Episcopi Claromontensis causam tutaturus, collecto numeroso exercitu in Arverniam progrederetur,

inter Principes qui suscepta Præsulis defensione Regem comitati sunt, occurrit Comes egregius Nivernensis (ut eum vocat Sugerius Abbas in Vita Ludovici Crassi); cujus et aliorum Optimatum præsidio subactis rebellibus, Arvernensi Ecclesiæ pax restituta est. Jam antea suæ magnanimitatis signa præbuerat, quando quindecim millibus militum stipatus in Terram Sanctam perrexerat, Balduino Regi Hierusalem opem laturus contra Sarracenos.

Anno 1116 (al. 1118), Ludovico Rege a Præsulibus contra quemdam prædonem nobilem ac potentem suis grassationibus provinciam Carnotensem devastantem animato, Comes Nivernensis primus omnium castrum excommunicati furis obsedit; sed dum victor rediret, a Theobaldo Blesensi comite Regi rebelli captus, duro diuturnoque carceri mancipatus est. Nec suam potuit obtinere libertatem usque ad annum 1119, quo rex Ludovicus coram Summo Pontifice et Patribus Concilium Remense celebrantibus, habita oratione adversus Regem Angliæ et Comitem Blesensem, de Guillelmi captivitate in eadem oratione (quæ habetur apud Ordericum Vitalem, Eccl. Hist. lib. 12, n. 9,) his verbis conquestus est : « Legitimum bonumque virum Guillelmum comitem Nivernensem, quem bene nostis, remeantem de obsidione castelli cujusdam excommunicati furis, ubi vere spelunca latronum et fossa diaboli erat, comprehendit (Comes Blesensis) et usque in hodiernum diem carceri mancipavit. Religiosi Præsules Thomam de Marla seditiosum prædonem totius provinciæ merito adversati sunt. Ideoque mihi generalem inimicum peregrinorum et omnium simplicium obsidere præceperunt, et ipsi mecum, legitimique Barones Galliæ, ad comprimendos exleges convenerunt, et cum communi collectione Christiani exercitus pro zelo Dei certaverunt. Inde præfatus heros (Guillelmus) cum mea licentia pacifice regrediens captus est, et a Theobaldo comite (Blesensi) usque hodie retentus est; licet eum multitudo Procerum ex parte mea sæpe pro liberatione Comitis suppliciter requisierit, et tota terra ejus ab Episcopis anathematizata sit. »

Dum sic detentus eximiam exhiberet patientiam, a duobus viris sanctitate conspicuis, scilicet Roberto de Arbrisellis, Ordinis Fontis Evraldi, et Bernardo, Congregationis de Tironio Ordinis Benedicti, Fundatoribus, ejus virtutis bono odore illectis meruit visitari. Ex quorum conversatione quantam perceperit consolationem, narrat Auctor coævus Vitæ beati Roberti cap. 4, apud Bollandum, his verbis :

« Carnotensibus itaque pacificatis, fidelis verbi Domini dispensator (Robertus) Carnotensem urbem, nunquam ad eam postea remeaturus, reliquit; conjunctoque sibi Bernardo Tironii abbate venerabili, cujus societas semper sibi gratissima fuerat, ad castellum, quod populariter Blesis dicitur, ambo insimul

pervenerunt. In eodem vero castello Guillelmus Nivernensis religiosus comes, incarceratus tenebatur, eo quod Ludovici regis Franciæ partes pro pace tenenda adversus Carnoti Comitem ipse tueretur. Hic etiam Guillelmus, exigentibus vitæ suæ meritis, utrique charus habebatur. Apparet profecto quantæ honorificabilis tunc dignitatis Consul ille fuerit, quem visitare in carcere duæ istæ columnæ Ecclesiæ Sanctæ veniebant. Qui adeo confortatus fuisse narratur, ut diceret : « Quis non gaudeat se diu incarcerari, ut a talibus viris possit visitari ? » Hæc idcirco dixerim, ut ostenderem, quod Robertus noster non segnitiei vacabat, sed modo juxta Evangelicum præceptum incarceratos visitabat. Visitato itaque sibi dilecto Comite, atque plusquam carceralis pœna exigebat, confortato, duo illi visitatores nunquam posthac in hac vita se se visuri, inseparabiliter, ut ita dicam, sunt separati. »

Officiosam ab utroque Sancto sibi exhibitam urbanitatem non modo humanissime excepit pius ac generosus Comes, sed jam antea collatis muneribus meruerat : ut legitur in Vita B. Bernardi Tironensis, cap. 8, auctore Gaufredo Grosso ejusdem discipulo, apud Continuatores Bollandi, 24 Aprilis, his verbis : « Illis itaque (Bernardo et monachis ejus in maxima penuria ex publica fame versantibus) de Divina largitate minime diffidentibus, atque precibus et labori perseveranter insistentibus, ille qui misertus famulo suo Danieli per Abacuc de Judæa prandium transmisit in Babyloniam, idem ipse Willermi tunc temporis Nivernensium Consulis animum provocavit, ut viro Dei Bernardo in abditissimis Pertici silvarum solitudinibus latitanti, quem necdum nisi fama cognoverat, ingens vas aureum de Burgundia mitteret : quo vendito annona comparari posset, quæ monachis illo in tempore secum habitantibus necnon et mendicis sufficeret. » Hæc ille, qui postea Fundatores cellarum ejusdem Abbatiæ dinumerans, nostri Comitis non est oblitus.

Ejus liberalitatem alia quoque monasteria sensere; inter quæ sunt Prioratus S. Stephani Nivernensis ab avo conditus, et Abbatia Molismensis, cujus eleemosynas et alia bona immobilia ab aliis collata et confirmavit et auxit. (Tom. 4 Spicilegii Lucæ d'Achery inter Miscellanea Epistolarum.)

Sed quam erga Majorem Cartusiam coluerit munificentiam, audiamus ex Abbate de Novigento, Guiberto videlicet auctore coætaneo, qui in Tractatu de Vita sua altam primorum Patrum Cartusiæ paupertatem commendans, de nostro Comite sic meminit : « In tantum suæ sunt custodes inopiæ, ut hoc ipso quo agimus anno, Nivernensis Comes, vir omnino religiosus et potens, eos causa devotionis et optimæ, quæ hinc emanat, opinionis inviserit, multumque super sæculari eos cupiditate, ut caverent, inde monuerit. Cum-

que regressus ad sua, eorum indigentiæ, quam viderat, meminisset, nescio quæ argentea, scyphos videlicet et scutras pretii plurimi eis misit. Sed eorum quæ dixerat illis, nequaquam obliviosos invenit. Communicato namque mox consilio, quæcumque direxerat, ad integrum refutata recepit. « Nos, inquiunt, neque in expensis nostris, neque in Ecclesiæ ornamentis, exterarum quippiam pecuniarum retinere delegimus. Et si in horum alterutro non expenditur, ut quid a nobis suscipitur? » Puduit itaque prævaricatoriæ contra suum sermonem oblationis Comitem; et tamen dissimulata aspernatione eorum, boum tergora et pergamena plurima retransmisit, quæ pene inevitabiliter necessaria esse cognovit. »

Ex his patet, qualis fuerit quamque piarum rerum peritus Princeps ille, qui circumfluens omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia et auctoritate constitutus, ipsis monachis jam apicem omnis perfectionis adeptis (quales tunc erant Nostri) præcepta contra cupiditatem sæcularem dare noverat. Sed, quam ipse prædicabat, paupertatem servare cupiens, disposita domo sua, terrenisque penitus despectis, Cartusiam rediit; baltheoque in funiculum et serico in sagum commutatis, inter humiles Conversos voluit computari.

Guillelmus de Nangis in suo Chronico ad annum 1138 de eo sic loquitur: « Florebat Guillelmus Nivernensis comes insignis, cujus devotio mira enituit, dum de potenti Principe sæculi factus est in Cartusia humilis pauper Christi. » Sic veteranus miles in castris Christi tyrocinio traditus, omnibus regularis disciplinæ exercitiis strenue incumbit, oblitus præteritorum et leonino passu se ad anteriora spiritus extendens; quique nuper hominibus præfuerat, et Magnatum animos pro arbitrio rexerat, jam caulis ovium intentus curam vilis pastoris suscipiebat. Hæc nempe erat palæstra fortissimi pugilis, hæc statio emeriti militis, æterna pro tot ærumnis stipendia cum silentio præstolantis.

Cujus videndi gratia cum ejus filius Cartusiam accessisset, et eum tunc in superioribus montis tondendis oviculis operam dare didicisset, tandem diutius expectatum conspicit (ut narrat Dorlandus) in habitu pauperrimo deorsum venientem, ac vellera recens tonsa cervicibus onustis deferentem. At filius eum non agnoscens, acceptoque a Fratribus adstantibus hunc esse suum genitorem, valde animo contritus occurrit ei, tenensque vestigia ejus et exosculans, præ gaudio cœpit lacrymari. Qui ad patris amplexus et oscula ab ipso erectus, intuens patris sinum et collum barbionum et pediculorum infinito scatere examine, vehementius exhorruit; ac vermes edacissimos tollere volens, talia a patre fortissimo Christi milite audivit: « Sine, fili charissime, istos vermiculos vermi qui non moritur suam præripere prædam. Votivus omnimode et delectabilis mihi est istorum morsus,

per quos inexplebilem gehennalium vermium edacitatem, me, Domino miserante, spero evasurum. » Reversusque est Comes ad suos.

Et obiit pater anno 1148, die 20 Augusti, ut habet Guido Coquille in Historia Nivernensi ; sive die 21 ejusdem mensis, ex Historia Genealogica Principum Burgundiæ Andreæ Duchenii, qui etiam annum signat 1148 : sicut et Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali, qui dicit cum monacho Altissiodorensi eum anno 1147 Cartusianum habitum induisse, et infra annum conversionis suæ vitam cum morte commutasse.

Post tam illustria tot gravium Auctorum de beato Comite superius relata testimonia, unum reperio qui splendori ejus labem aspergere ausus est. Ille est Hugo Pictavinus, notarius Abbatiæ Vezeliacensis ; qui, lib. 3 Historiæ ejusdem monasterii, quam scribebat anno 1167, Guillelmi ad nos transitum mordaci calamo sic describit : « Igitur postquam signum Dominicæ Crucis Rex piissimus Ludovicus junior Hierosolymam profecturus suscepit *(anno videlicet 1146)*, plures facti hujus fama et exemplo incitati, transmarinam peregrinationem arripuere. Inter quos etiam duo filii Nivernensis Comitis, videlicet Guillelmus et Renaldus, comitatui regio se se conjungentes, eamdem profectionem susceperunt. Ipse quoque pater eorum desiderio alterius priorem vitam commutans, habitum Religionis et vitæ finem apud Cartusiam accepit. Sed quia venerabilis dilectricis atque famulatricis Dei M. Magdalenæ sepulchrum gloriosum et religione sanctissimum *(fertur enim quod corpus beatæ Mariæ Magdalenæ ex Aquensi territorio translatum fuerit apud Vezeliacum, circa annum Christi 849)* injuste vexando afflixerat, pœnam criminis ipse a cane *(num potius a pediculis ex pœnitentia in sinu enutritis)* devoratus excepit, et injustitiæ vindictam suis reliquit hæredibus. » Hactenus Historicus Vezeliacensis.

Utrum vero a cane devoratus sit, nusquam legi ; imo monachus Altissiodorensis fere synchronus asserit eum felicem terminasse cursum vitæ. Sed esto, demus rem ita se habere, ut narrat Pictavinus. An ideo merito quis potest detrahere sanctitati ejus ? Nonne et quosdam Sanctos simile fatum expertos fuisse legimus ? Causam tantæ invectionis præfati Auctoris in Comitem duplicem invenio. Prior altius deducenda est.

Abbatia Vezeliacensis a Gerardo de Roussillon comite Nivernensi circa annum Christi 821 constructa, ab eodem Sedi Apostolicæ immediate subdita fuerat. Sed successu temporis collabente disciplina regulari, Romani Pontifices illam Cluniacensibus Abbatibus commiserant, et sub eorum quoque potestate, licet antiquiorem, stare præceperant : ut ex Paschalis II Litteris ad Altardum abbatem Vezeliacensem anno 1103 datis, probat Duchenius in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem, in lib. 2

epistolarum Petri Venerabilis, epist. 28. At monachi Vezeliacenses, inquit Mabillonius in Notis ad epist. 150 S. Bernardi, Cluniacensium jugum detrectantes, rursus ab Innocentio II eisdem subesse compelluntur, auctoritate Apostolica instituto, anno 1130, in Abbatem Alberico suppriore Cluniacensi. Hunc cum illi etiam armata manu excipere recusarent, accurrit Comes Nivernensis, monachosque rebelles Summo Pontifici, novo Abbati cogit obedire.

Hinc Pictavinus exulceratum habens animum, rem sic explicat : « Hanc siquidem libertatem (Abbates eligendi) cum per trecentos fere annos ab ipso suæ fundationis principio, Vezeliacensis Ecclesia quiete et absque calumnia obtinuisset, tamque de suis quam de aliorum Fratribus monasteriorum, sibi Patres indifferenter præfecisset, Cluniacenses longe post exorti per surreptionem sibi vindicare nisi sunt; assensum quidem primum, deinde vero jus eletionis sibi arrogantes, mentientes utique a Paschali traditam sibi curam Ordinis Ecclesiæ Vezeliacensis. Ob quam prorsus causam eadem Ecclesia sub Innocentio II Papa grave scandalum pertulit, reclamando libertatem ingenitam, dum per violentiam ejusdem Innocentii et Comitis Nivernensis intruso a Cluniacensibus quodam Alberico *(qui juxta Sammarthanos præfuit octo annis, ab anno videlicet 1130 ad annum 1138)*, fere omnes sæpe fati monasterii Fratres vinculis colligati, et per Provinciam, Italiam, Germaniam, Lotharingiam, Franciam et Aquitaniam, hac illacque ignobiliter dispersi sunt, alienigenis subintroeuntibus. » Et post pauca : « Ob insolentiam denique Cluniacensium, non solum in hac parte, immo etiam in toto corpore, libertas Ecclesiæ Vezeliacensis periclitabatur. Nam adventitii præfati.... Comitem Nivernensem induxerunt, et sub specie familiaritatis materiam ei dederunt inconsuetæ tyrannidis et inusitatæ consuetudinis. »

Hæc ille; cujus prava animi affectio in Comitem per se ipsam detegitur. Quid enim mirum si de Principe sæculari tam dure loquatur, eumque vocet tyrannum? quandoquidem nec Sanctis, neque ipsi Supremo Pontifici parcens, hunc violentiæ insimulat, illos vero (Cluniacenses dico, sive potius sanctum Petrum eorum tunc Abbatem) insolentiæ reos facit. Sed testem locupletem, cujus fides nulli sit suspecta, proferamus, scilicet S. Bernardum Claravallensem; qui, epist. 150, Innocentium de multis congratulans, de facto Vezeliacensium sic commemorat: « Quæ eminuit in infirmitate, in sublimitate virtus succumbet ? Quam nempe in manu valida ordinatum est nobile illud monasterium Vezeliacense ? Nec insanis profecto tumultibus armatæ plebis, nec effræni furentium atque obstrepentium vesaniæ monachorum, nec quod his fortius fuit, copiis mammonæ cedendum putavit vel ad modicum Apostolica celsitudo, etc. »

Aliam causam, cur ita indigne nostro Comiti irascitur Pictavinus, ex ejus Historia, lib. 3, his verbis deprehendimus : « Pia Vezeliacensium Abbatum sollicitudo, ob crebras impiorum hominum infestationes, Comitibus Nivernensis civitatis liberalissima indulgentia frequenter spontaneum impendebat obsequium, quo devotius contra omnes adversantes præsidium ferrent Ecclesiæ.... » Et post pauca : « Unde factum est ut Guillelmus, qui postmodum Cartusiæ effectus est monachus *(Conversus)*, dum Nivernensis civitatis Consulatum gereret, salariis atque aliis Ecclesiæ Beneficiis insolenter abusus, nonnullas ab ea consuetudines, non solum pacis sed etiam libertatis inimicas, per vim tyrannidis exigere nitebatur, etc. »

Monachis igitur de Comite apud Paschalem II conquerentibus, Pontifex, qui sciebat eum non parvam piissimi Principis laudem habere, paterne ut molestiam monasterio non afferat admonet, datis sequentibus Litteris : « Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Guillelmo illustri viro, Nivernensium comiti, salutem et Apostolicam benedictionem. Non parva de te apud Nos fama est, et Nos ita credimus et credidimus quod Dei timorem habeas et amorem, quod justitiam diligas, et quod in cæteris, sicut decet tantum virum, per Dei gratiam honeste te habeas. Monemus igitur ut vicinas tibi Ecclesias ab oppressionibus liberas facias, nec aliquas eis molestias irroges : illis maxime quas ad B. Petri tutelam aut patrocinium pertinent, quemadmodum Vezeliacense cœnobium, etc. » Acquievit tunc religiosus Princeps, sed mortuo Alberico Abbate, de quo supra, litem redintegravit; electisque arbitris S. Bernardo Clarevallensi et Hugone de Tilio, tota controversia ab utroque feliciter composita est anno 1146.

Sed mortuo inter nos Comite, Ida Comitissa querelas renovavit, ad quam propterea S. Bernardus sequentem scripsit epistolam anno 1148 : « Dilectæ in Christo filiæ Nivernensi Comitissæ Fr. Bernardus, etc. Conqueritur venerabilis Abbas Vezeliacensis quod vos et clientes vestri, mercatores et cæteros Vezeliacum volentes ire prohibetis : quod, quia Guillelmus Comes bonæ memoriæ *(ex his verbis recte colligitur eum jam obiisse)* et filius ejus in præsentia Domini Antissiodorensis et nostra penitus refutavit tanquam impium et iniquum, monemus et rogamus, ne id denique ullo modo faciatis, etc. »

Post hæc, Guillelmo nostri Comitis filio pristina jurgia de integro persequente, contra eum Eugenio Papæ scribens S. Bernardus, de nostro Converso iterum honorifice commemorat : « Comes, inquit, Nivernensis viam patris non ambulat; adversatur tum huic, tum omni bono. Incubat terris bonisque Ecclesiarum, etc. » Ipse quoque Eugenius eidem Comiti scribens, objicit ei patris pietatem et erga Sedem Apostolicam devotionem, quo illum deterreat

ab infestatione Vezeliacensis monasterii. Cujus epistolæ sive Bullæ priorem partem, quia pro apologia nostri Comitis contra Pictavinum esse potest, hic subjiciendam esse duxi :

« Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro, Guillelmo Nivernensi comiti salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta devotione pater tuus Apostolicæ Sedi semper adhæserit, et quæ ad eam pertinere noverat, quam studiose dilexerit et fovere ac manu tenere curaverit, notitiam tuam latere non debet. Propterea B. Petrus eum, dum vixit, honoravit, provexit et ampliavit terris, atque circa finem hujus labentis vitæ in consortio sanctorum virorum susceptum, reseratis ei regni cœlestis januis, cum Sanctis agminibus in æterno palatio feliciter, sicut credimus, collocavit. Prædecessores etiam nostri ipsum affectione debita dilexerunt, et in suis necessitatibus efficaciter adjuverunt; Nos quoque temporibus nostris personam et domum tuam, sicut specialem B. Petri familiam, paterna benignitate dileximus, honoravimus, etc. »

Utinam Pictavinus, qui hanc epistolam integram lib. 1 suæ Historiæ inseruit, ad hæc verba animum paulo attentius intendisset! procul enim dubio de tanto Principe, quem etiam Summi Pontifices venerati sunt, honorificentius locutus fuisset. De eo quoque laudabilem faciunt mentionem Morigniacenses in suo Chronico, lib. 3; Sugerius Abbas in Vita Ludovici Grossi. Et ex recentioribus Nicolaus Vignerius in sua Bibliotheca Historiali ad annum 1140; Belleforestius, lib. 3 Annal. cap. 44, in fine; Renatus quoque Chopinus, lib. 2 de Sacra Polit. tit. 3, num. 20. Et Franciscus de Rosieres, tom. 6 Stemmatum Barri Ducum; qui tamen allucinatur scribens : « Vidonem Nivernensem comitem, » præfati Guillelmi filium et hæredem, « pariter Cartusianorum monasterium ingressum » fuisse. In quibus verbis duo occurrunt emendanda.

Primum, quod vocet eum Vidonem seu Guidonem; in hoc quidem secutus Auctorem Gestorum Ludovici VII, inter Scriptores Historiæ Franciæ a Francisco Duchenio tom. 4 editos; ubi auctor ille recensens eos qui crucem apud Vezeliacum cum Rege anno 1146 susceperunt, inter eos nominat Guidonem comitem Nivernensem, et Reginaldum fratrem ejus comitem Tornodorensem. Duplexius quoque tom. 2 Hist. Franc. ad annum 1146 eum vocat Guidonem, citatque Willelmum Tyrium et Sugerium Abbatem; sed Auctor Historiæ ejusdem Ludovici Regis apud eumdem Duchenium, facta simili recensione Principum crucigerorum, Willelmum appellat. Pictavinus pariter, lib. 3 Historiæ Vezeliacensis, res Nivernensium Comitum non ex aliorum relatu, sed quas propriis intuebatur oculis referens, diversis in locis filium et successorem nostri Conversi, Guillelmi nomine designat.

Errat præterea Franciscus de Rosieres cum dicit Vidonem Reginaldi fratrem (seu Guillelmum) effectum fuisse Cartusianum : quod falsissimum esse deprehenditur ex eodem Pictavino, qui lib. 4 de morte ejus sic loquitur : « His diebus (circa annum 1160) Nivernensis comes Guillelmus, filius Guillelmi Cartusiensis.... gravi morbo correptus, calicem divinæ ultionis prægustabat. Ut ergo audivit filius ejus Guillelmus quod Vezeliacenses Abbatem sibi elegissent, etc. » Deinde idem Auctor, postquam multis narravit quantas molestias novus Comes, patre mortuo, novo Abbati creaverit, sub finem libri addit : « Post hæc verba comes Nivernensis Guillelmus, filius Guillelmi *(hic est qui ab aliis vocatur Vido)* Altissiodorensis, filii Guillelmi Cartusiensis, filii Renaldi.... accepit apud Caritatem signum vivificæ Crucis, gratia Hierosolymitanæ peregrinationis, etc. »

Hæc ille ; qui semper unicum Guillelmum facit Cartusianum, sicut et Duchenius in Genealogia Comitum Nivernensium, et Guido Coquilleus in Historia Nivernensi, qui præfatum Guillelmum dicunt mortuum anno 1160, die 21 Novembris. Sed annus sequens signatur a Guillelmo de Nangis, qui ad annum 1161 de Comitis obitu hæc pauca habet : « Guillelmus comes Nivernensis filius Guillelmi Cartusiani obiit, cui successit Guillelmus filius ejus, etc. » Hunc ultimum Guillelmum Duchenius et Coquilleus dicunt mortuum anno 1168, 24 Octobris, cui successit, juxta Coquilleum, Raynaldus frater ejus, et huic Guido alter ejus frater ; quo mortuo, anno 1176, Agnes filia ejus unica et hæres nupsit Petro de Courtenay.

Hanc vero præfatorum Comitum successionem refero, ut per prolepsim ostendam Gerardum, de quo jam diximus ad diem 8 Martii, nunquam fuisse comitem Nivernensem, aut ad summum originem tantum duxisse ab eisdem Comitibus : quem ideo crederem fuisse filium nostri Conversi natu minimum.

MAGISTER GERARDUS GROOT

Cognomento Magnus ; natus Daventriæ anno 1340, patre Wernero magno scabino et consule Daventriensi, matre Heylwige, utroque divitiis et honoribus valde spectabili. Lutetiæ Parisiorum literis excultus, ibidem decimum octavum ætatis annum agens Magisterii lauream adipiscitur. Cumque postea vitæ dissolutioris esset, conversus ad meliorem frugem secessit ad Cartusiam Monichusen ; ubi peramanter et officiose susceptus a Religiosis, per triennium hospes in cellula, vigiliis, jejuniis, cæterisque Cartusiensis Instituti exercitiis addictissimus mutatur in alterum virum.

In hac eremo latuit donec, lucerna ardens et lucens super candelabra posita, vitæ suæ exemplis ac cœlestis do-

ctrinæ pabulo viam salutis aliis demonstraret. Postquam autem verbum Dei disseminando multos Christo lucrifecisset, laborum mercedem recepit, mortuus anno 1384, die 20 Augusti. Ejus obitus signatur in Charta Capituli generalis anno 1385 in Domo Florentiæ propter schisma celebrati, vocaturque magnus Ordinis benefactor et amicus.

Thomas a Kempis ejus Vitam descripsit, et Jacobus Revius, lib. 1 Historiæ Daventriensis ad annum 1340.

GERARDUS SEU GIRALDUS BOVIN
PROTOPRIOR DIVIONIS

Ob mores religiosissimos a Reverendo Patre Guillelmo Raynaldi, Cartusiæ Majoris Archimandrita, præfectus huic monasterio, non diu clavum tenuit. Post aliquot siquidem menses cellulæ quieti redditus, liber ab omnium rerum temporalium sollicitudine, præstolans in silentio salutare Dei, ad vitam meliorem migrat, anno 1385, die 20 Augusti.

Catalogus Priorum Divionis.

FRANCISCUS ASSENSIUS
MONACHUS PORTÆ CŒLI

Joannes Baptista Civera in libro Historiæ Portæ cœli cap. 30 describit in hunc modum Francisci Vitam :

« Venerandus Pater D. Franciscus Assensius natus est ex ingenuis parentibus in civitate Segobricensi, et fuit præbendarius in Cathedrali ecclesia Valentina. Sed bono Dei Spiritu motus postulavit ad habitum Religionis recipi in præsenti Domo, et ultima die Aprilis, anno 1549, cum omni devotione inter monachos adscriptus est. Factus jam monachus tam exemplariter in omnibus Ordinis observantiis conversatus est, ut paucis annis evolutis Vicarius designatus fuerit. Quo in officio per triennium prudenter laudabiliterque se gessit; sed ad optatam cellæ quietem reversus, præstolabatur in silentio et sancto otio salutare Dei usque ad annum 1574, quando gravi febre correptus, petiit Sanctam Eucharistiam sibi afferri. Quam ut vidit in introitu cellæ, licet debilis ac morbo fatigatus, a lecto surrexit, et toto corpore humi se prostravit, ac deinde flexis genibus pectus tundens, devota oratione et copiosis lachrymis eam pro viatico suscepit.

« Stetit autem una ante mortem die totus alienatus et extra se raptus, ita ut nihil externum attenderet; sed quasi ad tribunal ductus esset vitæ suæ rationem redditurus, dicebat intra se : « Hoc non est peccatum. Hoc verum est, sed jam pœnitui. Nequaquam falsum est, peccatum est, sed jam confessus fui. Pietas Dei infinita est. » Et hoc modo permansit per totam diem. Et quamvis a circumstantibus admoneretur, ne disputaret cum adversario, ne

ab ipso deciperetur, nihil tamen eorum quæ dicebantur advertebat. Sed tandem ad se reversus cœpit ubertim flere, et vocibus altis dicere : « O vere Deus misericordia ! O vere Deus misericordia ! » Et pectora tundens deosculabatur devotissime pedes imaginis Crucifixi quem amplexabatur. Et inter hos fletus et singultus Beatæ Mariæ Virginis conspectu, juxta communem circumstantium opinionem, dignatus est. Nam subito elevavit oculos in cœlum et cœpit subridere, ac vultu ad lætitiam composito dixit : « O beatissima, o clementissima, o dulcissima Mater Dei ! Et unde hoc mihi ? Quis sum ego, Domina mea, nisi vilissimus peccator ? O mater pietatis et refugium peccatorum ! benedicant te omnes creaturæ. » Et hoc modo aliquantulum permansit, oculos in unum locum defixos erigens, donec deficientibus viribus ipse quoque deficiens, placidissime spiritum Deo reddidit, die S. Bernardi, anno 1574.

Huic pretiosæ in conspectu Domini morti adfuit B. Ludovicus Bertrand Dominicanus, dum transitum a sua in nostram Religionem procuraret ; et adeo fuit ædificatus, ut post multos annos (sicut in libro Vitæ ejus scribitur) petenti sibi cuidam familiari ac roganti, ut enarraret sibi aliquam revelationem seu favorem in oratione factum, responderit dicens : « Non curo de revelationibus seu de visionibus, quia per eas non sum certus an sim in gratia Dei necne. Ipse mihi concedat mori cum contritione et receptis Eucharisticis Sacramentis. Non recordaris devoti Patris D. Francisci Assensii monachi Cartusiæ Portæ cœli ? Qui in extremo jam constitutus amplexans et osculans Crucifixum, ac pectus pugno percutiens, velut si fuisset aliquis latro vel pessimus Ribaldus, clamabat cum lachrymis fortiter et dicebat : Domine Jesu Christe misericordia, o vere Deus misericordia ! Illa certe est vera beataque mors. Ille sine dubio felix est obitus. Talem mihi largiri dignetur Deus Omnipotens. Amen, Amen ! nam de reliquo non curo. »

MARGARITA TAVERNE

DONATA GOSNAY

Decessit anno 1601, die 20 Augusti. Cui adfuit animam agenti Guillelmus du Cheure (al. Cheret), Vicarius Gosnay, qui in extasim raptus vidit Margaritæ paratam gloriæ sedem.

Ex Manuscriptis.

CLEMENS DE HERRERA

MONACHUS DE PAULARI

Toleti natus anno 1595. A prima pueritia ad omnem probitatem instituitur et ad devotionem tenerrimam erga Dei-

param; cui ansam dedit imago quædam Beatissimæ Virginis Filium gestantis, opere anaglypho elaborata, quam ignotus peregrinus Clementis parentibus tradiderat. Ejus cultui se totum puer addicens, hanc floribus adornabat, frequenter coram ea se sistebat supplicem, ejusque conspectu delitiabatur. Hæc fuerunt devotionis ejus in hanc effigiem præludia, e qua cæteræ virtutes emanavere.

Adolescens Toleti Philosophiam audivit et Theologiam. Sacerdotio deinde initiatus, se totum impendit in aliorum salutem: ideo multus erat in audiendis Confessionibus, ægris, pauperibus die nocteque adeundis, lustrandis xenodochiis et carceribus, reis etiam aderat tractis ad supplicium. Noctu, famulo cum laterna præeunte, obibat plateas stipem erogaturus erubescentibus mendicare. Selectos sacerdotes quotidie in cubiculum ad se convocabat, cum eis mentali orationi vacaturus; Collationes habebat de rebus facientibus ad spiritualem profectum, diebusque Beatissimæ Virginis festis magno cum apparatu imaginem prædictam adornans, una cum amicis in oratorio suo congregatis, Patronæ suæ celebrabat Solemnitatem. Nec solum inopibus et calamitosis suam præstabat operam, cum nullus fere esset in civitate, cujus salutem Clemens non impense sitiret; atque ideo ibidem Sodalitium Sanctæ Crucis nuncupatum e civibus aulicisque instituit (quod etiamnum perseverat), in quo ipse omnis Christiani officii agebat antesignanum.

Vitæ perfectioris accensus desiderio, ætatis anno trigesimo habitum suscepit in Cartusia de Paulari; ubi anno 1626, die 7 Martii, vota vovens, ita se a sæculo subduxit, ut suæ nihilominus charitati facturus satis, Familiæ concionator fuerit, Confessarius, et afflictorum consolator. Per sexdecim annos obivit munus Infirmarii, ægrotos omnibus officiis recreando, succurrendo, apud ipsos sæpe ducendo plurimam noctem. Assumptus deinde ad Vicariatum, hunc abdicavit, quo liberius orationi vacaret; per viginti annos cœlum sibi æneum in hoc exercitio expertus, postea benedictionibus dulcedinis cumulatus est.

Ardentissimo in Deum amore flagrabat: cujus calore exæstuans, etiam sexagenario major per hyemem vestes gestabat æstivas, nusquam admovebatur ad focum; et in frigore quantumvis acerrimo nudipes cogebatur interesse Matutinis, reliquamque noctem in hortulo, provolutus in genua super nivem, transigebat nonnunquam. Calor hujus amoris in vultu Clementis emicabat, in omni sonabat sermone. Perpetuo suspensam in Deum mentem gerens, cupiebat dissolvi; sæpe etiam peracta synaxi nocturna, in hortulo a vicinis audiebatur anhelare jaculatoriis aspirationibus ad cœlestem patriam. Cumque hanc adhuc inhabitare sibi non liceret, id in terris peragere satagebat, quod et in Cœlis Angeli faciunt: quan-

tum etenim potuit, semper animo volvebat illud Seraphim Canticum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus ;* his sine fine concinentibus mente conjunctus erat, iisque occupabatur verbis complectentibus cæteras Dei laudes.

Propensissimus erat etiam in Sacratissimum Altaris Sacramentum, quod sæpe intervisebat, cujus perpetuo se fuisse memorem per viginti annos testatus est. Aliquando evomitum ab ægroto Eucharistiæ Viaticum sumpsit.

Beatissimam Virginem Mariam, cui sæcularis adhuc se totum mancipaverat, tanto fervore celebrabat, ut eadem pietate cæteros accenderet. Ejus imaginem, quam secum detulerat in hanc eremum, mire coluit. Festivis ejus diebus monachos et Novitios coadunabat in cellula sua, hymnis et orationibus Deiparam veneraturos. Quotidie ante ejus effigiem recitabat Rosarium ; a qua suæ herniæ curationem impetravit et cujusdam Mauri conversionem, aliis etiam ab ea auctus beneficiis. Secundum eam, e Cœlitibus S. Joannem Baptistam, S. Josephum, S. Clementem, S. Augustinum pro cultu honorabat, atque imprimis beatum Joannem Evangelistam utpote Virginis Mariæ Sacellanum. Hujus Sancti conspectu dignatus, frequenter etiam Deiparæ colloquio familiari potitus est; sub cujus tutela expers ab omni lethali noxa permansit.

Corpus crebris abstinentiis, jejuniis, flagellis aliisque macerationibus atterebat; iisque præsidiis illibatam servavit castimoniam. Unde in sæculo degens feminarum colloquia aversabatur; quæ si non posset declinare, obtutu semper in terram defixo, quam brevissime faciebat. Summa morum affabilitate et suavitate præditus, indefessam proximis præstabat operam. Nemo tristis accedebat ad eum, quin novo gaudio cumulatus animoque tranquilliore discederet, ob ipsius dicendi facundiam simul et fecunditatem haustam ex Sanctorum Patrum tractatione, ac Sacra Pagina, cujus unum capitulum quotidie genibus flexis legebat magna cum reverentia.

Interim cœlestis patriæ desiderio ac cupiditate tenebatur in dies, dum paulo ante Assumptionis Solemnitatem febre correptus decubuit. Rogat non advocari Segoviæ medicum, satius existimans dandam ipsi pecuniam impendi post suum obitum in sacra piacularia. Accitus tamen medicus advenit sub auroram, supremum vitæ diem adesse denunciat, tempus instantis mortis ægroto sciscitanti horam signat septimam. Lætus admodum infirmus ad tale nuncium apparuit medico regratiatus; verum audita septima, cum adhuc in vivis esset, cuidam astanti monacho dixit : « Quid censes? Fefellit me medicus. » Ad extremum usque spiritum semper sui compos, eadem die, videlicet 20 Augusti, anno 1662, hora nona matutina, læto animo, vultu sereno expiravit; sepultus in eadem veste, quam professionem emittens induerat. Claruit spi-

ritu prophetiæ ac dono miraculorum. Imago Beatissimæ Virginis, quam e sæculo ad hanc Cartusiam asportarat, post ejus felicem mortem collocata fuit in ecclesia hujus monasterii, ubi nunc magna cum devotione frequentatur.

XXI DIE AUGUSTI

WALTERUS DE VITE
MONACHUS TREVIRENSIS

Tantorum cœlestis patriæ desideriorum vir fuit, ut cupiens dissolvi et esse cum Christo, mortem cum lachrymis expetierit. Hanc pie excepit, anno 1413, die 21 Augusti.

Catalogus monachorum Trevirensium.

DIONYSIUS METZELER
PRIOR BRUNÆ

Professus, Sacrista et Vicarius Buxiæ, insigni pietate et probitate morum exornatus; cum ab anno 1590 usque ad annum 1597 non minus sapienter quam utiliter Domus Brunensis moderamen habuisset, vitæ cursum absolvit supramemorato anno 1597, die 21 Augusti.

Chronicon Cartusiæ Buxiæ.

JOANNES BLOCQUERIE
MONACHUS XERITII

Admodum exemplaris et castigatissimæ conversationis monachus; qui per viginti quatuor annos hospitatus in Domo de Miraflores, ibidem spiritum Deo reddidit, anno 1614, die 21 Augusti.

JOANNES UDALRICUS REFFIUS
PRIOR DANTISCI

Professus Moguntiæ; primum Prior Molshemii, deinde Prior Dantisci ordinatus anno 1622, ibidem præfuit usque ad annum 1645, quo e vivis excessit, 21 Augusti. Vir admodum exemplaris, pius, prudens ac religiosus.

Ex Manuscriptis.

ANTHELMUS GUIDI
PROCURATOR FLORENTIÆ

Seu in sacrarii præfectura, seu in agrorum procuratione affatim humilis et devotus, anno 1649, die 21 Augusti, e labore ad quietem evocatur.

Ex Kalendario Cartusiæ Florentinæ.

XXII DIE AUGUSTI

STEPHANUS GUIDONIS

PRIOR VALLIS SANCTÆ

Alias Guy dictus Marestan de Brenodo, professus et Vicarius Majorævi; anno 1446 admotus regimini Vallis sanctæ, circa annum 1450 Præfecturam abdicavit. Priorem etiam egit in Domo Majorævi. Tandem cum semper se vivum pietatis exemplar exhibuisset, plenus dierum et bonorum operum sanctissime animam efflavit, mense Augusto, anno 1467.

Ex Catalogo Priorum Vallis sanctæ.

EVERARDUS SHUERMAN

MONACHUS ULTRAJECTI

Haud vulgari morum mansuetudine præditus, mitis et humilis corde; post decem annos in Ordine transactos, febre sublatus, ad vitam immortalem migravit, die 22 Augusti, anno 1540.

Ex Chronico Cartusiæ Ultrajecti.

SIMON REGNOULT

PRIOR FONTIS BEATÆ MARIÆ

Hujus monasterii asceta; cujus primum fuit Procurator, deinde Prior Bellilarici, postea Divionis, demum anno 1563 Prior Fontis B. Mariæ. Quo præsidente, anno 1567, in profesto Undecim millium Virginum, hæc Cartusia ab Hæreticis direpta est, et ab eisdem monachi quidam trucidati fuere. Aberat per id temporis a Domo sua Simon, qui a Reverendo Patre in Italiam fuerat delegatus ob Ordinis negotia : tanta etenim rerum agendarum peritia pollebat, ut maxima quæque obiret munia. Ad suos reversus, ecclesiam ab Episcopo Suessionensi reconciliari, anno 1568, 9 Junii, curavit.

Vitæ probitas et sanctimoniæ Simonis splendor, quibus tam præclare inter pastorales curas in Religione refulsit, non solum in Ordine nostro, verum etiam apud extraneos magnam ipsi comparaverant existimationem. Unde Catharina de Borbonio, S. Mariæ Suessionensis abbatissa, filia Caroli ducis Vindocinensis et Franciscæ Alençoniæ, tanti eum faciebat, ut se se ipsius mo-

deramini subjiciens nihil sine ejus consilio ageret, quem in patrem spiritualem asciverat.

Cum autem Dei servus Domum suam præclaris virtutum exemplis illustraret, accidit aliquando, ut de more suo pergens ad Nocturnas preces, a scelerato quodam in ipso cellæ suæ vestibulo lethaliter percussus fuerit. Mox perfectus Christi Salvatoris imitator, illiusque Evangelici præcepti non immemor, blande monet parricidam, ut protinus effugiat e loco, ubi tantum nefas perpetrarat, ne aliquo superveniente in flagranti delicto deprehendatur. Statimque nemine prorsus advocato, cellulæ suæ fores sanguine suo cruentatas occludens, se se reptavit ad oratorium, ubi genuflexus in Altissimi conspectu cor et animam ac sanguinem effundens, expiravit, anno 1580, die 22 Augusti, magno sui relicto apud omnes desiderio.

Narrant quod cum ille impius homicida, cui Simon omnimodam exhibuerat benevolentiam, post patratam cædem fugeret et portam cellæ Simonis post se clausisset, forte accidit, ut ejus vestimenta occluso ostio detinerentur. Unde cum se niteretur expedire, nec posset, misertus illius bonus Pastor, qui intra cellulam in suo sanguine volutabatur jamque agebat animam, surrexit nihilominus, ut ostium aperiret. Quo facto liber evasit homicida, quem Simon nunquam revelare voluit ; unde nec etiam ipse fugit extra Domum, donec congruo tempore quo universa reserantur, veritas innotuit.

Ex Manuscriptis.

ANTHELMUS DE PROUVILLE

PRIOR VALENCENNARUM

Generis splendore illustris. Postquam Duaci summo cum plausu Philosophiæ cursum absolvisset, venit Lutetiam Parisiorum ; unde profectus in Italiam, cum sacratiora Urbis loca et Loretanam ædem ingenti cum devotione lustrasset, Florentiam se se recepit. Aucupatus ibi gratiam cujusdam Nobilissimi, hunc semper comitabatur, quoties ille Nobilis aulico cultu prosequebatur Magnum Etruriæ Ducem ; qui cum perspectam habuisset Anthelmi prudentiam et modestiam, benevolus in eum munus ei assignavit. Cum enim audivisset Dux extraordinarium Legatum nomine Catholici Regis ad se venire, mandavit domino de Prouville, ut herum suum sequens Legatum ad Cartusiam Florentinam deduceret, quo illius exceptionis apparatus fieret commodius. Loci hujus sanctitate illectus, cœpit inanes mundi honores fastidire et anhelare ad cœlestia. Cumque serio cogitaret laqueis, quibus irretitus erat, se expedire, Magnus Dux Oratorem ad Christianissimum Regem delegans, itineris socium ei dominum de Prouville adjunxit. Quoties autem aliquod Cartusiensis Ordinis monaste-

rium ei per viam occurrebat, toties Anthelmum tædebat se se immersum videre in sæculi negotiis, totisque animæ medullis cupiebat hos inter solitarios annumerari.

Peracta igitur laudabiliter legatio viam Anthelmo stravit ad ampliores honores. Verum cum sæculo valedicere sibi proposuisset, ac non valeret amplius Spiritui Sancto resistere, Florentiam redux, abeundi licentiam ab hero suo petiit. Quam cum ægre admodum ab illo, quippe qui singulari Anthelmum benevolentia prosequebatur, obtinuisset, iter Lauretanæ ædis repetens, ante Beatissimæ Virginis Mariæ imaginem in preces effusus, enixe conceptum Vitæ monasticæ ineundæ consilium ei commendavit. Perrexit etiam Romam, ubi Summo Pontifici mentis arcanum patefaciens in familiari colloquio, discessit ejus benedictione adauctus, ditatusque plurimis Indulgentiis.

In patriam feliciter reversus, quo liberius se famulatui divino manciparet, rebus suis consuluit; quibus bene dispositis, convenit Brunonem Doutelair Cartusiæ Gosnayensis sapientissimum Moderatorem. Cui cum Anthelmus flagrantissimum habitus Cartusiensis suscipiendi suum desiderium aperuisset, Bruno illum humanissime suscipiens ejus votis annuit, cellulam primo vacaturam promittens. Verum cum deesset locus, sicque res procrastinaretur, Anthelmus inter Cartusianos Valencennarum adscribi postulans, voti compos factus, tanta humilitate hac in eremo, tamque singulari modestia excelluit, ut post tertium a professione annum Vicarii munus ei fuerit demandatum. Successit enim Antonio de Hus, Valencennarum Vicario, cum fuit præfectus Cartusiæ Gosnayensi; ubi in extremis positus luculentum de Anthelmi probitate perhibens testimonium, conventuales suasit, ut eum in Priorem eligerent.

Vix Prioratus possessionem anno 1626 inierat, cum se se bonorum operum exemplar exhibens, omnium tam domesticorum quam extraneorum animos modestia, prudentia et insigni morum affabilitate sibi devinxit; adeo ut Pastoris animarum numeris omnibus absoluti sibi comparaverit nomen. Imprimis autem rebus domesticis, quæ nimia prædecessoris sui facilitate et inhabili ad negotia animo valde implicatæ erant, ea cum agendi peritia et dexteritate providit, ut Religiosorum amicitiam simul et venerationem sibi conciliaret. Unde quarto post ejus electionem anno cum Cartusia visitaretur, hoc elogio in Charta Visitationis cohonestatus est: « Domum Vallis S. Spiritus in Gosnay, a quatuor annis non lustratam, invenimus tam religiose gubernatam vigilanti cura et pietate D. Anthelmi de Prouville, ut vix indigeret nostra Visitatione. »

Ad instar Brunonis Doutelair semper honorifice de suis monachis loquebatur, dicens se cum Angelis (Religiosos suos intelligens) quotidie conversari. Qua

quidem laude trahebat suaviter omnes, quocumque volebat : nihil enim ipsis arduum, nihil laboriosum sub tam amantissimi Patris moderamine videbatur.

Cum primum illustrem Episcopum Attrebatensem invisit ad initiandos quosdam Cartusiæ Gosnayensis alumnos, eum Latino sermone tanquam Domus Fundatorem salutavit. Post Episcopi responsionem subjecit orationem Italicam, eo quod Antistes Romæ munus Auditoris Rotæ obiverat. Cumque eodem idiomate Præsul ei respondisset, tertiam Hispanica lingua subjungens Anthelmus, ita sibi Episcopi animum, antea ob imprudentiam sui prædecessoris a Cartusianis alienatum, conciliavit, ut Domus hæc redierit in pristinam illius amicitiam.

Per id temporis Canonicos etiam Attrebatenses, quibus ignotus erat, salutavit; qui ita venerandi Patris humanitate ac modestia capti fuerunt, ut certatim ipsum ad hospitium invitantes, ipsum opipare receperint alternatim, quoties peteret Attrebatum. Nec vacuis manibus in suam Domum rediit; nam præclarum calicem et poderem pretiosam cum quadam non modica pecuniæ summa secum asportavit.

Dum ecclesiæ Cartusiæ Gosnayensis, quæ a 300 annis constructa est, meditaretur restaurationem, antiquioribus rei domesticæ penuriam (gravatum quippe erat cœnobium ære alieno) objicientibus dixit, se de pecunia non esse sollicitum. Dumque operi manum admoveret pro consolatione monachorum, a Visitatoribus anno 1630 invitatur ad iter Capituli generalis, ubi ordinatus est Prior Valencennarum. Abeuntem ad suæ professionis Domum charissimum Priorem monachi Gosnayenses suis lachrymis sunt prosecuti. Villatici etiam et pauperes non sine doloris sensu se tanto Patre orbatos viderunt : summa etenim charitate in eos affectus, eorum, iis quibus poterat modis, inopiam et calamitatem sublevabat, corporalem eleemosynam cum spirituali conjungens.

Tanti etiam eum Magnates circumvicini faciebant, ut in illius gratiam, amicos non solum, sed et beneficos in hanc Domum se se præstarent. Multoties D. Paulus Boudet, Sorbonicus Doctor, Attrebatensis episcopus, Anthelmum rogavit, ut exortas rusticorum quorumdam discordias ob homicidium definiret : quod quidem Præsul nulla potuerat assequi industria. Cum igitur Anthelmo arbitro usus fuisset, intractabiliores rustici statim ad Anthelmi pedes se se cum lachrymis projicientes, se illius judicio submiserunt. Re feliciter sic absoluta, Episcopus longe majorem de V. Patris in rebus agendis peritia concepit opinionem.

Cum quis e vicinis incolis ei occurrebat, miscebat statim pius Pater sermones singulorum statui convenientes : imprimis docebat familiariter agris operam navantes, ut aggredientes laborem suum in Dei laudem, fructuose ac

utiliter ad vitam immortalem consequendam agerent quod agebant. His salutaribus monitis ita proficiebant, ut verba religiosissimi Patris in suo corde insculpta conservantes, nihil salubrius, nihil devotius audiisse postea testarentur.

Singulari in ægrotos monachos compassionis afficiebatur sensu; quibus non solum spiritualiter, verum etiam corporaliter subveniebat. Ipse, dum fastidiebant cibos, eorum famem acuebat. Quod si interdum, ut assolet, esca minus eis illecebrosa videretur, eos provocabat ad manducandum, licet amarus esset gustui cibus, qui sanitati tamen erat proficuus, in memoriam et unionem fellis illius quod Christus Salvator noster in Cruce degustarat. Lectum etiam sternebat Anthelmus, collocabat ibidem ægrotos, vilissima quæque præstabat eis charitatis officia, purgabat matulas.

Dum Priorem agebat Valencennis, testatam posteris reliquit illam, qua flagrabat in calamitosos, charitatem hoc argumento. Per hyemem cum aqua subito civitatem inundasset, Fratres Donatos suæ Domus equo conscensos per urbem submisit, qui pauperibus incolis, qui ad granaria confugerant, panes hastis infixos porrigerent. Hoc Christianæ munificentiæ exemplo provocati divites, eamdem pauperibus opem in hac calamitate tulerunt.

Demum in extremum lapsus morbum, postquam cum singulari devotione sacram Eucharistiam suscepisset, inter filiorum suorum lachrymas et gemitus (quibus enixe commendaverat regularem observantiam, per quam iter sibi sternere debebant ad beatam immortalitatem) placidissime expiravit, anno 1640, die 22 Augusti. Multum illi debet Cartusia Duacensis, qui nomen ejus initiatoris jure merito sibi vendicare potest, eo quod ejus consobrinus Anthelmi sanctitate commotus, prædium suum Villæ de Plancque juxta præfatam urbem situm dederit ea lege, ut ibi Cartusia construeretur. Ipseque Anthelmus, quo magis opus promoveret, dum vota professionis emisit, testamento suo reliquit pecuniæ summam pro cellulæ fundatione. Verum bellis supervenientibus, cum inde multa damna periculaque monasteriis per agros constitutis emergerent, satius duxerunt Patres Ordinis intra civitatem ædificare Cartusiam.

Ex litteris D. Hieronymi Gallot Vicarii Cartusiæ Gosnay ad nos scriptis.

XXIII DIE AUGUSTI

JOANNES HIPP

CONVERSUS BUXIÆ

Qui per triginta annorum spatia coquinæ præfectus, ita sollicitus fuit Martham cum Maria conjungere, ut licet plurimum occuparetur circa frequens ministerium, nunquam tamen abfuit ab Officiis nocturnis, quibus intererat mira cum devotione. Obiit 23 Augusti, anno 1481.

Ex Chronico Cartusiæ Buxiæ.

Ejus obitus notatur in Charta anni 1483. Unde puto illum potius mortuum fuisse anno 1482, non autem 1481.

ANTONIUS CHAMARD

PRIOR BONÆ FIDEI MARTYR CUM ALIIS

Anno Domini 1569, in Vigilia sancti Bartholomæi, Antonius Chamard professus et Prior hujus Domus, Petrus Faizandier et Joannes Charmasac monachi professi ejusdem Cartusiæ, pro Christo ab Hugonottis trucidati in direptione hujus monasterii, palmam martyrii nobili triumpho promeruerunt. Hanc Historiam D. Archangelus Monchozon Vicarius Villæfrancæ mihi Gallico sermone fuse submisit, ex qua excerpsi quæ sequuntur :

Anno 1569 Dux quidam nomine Charreyrus, Catholicæ Religionis recens apostata, hactenus Priori et monachis Bonæ fidei amicissimus ac sæpe apud eos exceptus perhumaniter, decrevit expugnare Cartusiam, monachosque ad Fidei defectionem sollicitare, ut novam reformatam sectarentur Religionem. Is igitur summa auctoritate in hac regione pollens selegit quosdam Satanæ ministros, quadragintaque militibus stipatus quodam die pulsavit monasterii fores, petiitque a janitore, ut D. Antonius Chamard accerseretur, eique nunciaret se solum adesse cum duobus aliis (latebant enim foras cæteri juxta muros ne viderentur). Venit vocatus Prior, qui Charreyrum de Fide ejurata increpans ingressum penitus denegavit, veritus ne cœnobio pararet insidias. Verum cum se maximi ponderis negotium ei velle communicare simularet, nimis credulus Pater solus procedit obviam, januamque aperit proditori.

Capitaneus igitur primus Priorem aggreditur, in quem alii celeriter intrantes conglobatim irruunt, ipsumque

iteratis hastarum securiclatarum ictibus crudeliter necant. Quo mortuo nulloque obsistente, in alteram introeuntes januam occurrunt Petro Faizandier Procuratori, quem comprehendentes jubent Catholicam Fidem monasticaque vota ejurare. Verum propositi tenacem agunt præcipitem e culmine Domus.

Post hæc in Domum inducuntur, ubi servo, ni statim pareret, mortem minitantur. Is metu perterritus sicarios duxit in claustrum, cellamque Joannis Charmasac Vicarii indicat. Hunc Patrem foras egredi cogunt, monachosque omnes convocare. Prædones impii cunctas cellulas lustrantes colligunt Religiosos ad cædem tanquam victimas; e claustro autem in Domum traductos in angustum locum detrudunt pro custodia. Hic novi Calvinistæ doctores proponunt Religionem suam, eamque divinitus reformatam prædicantes, terrorem illis maximum sua concione injiciunt. Subjungunt se eam in omnibus locis stabilire velle, præsertim in monasteriis, utpote charitatis et animarum zelo incensi; si vero monita tam salubria recusarent, crudelissimis quibusque tormentis in pœnam pervicacis audaciæ suæ scirent se esse afficiendos.

Petierunt deinde quis illorum primus esset; sed omnibus monachis tacentibus, interrogationem iterarunt. Quibus respondens Vicarius dixit, majorem eorum esse, qui cæteros humilitate præcelleret, omnesque insuper tum professionis tum votorum et virtutum cultu esse æquales. His verbis illum apud alios quemdam gradum superiorem obtinere suspicati, educto de custodia præfatorum Patrum mortem denunciant, eosque ita mulctatos fuisse, eo quod in opinione prava pertinaces mori voluerant potius, quam salutaribus acquiescere consiliis. Ad deserendas Romani Pontificis partes tum minis tum blanditiis excitant; expostulantque, ut in derelictæ Fidei argumentum vetitas ab Instituto Cartusiensi carnes comedat, exemploque alieno edoctus imminentem sibi mortem a cervicibus suis propulset. Sed pius Pater, ut Marpesia cautes, ad hos fluctus verborum et irarum spumas perstat inconcussus, desponsamque Deo abstinentiam constantissime ad extremum usque spiritum se servaturum profitetur.

Hoc generoso Vicarii responso ira perciti Calvinistæ, violentas in ipsum injiciunt manus, collo funem appendunt, et ob Christi nomen gloriosis onustum vinculis protrahunt in culinam; ibique scamno valide alligatum afficiunt certatim probris et convitiis, ea mente, ut cæteri monachi, qui carcere per id temporis detinebantur, tristi Confratris sui spectaculo perterriti, ab orthodoxa Religione facilius desciscerent. Verum Joannes patientia saginatus, iis ita animos addidit, ut Christi martyris felicitati invidentes, idem subire supplicii genus Fidemque suam effusione sanguinis obsignare gestiant.

Porro cum incassum ministelli Sata-

næ se laborare cernerent, retrusis in custodiam monachis, suum omnem in Vicarium innocentem victimam convertunt furorem; eorumque unus astricti scamno servi Dei guttur pugione lentis ictibus impetit, prehensamque partem qua vir erat, ab imis radicibus ferro demetit et semivivi hominis ori ingerens, infandum triumphum sibi canit, non absque immani per reliquam turmam applausu, atque impio scommate illudens morituro : « Quas vivens respuisti carnes, ait, moriens saltem degusta. » Quis tam indignam honestatis cladem et barbariem fando explicet? Os sacrum, quod toties Christi Corpus confecerat, exceperat toties, tam assidue a tot annis in Dei laudes solutum, toties sanctorum pignorum basiis sanctificatum, sic deturpari! sic irrideri Religionem! sic proteri communem naturam et humanitatem calcari!

Inventum est scelus, cui detestando nulla par possit esse facundia; quod quidem facinus execrandum intra non longum tempus secuta est divinæ Justitiæ ultio. Nam dominus a S. Vidali, urbis Aniciensis a Bonæ fidei monasterio quinque circiter leucis distantis gubernator regius, Hæreticorum imo tigrium Cartusiam occupantium ægre ferens viciniam, ad illos vel penitus debellandos, vel saltem ab hac eremo eliminandos se comparat. Misit itaque exploratores, qui satellites Calvinistas observarent, et referrent loci situm ubi debacchabantur. Fauste res cecidit; facili siquidem negotio illos intercipi posse asseveraverunt. Tribus jam elapsis a patrata cæde hebdomadibus, regius ille Prætor, collecta militum manu, vino somnoque obrutos communi strage sepelivit.

Postridie autem educti e carcere suo monachi gratias Deo suæ libertatis vindici persoluturi ad ecclesiam properant, hymnosque ibi pro martyrum triumpho concinunt. Sepulturæ deinde locum sciscitantur a domesticis, qui venerandum Priorem et Domus Procuratorem a carnificibus in communi Patrum cœmeterio declarant fuisse depositos. Huc igitur accedentes Religiosi debita eis pietatis suffragia reddunt cum magno devotionis sensu.

Solliciti tamen ubinam Joannes jaceret, omnia cœnobii loca perlustrant; cumque frustra undequaque perquisissent, exclamat famulus Vicarium prope fontem depositum esse. Monachi statim ad cadaver advolant, illudque vestibus indutum decentique modo compositum reperiunt. Sed quod magis mirandum, vident illius carnem nullatenus a pristino colore immutatam, quæ nihil triste aut squalidum aut funestum, sed jucundam et gratam viventis speciem præferebat. Guttur vero non indecoro cruore rubicundum in admirationem rapiebat astantium turbam; qui ad hoc prodigium obstupescentes nihil præter Dei laudes et præconia efferre potuerunt, qui mirabilis est in servis suis : ut vel hoc testimonio animam Joannis apud

eum in Cœlo gloriosam agere cunctis esset exploratum. Tandem juxta ritum Ordinis post decantatos psalmos, corporis glebam in cœmeterio tumulaverunt.

Nec prætermittendum est, occupata ab Hæreticis Cartusia, unum ex monachis, ut eorum se subduceret crudelitati, Ordinis habitum exuisse et sæculari indutum Vicarii vicibus diu functum fuisse in Divionensi quadam parochia; qui demum in vitæ periculum superveniente morbo incidens, Confessario suo se vitam Cartusianam professum fuisse revelavit. Quibus auditis, illi fuit auctor Confessarius, modo recuperaret sanitatem, ut ad suum Ordinem rediret. Sanus ergo factus et injunctæ rei memor, Priorem Cartusiæ Divionensis convenit; a quo ad R. P. D. Brunonem d'Affringues remissus, litteras ab eodem Ordinis nostri Ministro generali obtinuit scriptas ad Jacobum Bournot tunc Cartusiæ Bonæ fidei Moderatorem ; qui priusquam ipsi Religionis habitum redderet, excussit diligentissime Domus Cartularia, quo videret an ejus nomen in ipsis occurreret descriptum. Quod cum comperisset, voti compos factus qui ab Ordine defecerat, in sanctæ Religionis Cartusianæ gremium recipitur, eodemque anno non sine Divinæ bonitatis testimonio ex hac vita ad meliorem migravit.

Theophylus Raynaudus in Sancto Brunone Stylita Mystico, puncto 7, § 5, quæ de Joanne Charmasac retulimus adscripsit Domno Laurentio ejusdem Domus professo, quem tribus præfatis martyribus adjunxit. Verum cum nulla istius Laurentii mentio fiat in Chartis Capituli generalis, malo hac in re assentiri Archangelo Monchozon, utpote in rebus nostris eruditissimo.

JOANNES BAPTISTA CAPPONI

PRIOR BONONIÆ

Anno 1549, mense Septembri, Bononiæ natus, patre Paschali Capponi medico, matre vero Pellegrina Arrigoni Mediolanensibus. Cœlesti benedictione præventus, adolescentem ætatem a communibus illius ætatis vitiis alienam, tanto Domini timore ac tam singulari pietatis studio transegit, ut nihil in eo quod reprehendi posset deprehenderetur. Huic egregiæ Joannis indoli animi perspicacia et ingenii magnitudo cum perfecte responderent, feliciori hoc naturæ dono abunde cumulatus, litteris operam dedit ; in quibus tam ingentes fecit profectus, ut magnam in humanioribus disciplinis, Logica et arte Poetica, laudem ingenii fuerit consecutus. Excellebat imprimis in arte Poetica, quæ quidem semper viguit et viget etiamnum in illius familia.

Jam ephebus ad instantiam suorum amicorum se se mancipavit viro cuidam nobilissimo, qui Joanni demandavit suæ domus administrationem. Perspe-

cta siquidem omnibus mira morum illius honestas, prudentia, et in rebus agendis dexteritas in statu tranquillo prosperoque domum hanc continebant. Unde præpositum herus faciebat plurimi.

Tot eximiæ Joannis animi dotes per id temporis innotuerunt cuidam homini nobilissimæ stirpis; quarum amore illectus instantissime dominum illius rogavit, ut suum Joannem ei concederet in secretarium. Papiæ magni ponderis negotium habebat ille nobilis dictus Comes de Rossi. Utque facilius Joannem ab hero suo impetraret, intercessit quorumdam Equitum et Bononiensis Senatoris auctoritas; quorum precibus resistere non valens, suum administratorem Comiti cessit, non sine sensu doloris, eo quod se servo fidelissimo ac vigilantissimo cerneret orbatum, non solum rebus domesticis, sed sibi etiam multum necessario: cujus amorem studiumque non ita pridem infirmitate periculosissima laborans fuerat expertus.

Comitis igitur servitio addictus, Ticini persequendæ liti tam feliciter operam dedit, ut causa obtenta, obstetricante non modicum Joannis industria, Comes fidissimi simul ac sapientissimi secretarii ministerium maximi putans, ejusque obsequia non pretio tantum sed amore simul et veneratione remuneranda ratus, ipsum fratrem et amicum appellabat, memor Ecclesiastici dicentis: *Si est tibi servus, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* Cumque probatam haberet sinceram secretarii fidem, ut hunc sibi tenacius acquireret, exegit ab eo jusjurandum, quo se obstringeret nunquam ab eo digressurum.

Non diu Comes thesauro potitus est: æstimabat quippe super aurum et topazion fidissimi servitium. Cujus opera cum indigeret semper, illum pro re maximi momenti misit ad oppidum Viadana. Ibi Joannes Vincentium Mantuæ ducem nomine Comitis salutavit. Mox perillustris Dux secretarii præclara indole ac urbanitate captus, ipsum ad obeundum in aula sua ministerium invitat. Ille per sacramentum se Comitis obsequio addictum respondens, subjiciens sibi nefas esse ab eodem discedere, debitas Principi gratias egit pro sua in eum benevolentia. Per litteras Dux Comitem rogavit, ut cum bona ipsius venia Joannis aulico ministerio uteretur.

Interim dum Comes Ducis precibus vix annuere posset, Magnatesque certatim Joannem sibi vindicare tanquam prudentissimum servum contenderent, Joannesque vicissim ad præstantiora raperetur; Deo intus in animo docente, in ipso adolescentiæ flore mundum contemnere, ac superiora potioraque animi bona in famulatu Divino quærere didicit. Ansam his præbuit nobilis quædam puella, cum qua Joannes teneram quidem sed honestissimam contraxerat amicitiam: cujus præmatura

morte non mediocri dolore affectus, cœpit fastidire figuram hujus mundi prætereuntis.

Calcar et animos addidit ei subsequens visio, quam ipsemet scribens Pellegrino fratri suo narrat his fere verbis: « Cum aliquando de vita Guidoboni amici nostri (cui Nestoris annos precor) pertimescens noctes duas insomnes transegissem, tandem primum dilucescente die compositus ad quietem, dormiens videre mihi videbar mortuum Guidobonum. Ipse trepidus ad tale spectaculum, quod pavidæ menti subjiciebat horrorem, putabam in densissimæ proceritatis sylvam gradu præcipiti fugere. Dumque profundius me penetrarem in saltum, mox inter frondes adverto venerandæ canitiei senem, qui me manu blande apprehendens sciscitatusque doloris mei causam, in sepimentum me deduxit dicens : « Ingredere locum hunc, charissime, ubi ex omnibus molestiis et laboribus conquiesces, et extra quem nihil tibi erit nisi afflictio spiritus. » Ad hæc verba me vidi stantem ad fores Cartusiæ Bononiensis, etc. »

Cum nihil sapienti pereat, quidquid ille intuitus fuerat sapientiæ fecit argumentum et in suos usus transtulit. Expergefactus itaque Joannes qui tam sapienter dormierat, non indiguit interprete somnii, sat intelligens se vocatum esse ad famulatum Domini longe præstantioris. Post menses aliquot a Duce Mantuæ petiit facultatem invisendi parentes suos, causatus suæ familiæ negotia; cumque per mensem integrum apud eos demoratus fuisset, ipsis insalutatis, secessit in Cartusiam Bononiensem.

Annus agebatur millesimus quingentesimus septuagesimus octavus, cum Joannes pridie Sanctissimæ Trinitatis Cartusiensium militiæ adscribitur. Optato potitus habitu Religionis, novum cœlestis Vitæ tyrocinium instituit. Carnem imprimis (domesticum ac veternosum hominis inimicum) laboribus, vigiliis, ciborum inedia atque aliis castigationibus expugnans, illam in spiritus servitutem redigebat. Hinc mentem ab impuris cogitationibus puram servare, plangere delicta suæ juventutis, in animæ amaritudine recogitare suos annos, integrum Deo cor custodire, compescere linguam, amare solitudinem, suspensum in Deum animum gerere, illum ubique præsentem habere, Brunonem priscosque Instituti Cartusiensis professores sibi proponere imitandos, orationi studere, Christi crucem jugiter in animo ferre, in eaque sola gloriari, Deum tandem diligere super omnia atque illi inhærere medullitus.

Exacto tam feliciter probationis tempore, communi votorum omnium calculo ad professionem admittitur subsequente anno, die 14 Junii. Jam formatus in virum perfectum, dignus habitus est ob virtutis suæ fructus præcoces, qui maturaretur ad Sacerdotium. Tanta pietate tantaque gravitate morum præ-

cellens Joannes, singulari prærogativa immunis ab Interstitiorum lege ad hanc dignitatem promotus, sacrum illud Altaris ministerium peregit magna cum devotione. At vero cum illius virtus et prudentia Patribus Ordinis haud ignota esset, quo profundius is se ipsum humilitate deprimebat, ac Dei dona velut sub modio occultare nitebatur, eo magis ipsi virtutem illius extollere ac fulgentem lucernam super candelabrum statuere cogitabant. Quare Domui Pontiniani, deinde Cartusiæ Pisarum præficitur.

Cum haud vulgari, ut jam diximus, polleret prudentia, mire profuit in utroque statu, omnium sibi concilians animos, præsertim Religiosorum, quibus se patrem simul et matrem exhibebat singulari affabilitate. Omnibus levigabat Christi jugum. Cumque nullus esset qui non gestiret subesse tam sapienti moderatori, ipse solus gemebat sub sarcina prælationis, quam lubens excussisset inescatus quiete solitudinis. Sollicitus erat conjungere Martham cum Maria, nihilque remittebat de orationis studio, licet interdum cogeretur vacare temporalibus.

Sub ea tempestate, Reverendo Patri Bernardo Carasso ad meliorem vitam sublato successit in moderamine totius Ordinis Venerandus P. Hieronymus Lignani, Cartusiæ Bononiensis Prior ac Tusciæ Visitator; qui recedens e sua Domo petiturus Majorem Cartusiam, Joannem sibi suffecit in utroque officio. De cujus vitæ merito, cum in procinctu itineris esset, coadunatis in Bononiensi Cartusia plerisque Italiæ Prioribus, luculentum perhibuit testimonium dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Christi etenim ipse bonus odor factus, suarum virtutum fragrantiam circumquaque Joannes Hieronymi discipulus effuderat.

His admotus officiis, cum sibi subditos divina potius quam humana sapientia regendos censeret, spem omnem ac cogitationem in Dominum projecit, cujus consilio negotia Religionis moderabatur; quem propterea ferventissimis et assiduis precibus pulsabat, ut daret sibi sedium suarum assistricem Sapientiam, qua illustratus, quid singulis ad salutem et commune bonum expediret, posset dignoscere. Orationi deditissimus, aliorum etiam suffragia implorabat; sciensque justi preces multum valere apud Deum, quos audiebat vitæ sanctimonia esse præstantiores, illos rogabat instantissime, ut pro eo exorarent divinum Numen. His suffultus præsidiis, cum nihil præter Dei gloriam et gregis profectum atque utilitatem animo versaret, tanto splendore sanctitatis prælucebat, ut cum rerum omnium contemptum, altissimæ paupertatis amorem, honestatem morum, studium orationis, chori frequentiam, humilitatem, patientiam, sensuum mortificationem, religiosam totius corporis compositionem aliis persuadere vellet, haud alio, præterquam factorum verbo atque eloquentiori vitæ exemplo, hæc illis instillaret.

Ipse enim quamvis totius Provinciæ negotiis præpediretur, infirmaque esset valetudine, chori tamen diligens et assiduus cultor, neque itineris labore, neque ulla corporis defatigatione aut administratione muneris, ab Horis Canonicis in ecclesia diu noctuque persolvendis revocabatur. Cum ad templum pergebat, sanctum Hugonem Cartusianum, episcopum Lincolniensem, sibi fingens, quo ferventius interesset divinis, dicere solitus erat suis negotiis : *Expectate hic cum asino ; ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos;* adeo ut magna animi alacritate, reverentia atque attentione divinis laudibus incumberet, quasi inter cœlestes Angelorum choros divinum concinuisset Officium : nunquam Matutinarum prolixitate fatigatus, quæ semper illi videbantur breviores, præ torrente voluptatis qua mens ejus reficiebatur. Nec minor illi erga sacrosanctum Missæ Sacrificium, in quo Divini erga nos amoris effunduntur divitiæ, animi ardor inerat; cujus dum celebrationi intenderet, totus incalescebat ad contemplationem tam augusti venerandique Mysterii.

Non solum domi, sed foris etiam erat devotissimus; eumdem in claustro, eumdem in itineribus servabat vitæ tenorem. Nihil unquam detrahebat de statis exercitiis : iter faciens vacabat orationi; tamque sollicitus erat in persolvendis defunctorum suffragiis (quamvis aliunde juxta Statutorum indulgentiam per oblationem incruenti Missæ Sacrificii eisdem posset satisfacere), ut nulla negotiorum habita ratione, non secus ac monachus in cella degens, Mortuorum Officium, quod *Agendas* vocamus, recitaret, ac psalteria.

Quo plus ætate procedebat, eo amplius se se efformabat ad aliorum normam, nihil sibi arrogans ex munere Prioris et Visitatoris; imo quo major erat ex dignitate, tanto magis studebat fieri minor. Unde a nemine aliquod servitium sibi præstari permittens, ipse sternebat cubile, verrebat cellulam; prandium, Conversorum instar, ad coquinæ januam ibat quæsitum, vacuas paropsides postea referens; ipse etiam hauriebat aquam ex cisterna juxta ecclesiam constructa. Nunquam usus ministro, illud Psalmographi perficere satagebat : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit;* memor etiam semper Oraculi sacri dicentis : *Quanto major es, humilia te in omnibus*, quia Prælatorum gloria humilitas.

Raro se calefaciebat ad ignem. Quod si per hyemem litteras scribere cogeretur, bajulus ipse fasciculi sarmentorum in aliena cella igniculum excitans, admotis ad tenuem flammam raptim digitis statim recedebat : timens ne corpori, cui bellum perpetuum indixerat, nimium quid indulgeret. Hujus castigator acerrimus erat, juxta Divi Pauli mentem : *Non sumus,* inquit ille Gentium Apostolus, *non sumus debitores*

carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem facta carnis mortificaveritis, vivetis.

His accedebat tantus paupertatis amor, ut cum animum ab omni rerum cupiditate non modo liberum sed et alienum gereret, rebus quoque non ad voluntatem aut voluptatem, sed ad necessitatem dumtaxat uteretur. Habitus enim, dummodo corpus tegeret atque inserviret honestati, non quis melior aut mollior, sed potius quis deterior et obsoletior esset, ab eo quærebatur. Laceras tunicellas, multisque segmentis a se reconcinnatas ad extremam usque vetustatem gestare consueverat; quas quidem ipsemet lavabat lixivio, ne deprehensis vestium centonibus, patefacta paupertatis suæ virtus ab aliis laudaretur.

Tanta porro austeritate ac tenuissima victus ratione vitam instituerat, ut cum assiduis itinerum laboribus, vigiliis, ac infirmitatibus corpus illius defatigaretur, modico tamen cibo utebatur, cœlesti pabulo saginatus.

Hoc modo Joannes cum in summa et voluntaria rerum paupertate vitam duceret, ibi altissima Religionis fundamenta jaciebat in utroque statu perutilis Cartusiæ Bononiensi. Ad cujus moderamen cum fuit assumptus, vix redditus monasterii sufficiebant ad viginti quinque monachorum sustentationem; sui autem regiminis spatio Domum hanc tot ædificiis adornavit, tot adauxit annuis vectigalibus, ut moriens ibidem reliquerit triginta quinque Religiosos, et viginti quinque Fratres Conversos.

Non sine ingenti admiratione conspici potest hujus amplissimæ Domus splendor, quæ sua majestate decus et ornamentum est civitatis Bononiensis, quam e fundamentis pene tantus œconomus extruxit. Firmissimis et altis circumvallatur muris per milliarii longitudinem, quos ipse perduxit ad culmen. Porro parietes firmantur versus publicam viam, et canalem qui sepimentum alluit. Læto plane aspectu augustissimum se se pandit claustrum, ubi tabernaculorum instar cellulæ viginti quatuor assurgunt, quarum singulæ constant mille aureis absque eorum supellectile. Occurrunt etiam duo alia minora claustra : quorum unum sex cellulas continens, extructum est juxta hospitium ; adjacet alterum, quatuor cellulas complectens, templi sacellis. Sumptuosissimum plane opus est hujus cœnobii sanctuarium. Sacella cum mirifice sint exornata, vel præstantissimi pictoris tabulis eorum renident aræ, vel fornices, variis distincti coloribus, ob Sanctorum expressas imagines ad pietatem nos excitant, vel ab operis elegantia rapiunt in admirationem. Tanta Cartusiæ venustas immortalem apud posteros laudem Joanni comparat, qui alter *Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum.*

Valetudinarium et alia superædifi-

casset, nisi mors his finem imposuisset; adeo ut, cum Cartusiam ita decorasset magnificis structuris, moriens has Imperatoris voces sibi poterat vindicare : « Inveni lateritiam, reliqui marmoream. » Cum Apostolo etiam tam præsentibus quam futuris hujus eremi alumnis dicere potuit : « Signum regiminis mei estis vos; » cum quamdiu habuit rerum administrationem, septuaginta quinque aureos comparcendo seposuerit, præter bona quæ monasterio acquisivit. Hæc autem non turpis lucri gratia facta sunt, sed ad majorem Dei gloriam, ad numerum servorum ejus adaugendum, et pauperum levamen.

Quod autem hunc Dei servum commendat, est illa praxis accurata Tobiæ documenti, quo filium suum instituebat ad eleemosynam erogandam his verbis : *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Hujus præcepti custos Joannes, juxta redditituum accessionem, stipem adaugebat; cui sæpe sæpius tam amplam Deus impertiebat benedictionem, ut annona divinitus multiplicaretur in paupertatis emolumentum. Erga calamitosos pius Pater se profusum magis quam liberalem exhibens, bona Cartusiæ credebat eorum esse patrimonium; volebatque ut afflicti quique et mendici confugerent ad Cartusiam tanquam ad asylum et suæ solamen inopiæ.

Sedulus observator Evangelii consiliorum, sinceram charitatem et paternum prorsus cor gerebat erga Religiosos urbis Bononiensis et circumvicina monasteria. Singulari quadam pietate (cum zelus illius intra privatos parietes se continere non posset) sollicitus erat ut irent de virtute in virtutem, eos provocabat ad gradiendum per sanctioris vitæ vias, curabatque ut servorum Dei numerus augeretur. Cumque hæc cœnobia plerumque ære alieno gravarentur, aliisque laborarent incommodis, succurrebat patientibus penuriam, iisque interdum centum aureos largiens, domos has restituebat in meliorem statum, juxta illud : *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*

Computa hujus monasterii luculentum perhibent testimonium de nimia ejus compassione in debitores suos et mancipes. Ita se benigne ac remisse præbebat erga illos, ut extremi Judicii semper memor, parum illis dimitteret, ut multum sibi vicissim in illa die a supremo Judice dimitteretur; veritusque fieri similis servo nequam Evangelii, miserebatur aliorum, illisque juxta singulorum indigentiam debitum condonabat : talem sperans a Deo se consecuturum misericordiam, qualem impendebat calamitosis.

Cum Joannes ita pronus esset in egenos, se seque bonorum monasterii non dominum sed dispensatorem existimaret, Deus ut non solum servi sui probaret virtutem, sed etiam ei præberet ampliorem meriti materiam, si quæ ci-

vitatis familia penuria laborans mendicare erubesceret, inter nocturnam quietem Angelus pulsans ad Joannis lectulum ipsi indicabat arcanam egestatem. Ille velut alter Samuel ad vocem loquentis non obsurdescens, non minus promptum, quam hilarem et prodigum datorem se demonstrabat. Cum enim nonnunquam necessitatem patiens non se statim manifestaret, moræ impatiens venerandus Pater perquirebat diligenter in circumvicina regione, donec occurrisset redactus ad inopiam. Hanc sublevabat cum volupe Joannes noster quibus poterat modis; Deoque gratias agens, quod mediante Angeli ministerio intellexisset super egenum et pauperem, dolebat nihilominus, quod coactus uti aliorum opera (cum per se pauperum ædes invisere non posset) propalaret suum secretum. Præcipiebat tamen eis ne rem divulgarent; verum quanto eis injungebat ut tacerent, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur Dei providentiam et servi ejus pietatem. De qua, inter cætera quæ extant argumenta, studiosus brevitatis hoc unum refero.

Per noctem aliquando cum juxta morem non audiisset charitatis exercendæ signum, cumque nullius cognovisset egestatem, religiosus Pater alienæ calamitati succurrendi cupientissimus, peramanter conquestus est apud Deum; statimque ad orationem confugiens, precibus ardentissimis divinum Numen rogavit, ut quod sibi quamvis immerito, prærogativa singulari, concesserat, jam non denegaret, pergeretque servo suo indicare illos, quibus opitularetur.

Desiderium patris pauperum exaudivit Dominus. Vix enim surrexerat ab oratione, cum afflatus Spiritu Sancto exit e Cartusia monacho comitatus; vixque pedem extulerat e septis monasterii juxta canalem qui fluit ad Domus parietes, cum hominem forma et habitu spectabilem, sed mœrore fractum obvium habet. Quem humanissimis verbis Joannes salutans, ita sermonum suavitate in hujus hominis animum se insinuavit, ut ille statim sceleratum sibi mortem consciscendi consilium venerando Priori aperuerit. Ut autem tantum nefas humanæ simul ac divinæ Justitiæ manus ultrices effugeret, homo ille a diabolo deceptus, obducta necessitatis corporalis specie, decreverat medici consilio, chirurgi opera sibi sanguinem detrahi; postque venæ incisionem statuerat obstrictum vulneri linteum subducere, quo vitam miserabilem cum sanguine funderet, ratus se innoxium mori, eo quod non ipse, sed chirurgus aperuisset venam. Obriguerunt ad hæc verba religiosi Patris aures. Qui dæmonis malesuadi technas et fallacias ei patefaciens, deduxit hominem illum in Cartusiam, ubi postquam salutaribus monitis ad meliorem mentem revocasset, et per dies aliquot spiritualibus exercitiis firmasset consolidassetque, dimisit illum tam insigni beneficio donatum.

Cæteras Joannis virtutes enarraturus, quædam scitu digna de illius eleemosynis adjicio. Non diffiteor Cartusiam Bononiensem a suo fundationis exordio se se liberalem in pauperes exhibuisse juxta priscum Ordinis morem; verum Joannis charitas in egenos præcelluit, cum dona multiplicaverit. Christiani fideles sacram ædem Lauretanam, divi Francisci Assisiatis templum, et Apostolorum Limina lustraturi confluunt ad Bononienses, adeo ut tanta sit frequentia peregrinorum, ut per menses aliquot, singulis diebus trecenti viri hanc civitatem pertranseant. Religiosissimus Pater divinæ Providentiæ fretus fiducia, nunquam eleemosynis amplissimis se Domum suam gravaturum credidit; utque in laxissimo suæ charitatis sinu plures egenos contineret, duodecim pagorum Cartusiæ adjacentium incolas seligens, bis hebdomadatim panem et vinum juxta singulorum necessitatem curabat subministrari. Hæc autem feriis tertia et sexta erogabantur a Solemnitate Sanctorum Omnium usque ad S. Joannis Baptistæ Natalem; hisque diebus mille panes dispertiebantur, præter quotidianam distributionem ad monasterii januam et ad Sanctæ Annæ hospitium. A qua laudabili munificentia successores in Prioratu non deflectentes, nihil hactenus de tam eximio charitatis opere detraxerunt.

Tanti autem Joannes faciebat eleemosynam, ut ipsi conservationem Domus et incrementum adscriberet, sicut is aliquando Principi ad Cartusiam diver-tenti sub distributionis horam testatus est. Cum enim ille tantam pauperum, panis vinique multitudinem miraretur, sic eum Joannes allocutus est, mendicorum turbam indigetans: « Serenissime Princeps, hi pauperes pars potior nostrorum reddituum sunt, horrea nostra implent frumento et vino cellaria, Domum augent facultatibus, animasque nostras ornant spiritualibus cœlestis gratiæ divitiis. » His verbis comprobabat Evangelii veritatem dicentis : *Centuplum accipietis et vitam æternam possidebitis*. Unde S. Joannis Alexandrini Joannes noster perfectus imitator, dives et minime angustus convivator, quotidie suppeditabat inopibus quæ erant ad usum necessaria : non ad indigentium aspiciens multitudinem, ut aliquid faceret (quod esset sordidi et illiberalis animi), sed ad eum, qui aperit manum, et omne animal implet benedictione. Quis enim ex iis, qui undique adventabant, victu indigens, si ad Cartusiam accessisset, tristi vultu et manibus vacuis reversus est, et non est benignitatem abunde consecutus ?

Nec minori erga defunctorum animas charitate afficiebatur. Quo fiebat, ut cum divinitus cognosceret tum sæculares tum Religiosos, quamvis multum a se remotos, mortuos fuisse, mane subsequente Missam pro iis celebraret, persolveret Officia Defunctorum, orationesque funderet pro illorum requie. Quin etiam erogabat suorum monacho-

rum suffragia, ut citius a pœnis soluti vocarentur in plenam bonorum cœlestium possessionem. Ita autem, Deo revelante, certam mortis singulorum notitiam habebat, ut non sine ingenti monachorum suorum admiratione eis indicaret obitum, horamque signaret qua singuli e vivis excesserant. Cujus vaticinii veritatem postea comprobabat tristis nuncius mortis eorum : quod quidem non didicerat ab homine, sed ab Angelis potius, quorum puritatis æmulator studebat imprimis ne vel levi labe peccati suam animam macularet.

Angelorum Domino desponsatus, et uni Deo adhærescens, sollicitus erat supra cordis et corporis custodiam, ne quid Sponsi oculis minus gratum cogitaret aut ageret. Solus erat, ut soli omnium, juxta D. Bernardi mentem, servaret se ipsum, quem ex omnibus sibi elegerat. Fugiebat publicum, quantum sibi licebat per negotia, fugiebat domesticos, secedebat amicis et intimis : secedebat non tantum corpore, sed mente, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Cumque verecundum esse Sponsum sciret, ita se modeste gerebat in omnibus, ut ne pedem quidem suum, quamvis aliunde quædam urgeret necessitas, nudum Fratri Converso tunc sibi ministranti conspiciendum exposuerit : ratus id homini religioso indecorum, sancto Dorotheo hoc attestante, dum ait : « Cave ne aliquo præsente membra tua detegas; et vehementer licet æstues, noli tamen aliquod membrorum tuorum denudare. » Juxta regulam hanc manus semper manicis gerebat insertas, raroque faciem suam proferebat, quam deprimebat in caputium, ni cogeretur caput detegere.

Vir adeo circumspectus vigilque circa hominis exterioris compositionem, tantam sui reverentiam imprimebat in domesticorum et extraneorum oculis, ut Joannis gravitatem et sensuum illius mortificationem suspicientes (ea enim majestate coruscus ipsis apparebat tanquam alter Moyses) in ejus faciem intendere non valerent. Quapropter cum nihil ipsi jucundius esset, quam in solitudine divinis vacare colloquiis, hinc ex consortio sermonis Dei, tantum ipsius verba apud alios divinæ lucis ac virtutis hauriebant, ut Angeli potius quam hominis voces cunctis viderentur.

Cœlesti prorsus prudentia Prioris et Visitatoris officio fungens, monachis non auctoritate, sed virtute dumtaxat præerat. Omnibus siquidem humilitate, mansuetudine, charitate, paupertate, silentio, vitæ austeritate et regulari disciplina superior, cunctis velut quædam apparebat regula monasticæ perfectionis; suaque virtute prælucens, illos alliciebat ad sui admirationem atque imitationem. Quo fiebat, ut, cum ipsius vita loquax quædam esset lingua virtutis, quæ universos ad bene beateque vivendum instrueret abundantius, ex ea quid cuique fugiendum, quidve amplectendum esset, addiscerent.

At quandoquidem perfecti Superioris

officium est non solum exemplo sed etiam verbo docere, satagebat plurimum Joannes piis sermonibus sicut aquila pullos suos provocare ad volandum. Tum publicis tum privatis colloquiis consueverat inculcare Statutorum observantiam, silentii et solitudinis studium, interioris exteriorisque hominis mortificationem. Si quos autem minus in Dei famulatu ferventes, Statutorumque transgressores cerneret, ad horum morbos animique languores curandos studium omne ac diligentiam conferebat, adeo ut nec illius mansuetudo disciplinam regularem dissolveret, neque ob mansuetudinem correptio desereretur. Quanquam autem omnibus vel ipso experimento compertum sit, correptionem suapte natura rem esse molestam, verumtamen in hoc sancto viro res maxima admiratione digna erat, quod cum argueret libere delinquentes, nemo tamen ab eo, animo exulceratus abscessit. Quod si quis increpationem graviter accepisset, statim eum verborum suorum suavitate demulcebat, nullumque dimittebat nisi consolatum. Divina siquidem charitas, ex qua, velut ex Dei officina illius correptiones, quasi ardentes quædam scintillæ, prodibant, ita correptionis verba componebat, ut peccantium animos non sauciarent, sed vi quadam sibi indita inflammarent et compellerent ad morum correctionem.

Singulas crediti sibi gregis oves tanta diligentia curans, nulli suo officio deerat. Sæpe sæpius invisebat monachos, eosque juxta cujusque modum ac naturam sedulo provocabat ad virtutem. Cavebat autem, ne discretionis metas in cibo potuque transgrederentur, asserens virtutem sine discretione non posse diu stare incolumem. Omnia omnibus factus, in omnes se vertebat formas, ut omnes in pace et gaudio Spiritus Sancti contineret.

Non proderat tantum Cartusiæ Bononiensi, sed etiam cæteris Tusciæ monasteriis. Suscepto siquidem, ut jam diximus, munere Visitatoris, cum illud sibi ministerii genus ab Ordine creditum non ignoraret, quo hujus Provinciæ monachos luce virtutum anteire deberet; mirum plane quam integre ac perfecte hoc præstaret officium. Cumque intelligeret commune Religionis bonum ex regimine Superioris pendere, curabat imprimis providere Domibus de Pastore idoneo, cujus vita irreprehensibilis cæteris esset in exemplum. Cumque haud vulgari eruditione singularique polleret tum scribendi tum dicendi facundia, per litteras monasticæ perfectionis amorem ac studium instillabat.

In Visitationibus autem, quas summa perficiebat diligentia, mira in ipsius conversatione humilitas, mira elucebat affabilitas, qua ad eum velut ad amantissimæ matris sinum cuilibet confidenter aditus pateret. Eo pro Ordine fervebat zelo, ut eum nec labor itineris, nec intensi calores, nec naturæ mollio-

ris imbecillitas deterrerent, quominus singula Provinciæ loca inviseret, se ipsumque Fratribus suis libenter impenderet : cunctos confovebat, consolabatur, hortabatur.

Non solum lustravit per viginti sex annos cum ingenti fructu Tusciæ Provinciam, visitavit præterea Provincias Lombardiæ propinquioris et remotioris, Picardiæ, et quasdam Galliæ Domos. Delegatus fuerat etiam a Reverendo Patre ad visitandas Castellæ et Cataloniæ Cartusias; verum ob alia quædam negotia in tam longinquam regionem ire prohibitus est. Ea enim in veneratione erat Joannes apud summum Ordinis Præfectum et cæteros Patres, ob insignem vitæ sanctimoniam, morum honestatem, præstantem doctrinam, in rebus agendis dexteritatem, ut cum in eo cuncti angelicæ conversationis formam suspicerent, dum aderat Comitiis in Cartusia Majori celebratis, nemo in eum conjiciebat oculos aut audiebat loquentem, qui hominem plane cœlestem esse non existimaret.

In horum argumentum subjicio testimonium, quod inter cætera Visitatores perhibuerunt de eximia Joannis virtute. Patet hoc ex duabus Chartis, quarum primæ tenor talis est:

« Anno a Natali Domini 1591, mensis Julii 26. Nos, Frater Nicolaus, Prior Sylvæ benedictæ, Commissarius generalis a Reverendissimo Patre nostro ad visitandas Domos totius Italiæ deputatus, et F. Adam, Prior Domus Allionis, in collegam assumptus in absentia V. P. Prioris Parmæ, ad formam Statutorum nostrorum Cartusiam Bononiæ visitantes, invenimus R. P. D. Joannem Baptistam Priorem Domus, boni, pii, eruditi et vigilantissimi Pastoris, Visitatoris typum gerentem ; qui omnibus suis devotionis, observantiæ regularis, sobrietatis, zeli et sollicitudinis pastoralis admiranda præbet exempla; cujus præcipuus scopus est auream illam et arctam primorum Patrum nostrorum devotionem et observantiam regularem tam in Domo sua, quam in tota Provincia perfectissime introducere, et introductam mordicus conservare, bonos mores tueri, pravos corrigere, sibi sub disciplina constitutos cohortationibus et admonitionibus verbo et exemplo ad pietatem innocentiamque accendere, ut possit velut alter Joannes Baptista parare Domino plebem perfectam.

« In Domo sua quocumque incedebant oculi, nil nisi religiosum, nil nisi pium, nil nisi devotum sanctumque redolebat. Circa vitam suam inoffenso pede excurrisse audivimus. Omnibus suis in Christo filiis, quos secum habet, et quos omnes fere in Religione vestimento salutis induit, gratum esse, et ab eis summopere diligi intelleximus ac revereri, et suis mandatis atque consiliis omnes illi promptissime et quasi ad nutum obtemperare propriis vidimus oculis. Cum omnibus in victu, vestitu et aliis exercitiis se conformare, imo

multo exactius quam alii, et studiosius difficillima quæque regularis observantiæ instituta servare.

« In reprehendendis subditorum transgressionibus, ita zelum rectitudinis cum spiritu lenitatis temperat, ut omnes hilaritate et consolatione perfundantur, nullique de eo conquerantur. Omnibus ad se venientibus facilem aditum præbet, omnes libenter audit et videt, cum omnibus amanter loquitur. Omnibus tam sanis quam infirmis sine ulla partialitatis nota hilarem datorem se præbet. Diu ac noctu ecclesiam frequentat, rei domesticæ œconomia non neglecta; temporalia enim tam feliciter, fideliter ac prudenter tractat, ut eorum affluentia multa bona in utilitatem fecisse, redditus annuos auxisse, ecclesiam suam honorifice decorasse, cellas novas pro monachis ædificasse compertum sit : et nos ipsi vidimus, et sedulo considerantes admirati sumus. Summopere contendit secundum exemplar, quod illi ostensum est in monte Cartusiæ, vitam et suos componere, eamdem formam habitus et vilitatem, quantum fieri potest, promptissime admittere, eamdem gravitatem et devotionem in cantu, et easdem ceremonias imitari satagit, arctam silentii et solitudinis observantiam custodire : ita ut dicere valeamus cum Patriarcha Jacob : *Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta Cœli.* »

Alterum adjicimus Visitationis Instrumentum.

« Anno a Nativitate Domini 1603, mensis Aprilis... Nos, F. Archangelus, humilis Prior Montelli, et F. Joannes Maria, Prior Domus Maggiani, Commissarii deputati a Reverendissimo Patre Generali nostro per particulares illius patentes ad visitandum Domum S. Hieronymi prope Bononiam, illamque ad formam Statutorum nostrorum visitantes, visum nobis est, nos tantum huc venisse ad colligendas laudes, ad audienda encomia Patris admodum venerandi D. Joannis Baptistæ Capponii, Prioris ejusdem Domus ac Visitatoris ordinarii Provinciæ Tusciæ; cujus virtutes, cujus dotes, cujus religiosissimæ actiones adeo recitantur, prædicantur et extolluntur ab infimis, a mediis et a supremis, ut non nisi una tantum voce, lingua et uno ore videri possint esse prolatæ, quando modo ab uno, modo ab altero non augerentur, variæ causæ non adducerentur, novæ multiplicesque illius actiones passim in medium non producerentur.

« Hic, si quo cardine vertatur regimen Domus quoad temporalia spectes, diceres : In aliud non incumbit. At vero si spiritualia diligenter attendas, asseverabis : Hic temporalium nulla ratio habetur. At utraque manu æquali dexteritate et vigore utitur. Si frequentiam, si assiduitatem illius ad ecclesiam diu noctuque ac singulis horis intuearis, animo concipies, ut nulli aliæ rei vacare possit. At si egregias gravesque illius occupationes quibus perpetuo detinetur ponderabis, in eam venies opinionem,

ut nunquam possit adire ecclesiam ; et nihilominus illi adest, primus assistit. Si vero aliqua vice cogatur (quamvis id raro eveniat) abesse, ita dolet, ita se cum monachis humiliter excusat, ut magnum quoddam piaculum admisisse videatur.

« Ea est morum illius gravis affabilitas, ut a singulis mirum in modum diligatur. Ea est illius humilitas, ut postremus omnium videatur. Sic consolatur omnes, ut quilibet ad eum tanquam ad sinum piissimi patris confugiat. Sic contra inobservantias invehit, ut nemo eas admittere audeat. Si quandoque aliquem errare et a recto deflectere (ut humanæ est fragilitatis) contingat, nunquam correctionis munus denegat : quinimo illud sic junioribus et provectis impertit, æquali lance, ut sicut nemo sit, qui eam evadat, sic nulla restat occasio, unde quis partialitatem dolere valeat. Ita tamen paterne omnes admonet et corrigit, ut in dubium semper verti possit, sitne ipse solus pater, an solus Superior.

« Circumspicientibus undique, et oculis nostris cuncta lustrantibus, vidimus et mirati sumus fabricas in hac Domo, ne dicemus fieri, sed sua sponte pullulare ; in quibus gratia cum religiositate, decor cum simplicitate, expensæ cum utilitate certant. Magna vis auri in eis necessario impenditur; attamen si interrogemus quomodo Religiosis postposita morula res necessariæ et opportunæ subministrentur, ecclesia et sacristia quali decore ornentur, videri potest quod inde bonorum omnium affluentia ornantur, et quod hinc fabricæ conficiantur, et hinc splendor Domus enascatur.

« Quotidie iste bonus Pater Sacrum facit, et vita illius a tanta functione non discrepat : in omnibus enim se exemplarem præbet in colenda paupertate, in profitenda sancta et amabilissima rusticitate, in abjectione vestitus, et parcitate et asperitate victus, in servandis jejuniis adeo, ut vita illius nihil aliud sit quam perpetuum jejunium. Conversatio sua cum Religiosis, cum junioribus, cum provectioribus, cum laicis, cum sæcularibus, præ se fert summam honestatem, spirat suavissimæ munditiei odorem. Non verbis, non gestis, non aliquo modo præbet ansam illis vel tenuissimæ suspicionis ; sed in omnibus candor et nitor relucent et emicant. Sine urgenti necessitate e monasterio non egreditur ; et cum exire compellitur, pedes incedit. Summo flagrat desiderio, ut inter omnes pax vigeat, eamque totis viribus tuetur et fovet; inturbatus fere sævit. At in hoc tandem omnes nervos intendit, nempe ut Statuta et Ordinationes Capituli ad unguem observentur. Idem zelat, ut regularis observantia nulla ex parte labefactetur : et lucerna denique ardens et lucens, et non quidem sub modio, sed super candelabrum ita posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. »

Jam fere sexagesimum quartum æta-

tis annum Joannes attigerat, cum, susceptis pro Ordine laboribus, rigore pœnitentiæ, somni cibique parcitate, jejuniis vigiliisque consumptus, infirma admodum esset valetudine, deficeretque in dies ob lotium sanguineum ; ille nihilominus, sciens corporis infirmitates esse virtutis caminum animæque incolumitatem, abstinuit a medicamentis præ melioris vitæ desiderio. Cumque illius nepotes Annibal et Joannes Capponi, non incelebres medici, morbis illius vellent adhibere remedia ; ipse parum suæ sanitatis sollicitus, imitatorque consobrini sui Seraphini Capponi, Ordinis Dominicanorum sancti admodum alumni, respondebat nepotibus : « Cupio dissolvi et esse cum Christo » ; memorque moniti salutaris Sancti cujusdam ad discipulum suum morbo laborantem dicentis : « In dolore sustine, et in humilitate patientiam habe ; et quando voluerit, Dominus conferet tibi sanitatem. » Ne deflectere a paupertate et a corporis mortificatione, cujus semper fuerat studiosissimus, videretur, utque diuturnæ infirmitates ampliorem meriti materiem suppeditarent, noluit unquam uti pharmacis.

Interim cum se gravatum tum senio tum morbis cerneret, regiminis sarcina instantissimis precibus exonerari petiit a Reverendissimo Patre Generali. Anno 1613 a Capitulo redactus in Ordinem, lætus hunc suscepit nuncium, quod suæ Domus et Provinciæ administratione liberatus esset. Sublatis in cœlum manibus, Deo regratiabatur pro tanto beneficio. Sibi redditus bonus senex, qui nunquam temporalibus se dederat sed tantum commodaverat, revolutus in primævum tyrocinii fervorem, suæ saluti animum intendit. Quasi recenter Religionis stadiodromon ingressus, eum virtutis instituit cursum, quo non ignaviter vel remisse (quasi qui senuisset in Dei servitio) vel incerta meta curreret, sed Apostoli exemplo vitæ curriculum absolveret in corporis maceratione, quantum ipsi liceret per adversam valetudinem.

Cumque jam se vergere sentiret ad occasum, qui per tot annos cæteris humilitate, patientia, sui ipsius contemptu, paupertatis studio, summaque benignitate præluxerat, harum virtutum radiis præstantioribus illustrabat hanc eremum. Intererat divinis Officiis miro cum spiritus fervore. Cumque præ infirmitatibus lectulo detineretur affixus, singulari prærogativa Sacrum e lecto devotissime audiens, quotidie Angelorum Pane reficiebatur. Quo plus autem deficiebat corpus, tanto magis interior homo confortabatur, hoc cœlesti saginatus epulo.

Deus interim servum suum adaugebat benedictionibus dulcedinis, divinaque luce perfundebat ; verum pius Pater in humilitate sua semper perseverans, satagebat silentio modestissimo favores hos subticere. Contigit tamen ut propalaret beatum Seraphinum Capponi ex hac mortali vita migrasse, anno

1614, die 2 Januarii, ad immortalem. Ejus nepotes medici cum mortem præfati viri patruo suo nunciaturi venissent, ipse sermonem præveniens, horam, temporisque punctum eis signavit, quo Seraphinum cœlestis gloriæ præmia fuisse adeptum conspexerat. Cætera silentio prætermittens ex innata animi humilitate, noluit indicare se ad sustinendos diuturni morbi dolores hac visione fuisse excitatum : ut qui singularis amicitiæ nexu Seraphino fuerat conjunctus in terris, quique cum eo in eamdem monasticæ virtutis perfectionem collimaverat, eadem mox post mortem beatitudine cum illo frueretur.

Sub hæc tempora cum Reverendus Pater Cartusiæ Majoris Prior audivisset Joannem jam ad vitæ finem properare, memor quam strenue laborasset in vinea Domini, præter concessa Visitatoribus suffragia, adjecit et aliud spirituale beneficium, quod patet ex litteris quas scripsit in hunc modum :

« F. Bruno, humilis Prior Majoris Cartusiæ, Ordinis Cartusiensis generalis Minister, Venerando Patri D. Joanni Baptistæ Capponio salutem et benedictionem a Deo, a quo omnis salus et benedictio derivatur. Non sunt oblivioni traditi labores, quos multo tempore in Ordine nostro suscepistis, non zelus et disciplinæ rigor, quem tam fervide exhibuistis, non fidelitas, quam in singulis vestris actionibus ostendistis, non commodum et utilitas, quam semper, Deo favente, et quæsistis et attulistis, sed manent et vigent in memoria, nec ulla delebit oblivio. Proinde cupientes vobis benevolentiæ et grati animi nostri monumentum aliquod exhibere, quatenus inde vobis pateat manifeste, non minori teneri nos desiderio æternæ vestræ salutis ac requiei, ac fuerint ii prædecessores nostri, sub quibus Altissimo in Ordine nostro tam digne et laudabiliter militastis : Missam de Sanctissima Trinitate per totum Ordinem nostrum a singulis sacerdotibus post diem obitus, quem Deus felicem faciat et beatum, persolvendam, harum tenore concedimus, majora etiam in vos beneficia collaturi, si non jam a prædecessoribus nostris amplissima vos ea consecutos fuisse certo novissemus. Datum in Majori Cartusia, die 30 Aprilis, 1614. »

Quamvis autem Dei servus his spiritualibus donis non sine ingenti gaudio se ditatum videret, erubescebat tamen, se tantis beneficiis plane indignum reputans. Exhibita a domesticis et a monachis pio seni officia charitatis illum pudore afficiebant, utpote qui de se humillime sentiret. Cumque dicerent ipsum de Domo, de Provincia, de Ordine universo fuisse optime meritum, ille respondebat juxta Evangelii præceptum : *Hæc omnia cum feceritis, dicite quia servi inutiles estis*. Quod si pergerent laudare labores illius officiosos, ipse tacens, lachrymis mox testabatur se hæc omnia nihili facere.

Cum autem per totum vitæ spatium

(Domino tanquam fure clam adveniente) prudens ac frugi Paterfamilias ad illius adventum vigilasset, vitæ finem sibi adesse conspiciens, devotissima Sacramentorum perceptione ac ferventissimis orationibus ad supremum illum Domini diem se parat. Genis madentibus devotissime Salvatorem suum suscipiens, elixit uberrimas lachrymas ex adstantium oculis, qui mox se cernebant tanto Patre orbandos.

In extrema salutis linea constitutus, cum pulsum campanæ pro Vesperis Beatissimæ Virginis Mariæ, quam singulariter coluerat, audiisset, adstantem sibi monachum rogavit, ut cum eo simul hoc recitaret Officium; dumque Vesperas usque ad *Gloria Patri* Cantici *Magnificat* persolvisset, sensibus integris, adhuc postremus illi versiculus ex ore fluebat, cum inter divinas laudes emisit spiritum, anno 1614, die 23 Augusti. Post pretiosam in conspectu Domini ejus mortem, tametsi in lecto quasi mortuus jaceret, haud tamen mortui sed viventis vultum ac formam sibi præferre videbatur, tanta venustate præditum, ut cunctos suo aspectu exhilararet, ad suique venerationem et oscula alliceret.

Ex Vita ms. quam ex Italico in Latinum sermonem transtulimus.

XXIV DIE AUGUSTI

ELA

COMITISSA SARISBERIENSIS FUNDATRIX HENTON

Uxor Guillelmi de Longaspatha; post mortem conjugis sui, anno ætatis suæ 51, juxta consilium S. Edmundi archiepiscopi Cantuariensis habitum Religionis assumens, anno 1238 : cum paulo post in Abbatissam electa fuisset, omni sanctitate præluxit, vigiliis, jejuniis, orationibus, disciplinis et aliis macerationibus addicta. Tandem cum ob senium præfecturam abdicasset, quievit in Domino, anno 1261, 9 Kalendas Septembris, ætatis suæ 74; sepulta in suo monasterio de Lacok, quod fundaverat, sicut etiam Cartusiam de Henton. Alii referunt ejus obitum ad 4 Kal. Maii.

Consule Monasticum Anglicanum.

LAURENTIUS BRION

PRIOR NOVIOMI

Oriundus ex oppido Calniaco, diœcesis Noviomensis; Magister in Artibus, et actu regens in monasterio Fontis S. Eligii, Ordinis Canonicorum Regularium. Suscepit habitum Cartusiensem

in hac eremo, anno 1488, in die S. Magdalene; qui statim post professionem mancipatus fuit officiis, eo quod maturus ætate, prudentia et religiositate haberetur. Anno autem 1494 electus in Priorem, præfuit usque ad annum 1524, quo post multos infirmitatum agones ipsosque diuturniores, plenus dierum et bonorum operum decessit, die 24 Augusti.

Ex Catalogo Priorum Noviomi.

JOANNES DE MEDINA

CONVERSUS DE MIRAFLORES

Dictus etiam Joannes de Medina de Pumar; vir admodum religiosus ac exemplaris. Qui, diu monasterii janitor, summa effulsit in pauperes charitate, quorum vices dolens iis subveniebat omnibus modis; cum Superiorum licentia cibum sibi detrahens, illis subministrabat pitantiam, ipse interim fructibus et herbis contentus. Fuit insuper pacificus, humilitatis et obedientiæ cultor egregius. Qui cum in omni sanctitate vitam exegisset, tandem cursum confecit feliciter, anno 1530, die 24 Augusti.

Ex Mss. hujus Domus.

NICOLAUS MARTIN

PRIOR VALLIS CLUSÆ

Professus Cartusiæ; Prior Vallis clusæ anno 1602 constitutus, in hoc officio usque ad obitum suum perseverans, sanctissime vitæ cursum absolvit, anno 1616, die 24 Augusti. Ita charitate præcelluit ac humilitate, ut ab omnibus eo nomine diligeretur. Erat enim subditorum sibi multum sollicitus, quorum minimo ipse, propriæ immemor dignitatis atque ac humillimus omnium servus, afflicto vel ægro decumbenti nunquam defugiebat opitulari. Nihilo secius morum erat conditus gravitate, quam eloquio suavissimo, voce ac vultus hilaritate temperabat; ita ut nonnullos, moribus asperis, ab eo discessisse molles ut ceram et in Angelos reformatos, compertum sit. Sed et quidam infrunitorum male habentes, pejus habiti atque pessime habitantes, cum eo solo degere expetebant: adeo consuetudinem vitæ illius intemeratæ reverebantur. Præterea fuit ille nunquam morosus sed suavis, in promptu semper habens quod de Deo diceret aut bonis spiritualibus tractaret ad votum audientium : quod bene ei semper cedebat, nam et domestici et externi ejus eloquio se nunquam satiari potuisse asserebant.

FRANCISCUS SANSON

MONACHUS ABBATISVILLÆ

Patria Abbavillæus; vota professionis nuncupavit, anno 1619, die Nativitatis B. Mariæ, quam impense semper dilexit. Singulari modestia morumque innocentia præditus, nulla unquam pec-

cati lethalis labe conscientiam suam maculavit. Mortuus est anno 1623, die 24 Augusti. Hoc cohonestatur Elogio in Necrologio Cartusiæ : « Franciscus Sanson Abbavillæus, in brevi consummatus, maximæ spei adolescens, hortus virtutum irriguus, sperandæ sanctitatis auspicio, veluti Phœnix, qui suo moriens in nidulo, rursum victurus, mortem absorbens in victoria. » Illius meminit Auctor Antiquitatum Abbavillæarum.

XXV DIE AUGUSTI

S. LUDOVICUS

REX FRANCIÆ

FUNDATOR CARTUSIÆ PARISIENSIS

Cujus sanctitas cum a multis celebretur, ejus hic Elogium subticemus. Decessit Tuneti, anno 1270, die 25 Augusti. De fundatione Cartusiæ Parisiensis fuse diximus ad diem 15 Januarii, ubi Lector videbit quanti S. Ludovicus fecerit Cartusianos. In ejus autem honorem constructa fuit Cartusia Noviomi.

PETRUS DORLANDUS

VICARIUS DIEST

Obiit anno 1507, die 25 Augusti; quem perperam Petræus noster facit Priorem Diesthemii, in qua Domo Vicarium egit. De illo autem in sua Bibliotheca Cartusiensi loquitur his verbis :

« Multa fuit et vitæ integritate et eruditionis laude conspicuus, magnusque sui ipsius ac rerum omnium mundanarum contemptor. Unde et frequenter usurpare solebat illud Zachariæ monachi, discipuli nimirum Abbatis Moysis, de quo in Vitis Patrum legimus, pallium suum pedibus conculcantis ac dicentis : « Nisi quis sic fuerit calcibus protritus, monachus esse ac dici haudquaquam poterit. » Hinc cum gravi subinde detineretur infirmitate, semper miram præ se tulit patientiam : utpote qui familiare sibi illud S. Genesii martyris, de quo in Romano agitur Martyrologio, dictum habebat : « Non est rex præter Christum ; pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis. » Neque id frustra; ipso etenim eodem die Divo Genesio sacro (cujus et dicta et res gestas per omnem vitam identidem prædicabat) ad Dominum emigravit, anno 1507, ætatis 53.

« Eluxit autem in illo, ultimæ ægritudinis tempore (diu quippe lecto affixus fuit, ac variis gravissimis conflictatus morbis), eximium religionis pietatisque specimen. Quarum equidem virtutum

tunc vel præcipuam significationem edidit, cum ea diceret et testificaretur, quibus posset intelligi, eum parum de hac misera vita, multum vero de illa sempiterna esse sollicitum, etc. »

GASPAR DE WIGHEN

MONACHUS BRUXELLÆ

De quo fit mentio in Chronico hujus Domus in hunc modum : « Gaspar de Wighen, professus 14 Septembris, anno 1528 ; Vicarius et Infirmarius circiter 18 annis. Valde obsequiosus et paratus omnibus inservire, vir magnæ patientiæ et pacis, non curiosus, nesciens irasci, amator simplicitatis et rusticitatis, Statutorum zelosus observator. Hoc illi retributum a Domino, ut tam luculenter ejus virtutes enumerarentur, qui tam diligens fuerat attexere aliorum laudes in Calendario. Obiit in officio Vicarii, 25 (al. 26) Augusti, anno 1559. »

HENRICUS A LEODIO

PRIOR DIEST

Anno 1558 electus in Priorem, hujus monasterii regimen habuit usque ad annum 1572, quo e vivis excessit Lovanii, die 25 Augusti. Vir laudatissimæ conversationis, bonus Pastor et Convisitator vigilantissimus, optime meritus de Ordine.

Ex Catalogo Priorum.

PHILIPPUS DE CAMLERS

PRIOR GOSNAY

Advocatus in urbe Attrebatensi ; post uxoris suæ mortem sæculo valedicens, inter monachos Gosnay adscribitur. Ubi, cum aliquandiu se se gessisset admodum exemplariter, silentii, solitudinis simplicitatisque Cartusiensis observantissimus, anno 1595, per Capitulum, hujus Domus Prior instituitur. Anno 1600 translatus ad regimen monialium Gosnay, cum minus se videret idoneum ad conciones habendas, post biennium petiit instanter *misericordiam,* quam consecutus est.

Fuit in frequentando choro diu noctuque assiduus ; et cum præ infirmitate ad templum pergere non posset, illuc se se reptabat alaribus furculis nixus, ingenti cum spiritus fervore divina peragens Mysteria. Porro tanta cum devotione reverentiaque sollicitus erat in recitandis Horis, ut ea ipsa nocte, qua diem extremum clausit, videlicet 25 Augusti, anno 1625, doleret, quod nondum persolvisset Completorium.

Ex litteris D. Hieronymi Gallot Vicarii Gosnay ad me scriptis.

JOANNES BAPT. HELLERINUS

PRIOR PONTINIANI

Professus et alias Prior Pontiniani, die 25 Augusti, anno 1630, sancte vive-

re desiit. Vir fuit ad omnia idoneus, aspectu gravi et decoro. Successit in officio Procuratoris xenodochii post Joannis Castelvetri obitum. Vices suas adimplevit cumulatissime: nemini parcebat erranti, ministros continebat in officio ac pace laudabili. Cæterum et ipse morbo oppressus gloriose occubuit; ibi sepultus cum aliis.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

AMBROSIUS CHITUS

CONVERSUS BONONIÆ

De Vignola; vir multæ compunctionis, gravis, operarius, assiduus ecclesiæ, monasterio utilis, Beatissimæ Virgini devotissimus; pie fatis fungitur, anno 1644, die 25 Augusti.

Ex Chron. Cartusiæ Bononiensis.

MICHAEL ARNOLDI

PRIOR TREVIRENSIS

Canonicus et presbyter; Ordinem ingressus anno 1604, professionem fecit anno revoluto, decima Octobris. In Ordine functus officiis Sacristæ, Magistri Novitiorum, Vicarii; inde Ruremundam missus in Procuratorem, postmodum Molshemii Prior institutus, et Provinciæ Convisitator; postea electus in Priorem Domus Trevirensis suæ professionis, anno 1636, Visitatorque ordinatus, alias etiam Provincias visitavit. Clarus vita, moribus religiosis, sermone, Ordinis zelo, non solum apud Nostros sed extraneos etiam magna fuit in existimatione. Tandem senio gravis, meritisque dives, annum ætatis agens 84, vitæ cursum feliciter absolvit, anno 1659, die 25 Augusti.

Hujus venerandi senis Elogium hic subjicimus ex quodam Ms. Cartusiæ Trevirensis, cujus tenor talis est : « Quantum V. P. Michael post suam professionem in devotionis gratia creverit, quantum in cultu Beatissimæ Virginis profecerit exarseritque, vix potest exprimi. Tanta enim devotione rapiebatur ad recitationem rosarii, ut etiam in lectulo id ipsum inveniretur; atque vix unquam aliquem Conventualium sine rosario invisebat. Cumque eum quidam curiosus interrogasset, cur ita frequenter, etiam loquendo, rosarium haberet præ manibus, respondit : « Gestatio illa etiam est meritoria, dum ea fit in laudem et gloriam Virginis gloriosæ. » Quando quis monachorum aliquod rosarium tornaverat eique offerebat, magnopere tunc delectabatur illud cum decoro risu suscipiens.

« Præter hanc devotionem jaculatorias orationes plurimum frequentabat, vulnera Christi recolebat singulis horis sub Vesperam, ad quæ mire afficiebatur; illudque exercitium certis cum methodis præscribebat aliis, quando eos vidit tentatione aliqua præoccupatos, aut constitutos in afflictione. Exercitium de præsentia Dei amabat, librosque

cupide perlegebat de eo tractantes, sibique aliqua inde redigebat in compendium. Plus semper devotioni tribuens quam exterioribus negotiis, unde evenit quod vix unquam in Domo præsens a divinis Officiis nocte vel die abesset.

« Dum fuit Vicarius, observantiam regularem strictissime observavit; ita ut ne ullum quidem verbum, quo silentium fractum fuerat, impunitum pateretur. Postea factus est Procurator Ruremundæ. Inde ad regimen Molshemense translatus, omnem suam in eo impendit operam, ut novæ illius Cartusiæ structuram absolveret; quod et feliciter executus, numerum monachorum auxit, divinaque Officia exactissime diu noctuque frequentari ac servari curavit. Cæterum pius ille Pater in omnibus se se absolutum Religionis exemplar, fidelem illius Cartusiæ administratorem, perfectum circumspectumque œconomum atque totius Ordinis Cartusiensis amatorem præcipuum exhibuit; nec minus suæ conscientiæ rigidus semper observator permansit.

« In Visitationibus Provinciæ non minus fuit severus, sed ad formam Statutorum timorate procedere consueverat : cavens ne aliquem turbaret, aut turbatum non leniret, magis socii sui et Conventuum voluntatibus obsecundans, quam propriæ innitens scientiæ ac sapientiæ. Hinc non solum Religiosis, sed etiam multis præclaris nobilibusque viris admodum gratus acceptusque extitit : quod quidem plurimis exemplis posset comprobari, maxime dum hic Treviris præerat. Novitios et juvenes monachos solitudinis et silentii præceptis imprimis excolebat, importunosque sæculares eliminabat e claustro. In Officialibus instituendis aut destituendis maturam et circumspectam adhibebat diligentiam, maxime cum officia curam haberent annexam animarum. Unde solitus erat dicere : « Quando aliquod officium conferendum ad me devolvitur, mente mea circumeo totam Provinciam, et considero quisnam officio tali aptior sit, illique confero sine personarum acceptione. »

XXVI DIE AUGUSTI

MAGISTER LAMBERTUS

PRIOR CALABRIÆ

Burgundus natione; divi Brunonis alumnus et perfectus imitator, communi omnium monachorum consensu Prior et Magister eremi Calabriæ, post Lanuini mortem, eligitur et confirmatur; erat enim vir mitis, humilis et benignus. Interfuit consecrationi ecclesiæ Cathedralis civitatis Mileti, et post

Cardinales et Episcopos, ante omnes Abbates, subscripsit Privilegio consecrationis in hæc verba : « Ego Lambertus Magister Eremi ; » deinde sequuntur Abbates. Callistus II Romanus Pontifex, qui ipsam Mileti ecclesiam consecravit, ad ipsius Lamberti petitionem Domum S. Stephani accedens dedicavit ecclesiam S. Mariæ de Nemore, plurimisque dotavit privilegiis et indulgentiis ; quæ quidem ecclesia hodie in magna habetur veneratione, et feria 2 et 3 Paschæ et Pentecostes, fit in ea magnus concursus populorum, multaque in hoc templo patrata sunt miracula.

Hic Pater Lambertus ex zelo Religionis primus anachoretis in eremo S. Brunonis et cœnobitis in monasterio S. Stephani degentibus scriptas regulas dedit ; mores etiam Religiosorum non satis probatos emendavit sua severitate, et restituit ad pristinum rigorem. Vir miræ sanctitatis et abstinentiæ, qui Dominico die excepto, cæteris hebdomadæ diebus pane et aqua victitabat ; summa tamen charitate afficiebatur erga pauperes, præsertim autem erga monachos infirmos, quibus omnem humanitatem omniaque obsequia impendebat propriis manibus. Plurimum adauxit monasterium S. Stephani spiritualibus et temporalibus bonis. Decessit anno 1124, 26 Augusti.

Chronicon hujus Cartusiæ.

JOANNES

PRIOR HERBIPOLIS

Vir celebris ob mores religiosos, regendi peritiam et Ordinis zelum ; suæ Provinciæ Visitator. Qui multoties Præfecturam abdicare voluit causatus infirmitates ; verum cum ejus industria Ordo indigeret, ipsum ad labores sustinendos, ad perferendas propter Deum pressuras, ad illata Domui suæ damna reparanda cohortatus est per Chartas Comitiorum generalium. Quapropter in officio Prioris usque ad obitum perseverans, tandem anno 1401, die 26 Augusti, a laboribus requievit, translatus ad requiem sempiternam.

Catalogus Priorum Cartusiæ Herbipolis. De eo etiam fit mentio in Chronico Cartusiæ Coloniensis.

WERNERUS ROELEWINCK

MONACHUS COLONIÆ

De quo Chronicon hujus Domus agit in hunc modum : « D. Wernerus Roelewinck, natione Westphalus, patria Laerensis, ex diœcesi Monasteriensi, honestis parentibus natus anno 1425. Vigesimum tertium agens annum, relicto sæculo, Cartusianis Coloniensibus se se adjunxit, anno 1448 ; vixitque in Ordine annis 55 admodum laudabiliter, doctrina et virtutibus adeo ornatus, ut

Pater illuminatus diceretur et Sanctus. Fuit Historicus insignis, magnus Canonista, subtilis Theologus, nec infimus Sacræ Scripturæ interpres : et quod caput rei est, spiritualis vitæ cultor eximius. Obiit in senectute bona cum septem aliis, peste infectus, anno 1502, 26 Augusti, ætatis anno 77.

Ejus memoriam celebrarunt Trithemius, Bostius, Sutor, Possevinus, Philippus Bergomensis, Petræus in Bibliotheca Cartusiana et alii.

THEODORICUS LOERIUS

PRIOR BUXIÆ

Hujus Elogium fuse descriptum in Chronico Buxiæ contrahentes paulo angustius, nihilque de stylo immutantes hic apponimus.

D. Theodoricus Loeherius, natione Belga, patria a Stratis, primum juventutis florem in sacra Agrippinensium Cartusia divino consecrans Numini, ob animi candorem vitæque integritatem non solum suis quibuscum degebat, sed et exteris omnibus perquam charus extitit; admissus nimirum ad Ordinis gremium ab eximiæ pietatis viro P. Petro Leidensi, illo tempore Coloniensis Cartusiæ primatum agente. Qui non contentus rebus se se mundanis omnibus abdicasse, etiam utrumque germanum suum, nempe Brunonem ac Hugonem Loeherios, ad eumdem divini servitii famulatum secum pertraxit.

Quod quidem præclaræ pietatis exemplum magnopere suis extollit verbis inculpatæ vitæ vir, atque ab omni adulationis nævo alienus, Joannes Justus Lanspergius; qui cum præfato P. Theodorico in eadem Coloniensi Cartusia conjunctissime vivens, ac suas in Vitam Jesu Christi Salvatoris nostri meditationes eidem dedicans, inter cætera ita ait : « Ut hasce meditationes meas ederem, fecit fratris tui germani Hugonis, novi apud nos in Ordine nostro Christi tyronis, tum erga Deum fervor, tum erga me dilectio. Nam Ordini maxime eum idoneum videns, cupiebam hoc quoque exercitiorum genere institui. Est enim non paucis a Deo præditus donis, ingenio pollens admirabili. Est præterea innocens, utpote incorruptæ integritatis. Quod certe bonum, ut permulta alia, nemini ita post Deum accepta referre debet atque tibi. Quemadmodum et alter germanus tuus Bruno, licet major natu, nobiscum Cartusianus et sacerdos, eadem gratia enitens. Horum utrique tu olim ingenti cura nec minori vigilantia, et vitæ necessaria procurare studuisti, et animæ salutem. Quid dicam? Nullum non movisti lapidem, omnes rependisti conatus, ut hac in re magis patrem quam fratrem germanum præstares : quo simul et docti evaderent, et integritatis non amitterent innocentiam. Sudabas quotidie ne de mundo quidquam at-

tingerent, sed potius in Ordine Cartusiano tecum Deo servirent. Propterea non passus est Deus tam sancto tamque pio te desiderio fraudari. Nam innocentes, docti, incorrupti, Deoque devoti tecum hodie, non solum in eodem Ordine, verum in eodem monasterio vivunt Deoque dicati sunt. »

Verum Theodoricus noster quotidie de virtute in virtutem proficiens, cum non admodum multos in Ordine transegisset annos, a Priore suo Petro Leidensi anno 1525 Sacrista, ac deinde anno 1530 Vicarius est designatus; cui etiam annis quindecim sui pectoris arcana et privatim et publice Petrus patefecit. Cæterum quantos die noctuque in eruendis præloque aptandis beatæ memoriæ Dionysii Rickelii lucubrationibus labores exhauserit, constat ex aliquot dedicatoriis ejusdem epistolis. Verum enimvero cum jam labor omnis in evulgando Dionysio esset exantlatus, jamque strenuus hic Christi athleta quiete se potiturum arbitraretur, nova denuo occupationis mole oneratus fuit. Nam anno 1539 Domui Hildesii præficitur.

Anno 1542, Lutheranismo in urbem Hildesium inducto, cives hereseos novo musto temulenti mala malis duplicantes, die Dominica in Vigilia S. Augustini magno numero in hanc Domum irruentes, effractis summa cum violentia ostiis, seris et cistis, omnia pene ornamenta auferentes, secum ad curiam civitatis asportarunt, relicta tamen pro illa vice una monstrantia, sex calicibus, uno thuribulo argenteo et duabus ampullis argenteis. Verum eodem anno in Vigilia S. Michaelis reversi, et ista quoque abstulerunt, præter varia aliorum deposita in argento et auro : item omnia Domus registra. Insuper Theodoricum Priorem cum suo Conventu refectorio ad quinque dies noctesque incluserunt adhibita custodia; ex quo prius non dimissus fuit, quam arcam quamdam absconditam, multas originales literas, documenta, et secreta Domus plurima continentem, iisdem traderet. Sicque cum suis Domo expulsus est.

Anno 1543 Prior Buxiæ Visitatorque institutus, difficilem et operosam suscepit Provinciam. Angebatur autem principio aditæ Provinciæ, et qui exhaustis prope suis cœnobiis succurreret, sollicite prospiciebat; ac si quæ sibi auxilia contraheret laborabat, quibus ad Ordinis splendorem, et cæterorum salutem niteretur. Cœpit igitur ad socios sibi adjungendos animum intendere, et authoritate R. Patris Generalis e Belgio viros doctos et religiosos evocare, quos deinceps inter Domos, quæ majorem patiebantur vel injuriam, vel penuriam, divideret. Ubique ipsismet egregia ad virtutem incitamenta reliquit, ingenio et prudentia rexit, ac ingenti spiritus magnitudine contra Hæreticorum insultus, suos defendit, atque omnes optimo exemplo optima quæque edoctos ad omnis virtutis complementum inflammavit.

Necnon et hujus Domus statum, quoquo spectes, ad meliorem formam reduxit; ita ut huic Patri non immerito Domus Buxiæ incolumitatem omnem ac prosperitatem modernam acceptam referre debeat. Hic enim vere et Pater et tutor, imo alter Fundator esse meruit. Ipsius namque indefessa vigilantia, Hæreticorum Memmingensium, spe jam quasi devorata, monasterium nostrum non modo jugulum evasit, sed et jugum excussit : jugum ideo dixerim, quoniam cum Protectores a fundatæ Domus initiis constituti essent, anno 1546 ex Protectoribus inimici et vastatores evasere. Tunc enim vario rerum Christianarum successu factum est, ut Principes et civitates Imperii Lutheranismo addictiores, icto fœdere, militem conscriberent et infesta arma, bellum suo Clementissimo Cæsari moturi, appararent. Sed quo id eventu? Ipsi noverunt, qui Imperatori et victori supplices facti, pœnas dederunt.

Quanta autem damna ecclesiæ et monasteria aliique orthodoxi sustinuerint, et quam gravia tempestate illa passi sint, antequam Cæsar vim vi repelleret hostemque opprimeret, non est meum hic recensere. Afferam ego solummodo, ut cætera taceam, Memmingensium nostrorum, tutelæ etiam suæ juratæ, sed plusquam violatæ, immemorum, in hanc Domum nostram injurias. Non enim illam bonis ecclesiæ spoliasse sufficiebat, sed sæculare etiam Officiale cum uxore et liberis in cella Procuratoris constituto, Religiosos omnes Memmingam abductos Domi nostræ incluserunt, mundique hujus oblectamenta varia pollicentes, ad Lutheranismum sollicitaverunt. Omnem vero hujus calamitatis seriem ex epistola, quam ad R. P. et nobilissimum theologum Petrum Sotum, Cæsareæ Majestatis Confessarium, pro refusione et restitutione rapinæ in Nostros admissæ direxit D. Simon Krauff, nostræ Domus Buxianæ Procurator, depromere libet. Sic autem habetur in formalibus :

« Reverendissime Pater, etc. Memmingenses, Tutores nostri, sed juramenti Literarum et sigilli sui obliti prorsus, circa festum S. Annæ, quod in 7 Kalendas Augusti incidit, ceu homines furibundi violenter bombardis, fustibus et venabulis Domum nostram invaserunt, divinaque omnia, præsertim sacratissimam Missam abrogaverunt, et monachos ad deponendum habitum, et audiendas ter in hebdomada eorum spurcissimas conciones aliaque impia compulerunt. Hæc ipsa facere nolentes (surreptis prius Patri Vicario fere trecentis florenis) profligaverunt. Porro V. P. Priorem et me suum Procuratorem, propter crebras suorum militum incursiones tunc temporis absentes, absolverunt, et alium Præfectum Lutheranum adeoque uxoratum substituerunt : qui per duos menses ferme, cum aliis sibi adjunctis satellitibus et quidem famelicis textoribus, nostra esculenta, vina, frumenta, pecora et cervisiam

optimam absumpserunt. Quibus devoratis, necdum satiati omnia clenodia nostra, scilicet calices, monstrantias, cruces, imagines argenteas, apud illos hortatu illorum depositas, Ulmam detulerunt et pro mille et quingentis florenis oppignoraverunt. Sed nec hoc impiissimo facto contenti, arculam nostram apud eos in conclavi depositam, per fabrum suum effregerunt, pecuniamque totam inde ad se rapuerunt. Et ut omnino furori et ingluviei eorum satisfieret, aliquot curias nostras pro mille et quingentis florenis expignoraverunt, cuncta debita post me relicta ab hominibus extorserunt.

« Quid multa? Dies vix sufficeret, si velim colligere damna; quoniam nos et subditos nostros exactionaverunt, incarceraverunt, et ad impia juramenta coegerunt, idque in præjudicium regiæ Majestatis. Obsecro ergo, Reverendissime in Christo Pater, moveant te hæc pauca : moveat te Fratrum meorum Domi detentorum ploratus et ululatus, moveat te etiam diuturnum meum et V. P. Prioris exilium, moveat te postremo, quod omnibus jam absumptis nobis minentur incendium ; quin præ omnibus moveat te divinus ille cultus tam devote in Cartusia nostra celebrari solitus, jam longo tempore sopitus et abolitus. Vale, Pater in Christo Reverendissime : multum plura præ lachrymis scribere non licuit. Datæ Wangen, 27 Sept. anno 1546. »

Hæc ille bonus exul pro suppetiis Reverendo Confessario, simplici quidem stylo, mente tamen ad veritatem sincera denunciavit, et Memmingenses apud Cæsarem repetundarum reos egit. Nec cassus fuit labor hominis in suam, ut par erat, Cartusiam industrii et pii. Nam ubique Imperator, reportata ex hoste toti orbi vulgata victoria, rebelles Duces in vinculis habuit, et alios Principes cum civitatibus (qui fidem et jusjurandum Smalkadio fœderi dederant) post mulctam et homagium in gratiam recepit; serio Ulmensibus et Memmingensibus restitutionem sacrilegiorum imperavit, quos, jusso audientes, sacram supellectilem Nostris reddidisse invenio; de spoliis autem et aliis illatis damnis quid factum, non reperio. Sapuere bono nostri vicini, sed sero nimis, idque non sine suo magno incommodo. Sed rei perturbatæ culpam in bonum nostrum Simonem conjecerunt, quem maluissent ad omnes injurias cæcutiisse et obmutuisse.

Exulabat V. P. Theodoricus in Austria et pro sartis tectis Cartusianæ Religionis laborabat, atque ex mandato Ordinis Domos lustrabat et integrabat, donec suæ provinciæ restitutus, non Domui tantum nostræ sed toti etiam diœcesi opitularetur. Domum reversus eam in utroque statu misere afflictam reperit : monachi solito vestitu exuti, et divino cultu interdicti, plus trimestri, nisi moribus, a Laicis vix discernebantur ; habitum tamen antequam Theodoricus rediret, intercessu Car-

dinalis induerant, et processu contra Memmingense edictum, Religionis antiquatæ exercitia resumpserant.

Proverbium est : Neminem derepente fieri summum. Ita quoque præteritis annis, post tot cusas et obtrusas concessiones, quo in Cartusiam animo forent, vicini nostri non obscure indicarunt ; quo tamen adverso, Nostri in consilium rogarunt prænobilem Burckardum ab Elerbach, nostro Fundatori ex posteritate agnatum, dominum in Laupseim, et hominem adeo nostrum, ut nonnisi Patris nomine a Cartusianis compellaretur. Sopito paulisper igne, scintilla tandem in textrinam decidens, nullo jam qui ignem extingueret superstite, hocce incendium excitavit, quo ædificia ruebant, bona mobilia diripiebantur, fixa obærabantur. Nam quod olim fide avita et pietate insignes viri liberaliter huc conferre dignati sunt, hoc hæresi et crudelitate athea infames iniqui auferre et rapere conabantur.

Repetundarum Memmingenses ubi postulati fuerunt, ita ipsis displicuit, ut jure tutandi Domum liberi cesserunt. Tutelam autem Invictissimus et Clementissimus Romanorum Imperator Carolus V, anno 1548, excepit, Buxiamque sub tutissimo inclytæ domus Austriacæ præsidio reposuit ; et ceu adoptivam filiam, confirmatis antiquis privilegiis, munivit, novisque insigniter dotatam exornavit; et ab iis etiam oneribus, quæ servitutem aliquam sapiebant, totam cum subditis exemit, atque communitati egregia, quibus judices uterentur, insignia indulsit.

Quæ omnia et plura Theodoricus noster, dum Augustæ ævi errores corrigeret et animarum salutem administraret, exoravit. Hærebat pius Pater Augustæ pro bono communi uti sanctus noster Patriarcha Bruno, uterque in Curia, uterque pro Republica : hujus animus in Cartusia, illius in Buxia ; et quod non poterant præstare præsentes, hoc fecere literis absentes. Eo autem affectu suos (quos filiolos avere et salvere consueverat) prosequebatur, ut sui etiam cognoscendi tesseram et symbolum esse voluerit « vester Pater et amator verus » nec equidem nominalis sed plane realis. In exilio sibi durus, et Augustæ parcus, non de Domus expensa vixit; sed ea ex donariis lucra congessit, ut sua exitia patriæ esse fecerit auxilia.

Tanta porro conscientiæ teneritudine religiosus hic Pater erat, ut nihil secum decerneret, nisi in minutioribus etiam conventus consentiret, et consultationem R. Pater Cartusiæ ratam haberet. Sibi quidem homo doctissimus et prudentissimus nihil tribuit ; sed quoties de controversia non plene liquebat, facilis in aliorum sententiam abivit.

Quanta autem apud Principes gratia et authoritate valuerit, vel inde liquet, quod etiam Reverendissimorum Episcoporum et Illustrissimorum Principum in hac Domo Buxiana literæ ad eum exaratæ inveniantur, quibus ut amicus salutatur, et consilia et auxilia

ab ipso pro Ecclesiæ incolumitate petuntur. Antistes certe Hildeshemensis Valentinus eum non secus ac fratris loco habuit, et ut venerandum Balthazarem Vanemanum ad Trevirensis Cartusiæ Priorem, suæ diœcesis suppetiatum et illo hæresum turbine coepiscopum, mitteret, vel imperavit vel impetravit. Abbas Campidonensis Wolfangus, et ipse etiam sacri Imperii Princeps, se indignum qui cum tanto viro ageret judicavit, et sua manu vir egregie humilis indicavit.

Eversa propemodum sua Metropoli Eminentissimus Cardinalis et Augustensium Reverendissimus episcopus, Otho Truvesius, virum hunc inter densissimas ignorantiæ et errorum tenebras exsplendescentem insignis scientiæ et virtutum radiis, angulo suo Buxiensi extraxit, ut ibi, tanquam lucerna super candelabrum posita, ad vitæ reformationem sua integritate Clerum pelliceret, et res Ecclesiæ in cultum Dei cessuras accuraret. Tanta quippe vitia vulgo invaserant, ut non essent, qui se defendendis animorum periculis impenderent.

Lacerabant autem nostrum Theodoricum curæ, quibus alienæ saluti consultum cupiebat; hinc accidit, ut paternis ad suos Buxianos literis V. P. Hermannum hujus Domus professum exciverit, et in eodem negotio sibi cooperatorem adhibuerit. Non est proinde quod zoili aggerant, Cartusianos in solitudine abditos, animo solum obsequi suo; qui, ubi oportet, ad aliorum et plurium salutem procurandam vicissim progrediuntur. Hominem hunc tanti etiam Carolus Imperator fecit, ut apud eum se expiarit, et a sacris Confessionibus, dum Augustæ esset, habuerit : quem pro Cæsaris placitu et Cardinalis impensu cum supradicto P. Hermanno, integrum prope annum Augustæ, ut suam Episcopo Ecclesiam in provinciam redigeret, hæsisse comperio.

Refert etiam Petræus in sua Bibliotheca Cartusiana hunc V. Patrem eidem Carolo Imperatori in quodam magni momenti negotio suam egregie navasse operam, tantamque hoc nomine gratiam sibi conciliasse, ut amicitiæ contestandæ causa, ipse Imperator propria illum induerit toga Hispanica. A quo sic honorifice exceptus Theodoricus promptissimam Imperatoriam voluntatem et summam etiam beneficentiam, ultra quam sperare posset, fuit expertus : quæ omnia in maximis privilegiis ab eodem Imperatore huic Domui concessis, clarius innotescunt. Nec minor fuit hujus Principis benevolentia, qua noster Theodoricus in Comitiis Augustanis ab ipso exceptus est.

Anno siquidem 1548, a Capitulo generali commissionem Domos perditas recuperandi accepit. Talem vero commissionem propriis Capituli verbis hic apponimus : « Et committimus eidem Priori (videlicet D. Theodorico), ut diligentiam in Comitiis præsentibus faciat possibilem, aut ubicumque opportu-

num noverit, pro recuperatione Domorum Ordinis ablatarum in Provinciis Alemaniæ Inferioris, Rheni et Saxoniæ, mercedem recepturus a Deo et Ordine.» Hoc igitur mandato accepto, negotium sine mora aggreditur; tantumque in brevi profecit, ut eodem anno, mense Septembri, Domum Erfordiensem, a quinque annis sub manibus et potestate Lutheranorum gementem, maxima sua instantia apud Status Imperii in prædictis Comitiis, maxime vero ipsius Imperatoris favore fulcitus, Ordini recuperaverit.

Anno vero sequente, 1549, Capitulum generale diligentia nostri Prioris informatum, sic eum per Chartam adhortatur: « Priorem Buxiæ hortamur in bene cœptis proficiendo perseverare veluti bonum militem Christi, et sicut ad partem ad eum scribitur. » Nec opus erat talem virum ad perseverantiam excitare, qui proprio suo zelo accendebatur. Anno enim 1550, Domum Horti Christi abhinc quadriennium incuria militum sive famulorum Imperatoris incineratam, labore ac consilio suo restauravit.

Quantos vero labores, quantas peregrinationes et molestias donec Domos ipsas a Lutheranis eriperet, sustinuerit, testis est V. P. Vitus Dulkenius Prior Domus Moguntinæ; qui res gestas Patrum nostrorum Anglorum V. Theodorico dedicans ita eum alloquitur : « Non defuit animus tuus martyrio, sed potius animo tuo martyrium defuit, qui pro Christi charitate ac nostræ Religionis zelo innumerabiles in hunc usque diem peregrinationes, labores, molestias et vitæ discrimina sustinuisti : dum primum Hildesemensi Cartusia excedere jussus, ac mox a Reverendo totius Ordinis Patre et Capitulo generali commissione legitima accepta, nullum diem intermisisti, nullamque requiem tibi concessisti quin in diversis Cartusiis, ab apostatis passim ablata repeteres, dirupta reparares, depravata reformares, omniaque tandem in pristinam et Catholicam orthodoxorum Patrum integritatem revocares. Qua in palæstra, dum feliciter cœlesti aspirante favore lustraris, quantam odii molem, quantamque hujus mundi Magnatum et Potentum invidiam sustinueris, hac præsertim turbulentissima tempestate, facile est cuivis non imprudenti per se æstimare. »

Denique Capitulum generale animum tanti Patris infractum agnoscens, novum onus humeris ejus imposuit anno 1554, committens ei Visitationem Provinciarum Alemaniæ Superioris, Inferioris et Saxoniæ, cum plena authoritate Capituli ac potestate convocandi personas ex Provincia Rheni. Commissionis autem talis est tenor : « F. Petrus humilis Prior Domus Majoris Cartusiæ et totius Ordinis generalis Minister, et cæteri Diffinitores Capituli generalis ex diversis mundi partibus in unum et in uno spiritu congregati, V. P. D. Theodorico Priori Domus Cartusiæ Buxiæ et

Provinciæ Alemaniæ Inferioris Visitatori principali salutem et per sanctæ obedientiæ meritum, regnum cœleste promereri. Audientes desolationem Provinciarum Alemaniæ Superioris, Inferioris et Saxoniæ per obitum Visitatorum et quorumdam gravem infirmitatem, plurimum contristati sumus et dolentes compatimur maxime, quia pro desiderio consolationem eis impendere non possumus . . . . qui scientia et rerum usu solus melius nostis ea quæ eis possunt fieri. Ideo juxta gratiam a Deo vobis datam, tenore præsentium vobis committimus et mandamus, quatenus, si potestis, ad dictas Provincias accedatis, ac in forma Ordinis visitetis ; Visitatores, Convisitatores, Priores et alios Officiales in dictis Provinciis et Domibus Ordinis propter infirmitates aut aliam justam causam absolvatis et de aliis provideatis ; et in omnibus occurrentibus verbo et opere et scripto consulatis et provideatis, prout poteritis et videritis expedire secundum Deum et conscientiam : et de vestra integritate plene confidimus.

« Et præter DD. Guillelmum professum Domus Cantavii, Joannem Odenthal professum Coloniæ, quos V. P. Coloniæ per literas consensit vos accipere, etiam tenore præsentium rogamus eumdem Priorem Coloniæ et Priorem Trevirensem, ut vobis consentiant adhuc accipere D. Georgium professum Domus Moguntiæ, hospitem in Domo Confluentiæ ; quos et alios, quos vobis poterunt, vel alter eorum, cum pace Religiosorum vocandorum dare, accipiatis, instituatis, et præficiatis Officiales in Domibus Ordinis dictarum Provinciarum, sicut viderit expedire, cum plena authoritate nostri Capituli generalis, quam vobis impertimur usque ad sequens Capitulum generale : mandantes et ob meritum sanctæ obedientiæ præcipientes omnibus Prioribus Officialibus et personis Ordinis nostri dictarum Provinciarum, ut vobis in præmissis obediant, et in omnibus occurrentibus ad vos recurrant, tanquam ad nos, qui in præmissis vices nostras exequimini. Et de his quæ feceritis nos informabitis. In quorum fidem et testimonium, præsentibus manu nostra et Scribæ nostri Capituli generalis subsigillatis, sigillum Ordinis apponi fecimus. Cartusiæ, sedente Capitulo nostro generali, anno 1554, die 26 Aprilis. Petrus Prior Cartusiæ. F. Laurentius Reboleti Scriba Capituli generalis. »

Aderat tunc Comitiis Ordinis Theodoricus, qui se ad iter Visitationis accingens, morbo correptus, plenus dierum et bonorum operum decessit in Cartusia Herbipolis, anno 1554, die 26 Augusti.

PETRUS PINCHART

MONACHUS MONTIS DEI

Patria Remensis ; variis officiis in diversis Domibus admotus, fuit impri-

mis addictus paupertati. Zelo æstuans pro Statutorum Ordinis observantia, a muniis chori et refectorii nunquam se eximi aut absolvi passus est. Austeritati deditus, per singulos dies a se per scuticæ flagella pœnas deposcebat. Fuit præterea vir devotissimus et cultor eximius humilitatis : quam virtutem, quoties egit Vicarium, omnibus satagebat instillare. Sacro Viatico, veste et cuculla oblongis indutus, flexis genibus, in extremis refici voluit. Cumque, post Matutinas decantatas a Conventu, Sacro Oleo infirmorum delibutus fuisset, prædixit horam mortis suæ, asserens quod hora quinta animam esset exhalaturus ; cumque omnes crederent hoc futurum quinta hora matutina, non nisi hora quinta vespertina præcise accidit. Decessit anno 1648, 26 Augusti, annos natus septuaginta duos. Professionem emiserat anno 1608, 1 Januarii. Vixit in Ordine 40 annos admodum religiose ac exemplariter, omnis vanitatis ac exteriorum perosus.

Ex Chronico Montis Dei D. Francisci Ganneron.

XXVII DIE AUGUSTI

ROLLANDUS DEL MARTORE
CONVERSUS DURBONIS

Hujus Fratris nomen in diversis Instrumentis reperitur usque ad annum 1208, post quem annum nulla amplius de eo mentio habetur in Cartulario Durbonis. De aliis vero Conversis, qui eodem anno vivebant idem Cartularium meminit. Unde non absurde conjicimus, ad præfatum F. Rollandum de Martore referenda esse ea, quæ inter miracula B. Stephani Diensis Episcopi apud P. Columbum narrantur, videlicet :

« Illud vero miraculum non est tacendum, quod cum dictus Stephanus esset in monasterio Durbonis Cartusiensis Ordinis, et ibi Conversus ejusdem monasterii, homo timens Deum et magnæ religionis, gravi laboraret infirmitate, accedens ad eum Stephanus, dixit ei : « Frater, crede quod ex hac infirmitate migrabis ad Dominum. Unde rogo te ut pro me Dominum depreceris, quod si ego in Episcopatu ipso Diensi animæ meæ periculum incursurus sum, et æternum præmium amissurus, ut me non permittat in ipso Episcopatu diu manere. » Postmodum decessit Conversus, et dictus Episcopus cœpit eodem die infirmari, et infra duodecim dies suum ultimum clausit in Domino. » Hæc ibi. Obiit B. Stephanus anno 1209, die 7 Septembris ; ex quo patet dictum Conversum mortuum fuisse die 26 vel 27 Augusti.

JOANNES THEODORICI

MONACHUS CAPELLÆ

De quo in Chronico hujus Domus agitur his verbis :

« D. Joannes Theodorici patria Delfensis : qui ante Ordinis ingressum fuit Magister artium Coloniæ, rexitque scholas. Professus hujus Domus receptus est a Gerardo Naghel, quem imitatus est in abstinentiis rigorosis. In Religione vixit annos 40, in magna simplicitate, parcitate et rigore sacri Instituti ; tam sollicitus oris sui custos, ut otiosum verbum strictissime devitarit. Erat sibi rigorosus, rigidus, durus, asper, in arctissima sobrietate transigens vitam. Insuper et multum humilis et submissus suis in oculis, sibique ipsi vilescens. Amabat Deum et proximum ardenti charitate.

« Erat devotus, sanctus, timoratus, non volatili quodam et instabili spiritu, sed omnibus diebus vitæ suæ tempus nunquam sine fructu elabi patiebatur : vel enim orabat, vel legebat, vel lecta docebat, vel certe in opere aliquo manuali se se exercebat. Erat potens in abstinentiis et vigiliis, et in disciplina regulari exercitatissimus. Erat vir fama celebris, sed coram Deo meritis celebrior multo. Ejus conversatio ita erat omnibus grata, ut eum miro modo cuncti diligerent, colerent, admirarentur. De quo Patres hujus Provinciæ hoc palam pronunciabant : « Si est hoc nostro tempore verus quispiam Cartusiensis, haud dubium quin iste talis sit. » Semper de illo, dum sui hoc loquerentur, compuncti et reverenter loquebantur, tanquam qui justus et sanctus habitus sit, ac Fratrum sincerus amator.

« Hoc præclarum et laudabile gratiæ munus de illo narrari solet, quod omni loco fere ac tempore mentem erectam ad superna gestabat. Nam in signum hujus rei oculos, clausos tamen, ad cœlum levabat, manus jungebat, et totius corporis compositione palam dabat intelligi, illic se mente versari, quo manus et faciem erigebat. Erat ei istud quotidianum et familiare, et plerumque sic a semetipso raptus stabat, ut nesciret quid ageret, vel ubi esset. Hic interdum privatim celebrans, levata voce Præfationem canebat, vel simile quid agebat extra se ductus, nesciens quid actitaret. Ebrius enim amore divino, carnis sensum plerumque perdebat.

« Post exactas Matutinarum vigilias, nunquam se sopori sive dormitioni tradebat, nisi forte gravis illum compulisset infirmitas ; sed pervigil in Dei laudibus durans, integrum fertur psalterium sæpe cecinisse. His arduis laboribus licet semper esset intentus, gravi tamen se abstinentia macerabat, panem arctum capiens et aquam brevem ; nam feriis secundis et quartis potagium solum et cervisiam gustabat. At sextis semper feriis panem tantummodo sumebat et salem, et pro potu sola aqua

contentus. Cupiebant illum Patres Visitatores ad communem escam Fratrum traducere; quibus supplicabat dicens : « Sinite me, Patres, sinite, precor, hunc vivendi tenere morem, quem mihi per annos jam quadraginta non sine ingenti labore in consuetudinem traxi. Essetque mihi insuper molestum eum victum assumere, qui in longam abiit dissuetudinem. » Obiit 27 Augusti, anno 1475.

PETRUS RUFFI

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Hujus eremi alumnus; vir plurimæ experientiæ atque scientiæ, sed pietatis non inferioris; admotus regimini Domorum Villæfrancæ, de Castris, Vallis Christi. Cum Priorem ageret in Cartusia Vallis benedictionis, anno 1494, post Capituli generalis celebrationem in locum R. P. Antonii de Charno Majoris Cartusiæ tunc Prioris, a Visitatoribus exauctorati, sufficitur. Sanctissime diem extremum clausit, anno 1503, die 27 Augusti.

Ejus Elogium extat apud Petrum Sutorem, De Vita Cartusiana lib. 2, tract. 3, cap. 7, his verbis : « Petrus Ruffi, Majoris Cartusiæ Prior secundus et tricesimus, Pater imprimis venerabilis, devotione præcipuus, omnibus amabilis atque gratus, divinarum humanarumque litterarum egregie gnarus, Juris utriusque Doctor percelebris. Inter cæteras virtutes quas habuit fecundissime, benignitate et patientia mirum in modum præditus fuit. Etenim subditis suis, a quibus, imo omnibus, plurimum amabatur, se imprimis benignum exhibebat, in quibus et pacem maxime dilexit. Omnibus quoque aliis, qui ad eum veniebant, misericordiæ gremium aperuit, et afflictos potissimum benigne suscepit. Etenim non ignarus mali, miseris succurrere norat. Norat, inquam, quid adversa sibi fortuna vellet. Tantis siquidem tribulationum adversitatumque procellis agitatus fuit, ut nihil fere possit excogitari detrimenti, quod pius hic Pater expertus non putetur. Ipsa quoque patientia tam firmas in eo radices egerat, ut persecutiones omnes (quas a multis sustinuit), patientissime tulerit, nec persecutores suos molestia ulla (quamvis faciliter potuisset) signo, verbo aut facto unquam affecit.

« Porro in negotiis Ordinis admodum diligens, providus ac circumspectus fuit, quæ et longa experientia edoctus optime tractare scivit. Nam et in multis Domibus Prior et in nonnullis Provinciis Visitator fuerat, antequam Prioratum Cartusiæ gereret. Ad hæc in ædificiis efficiendis, aliisque externis negotiis tractandis, quam ingeniosus, acutus, solersque fuerit testatur via illa, qua de S. Laurentio Cartusiam itur, mirabili quidem studio, industria, labore impensisque multis per horrida, periculosa ac pene inaccessa loca, per Alpes, per juga rupium, per concava

vallium, non sine multorum admiratione confecta. Et cum tantis esset negotiis occupatus, nihilominus (quod mirum videri debet) sui præclari ingenii quædam monimenta reliquit, quandoquidem ad instantiam suorum monachorum (quos ut pater filios diligebat) Psalterium Davidicum interpretatus est. Itidem et Cantica Canticorum exposuit tam mira industria, suavique sermonis stylo, ut legentium pectora et spiritali suavitate reficiantur, et ignito eloquio accendantur.

« Tandem hic Pater devotissimus post multos labores, post tribulationes varias, post gravem morbum, quo duobus annis ante obitum flagellatus atque purgatus instar tritici in area fuit; post Sacramenta demum Christiano more suscepta, felicem Deo spiritum multis præsentibus suo Creatori cum multo fructu reddidit : posteris exemplum patientiæ humilitatisque relinquens, anno tertio post mille quingentos; qui et decenter sepultus non sine sanctitatis opinione fuit. »

XXVIII DIE AUGUSTI

CHRISTOPHORUS FLORENTINUS

PRIOR SEIZ

Cartusiæ Florentinæ professus, Prior Maggiani; qui cum virtute præstaret, ac rerum gerendarum prudentia atque innocentia vitæ egregie esset instructus, post mortem Joannis Barensis Prioris Seiz, schismatis tempore Generalis Ordinis nostri, anno 1391, aditum sibi aperuit ad principem Cartusiensis familiæ Magistratum gerendum. Multoties oneris et honoris impatiens voluit abdicare Præfecturam. Verum cum Itali, Germani, Belgæ Anglique Patres calamitosis his temporibus tanti Patris opera et industria indigerent, ipsum ad perseverandum in officio rogarunt, ut videre est in Chartis Capitulorum generalium in Domo Seiz celebratis.

Anno 1398, ut Christophoro morti jam proximo nihil deesset, quo cursum suum consummaret securius, exteris tribulationibus novæ ac velut intestinæ a domesticis superadditæ sunt. Quidam enim ex monachis hujus Domus, nescientes cujus essent spiritus, tantum virum de se ac de toto Ordine bene meritum molestiis afficere non sunt veriti. Sic autem Charta Capituli generalis duræ cervicis filios perstringit :

« Reverendo Patri nostro Domno Christophoro Priori Cartusiæ in Seiz non fit *misericordia*. Et exhortamur illum in Domino, ut habeat patientiam in officio Prioratus Cartusiæ et in infirmitatibus et tribulationibus suis,

propter Deum et Ordinis nostri utilitatem et magnam suam coronam. Et quia percepimus, quod quidam seniores ex monachis Domus S. Joannis Baptistæ in Seiz ingrati extiterint et murmuratores, R. Patrem nostrum præfatum multipliciter molestantes, quos tamen ipse Pater noster eminenter exaltavit; ut illorum murmuratio conquiescat, et, ut dignum est, sub manu tanti Patris humilientur, eique omnem exhibeant reverentiam, decrevimus illorum eminentiam aliqualiter minuere, privantes dictos monachos et omnes alios dictæ Domus professos beneficio Monachatus, quod habuerunt per totum Ordinem. Nihilominus propter reverentiam et consolationem R. Patris prædicti, ne pro filiis nimium contristaretur, commutamus eis dictum beneficium Monachatus in beneficium Tricenarii : hortantes illos in Domino, quod cum omni reverentia ipsum R. Patrem nostrum venerentur, et ab ejus perturbatione caveant, et omnem consolationem, quam possunt, sibi in utroque homine sollicite et diligenter impendant, ne forte hoc ipsum quoque beneficium justo Ordinis judicio amittant, et graviores adhuc disciplinas incurrant. »

Verum paulo post piissimus Pater morbis laboribusque fractus, animam agens Christi factus imitator, non solum filiis suis condonavit ingratitudinem, sed Monachatum etiam in amoris sui argumentum eis restituit. Tandem Sacramentis devote perceptis ad Cœlos evolavit, anno 1398, die 28 Augusti.

Ejus meminit Bartholomæus Senensis in Vita B. Stephani Senensis, lib. 2, cap. 9, 12; lib. 3, cap. 1.

FRIDERICUS
PRIOR TUCKELHAUSEN

Franco, ex oppido Schweinfurt oriundus; professus Tuckelhausen. Ob multiplices virtutes et exemplarem vitam primus Prior in Astheim datus, postea præfuit Buxiæ, Grunaw, et Tuckelhausen, ubi pie diem extremum clausit, anno 1442, 28 Augusti, non autem in mense Septembri.

Ex Chronico Buxiæ.

ADRIANUS STORM
PRIOR ULTRAJECTI

Singulari modestia et insigni morum probitate et innocentia exornatus; primo egit Vicarium in Domo monialium Brugis, postea Priorem Ultrajecti, ubi mortuus est, anno 1473, die 28 Augusti.

Ex Catalogo Vicariorum Brugis.

BERNARDINUS D'ALVA
PRIOR VALLIS CHRISTI

Patria Balearis; excellentis ingenii vir, multisque tam gratiæ, tam naturæ

donis exornatus. Habitum Religionis suscepit anno 1538 in Cartusia Majoricarum, ubi diu Correrii ac Vicarii munere cum laude multa perfunctus est. In rebus enim agendis solers, multum servivit Cartusiæ commodis, cujus tutatus privilegia, ab ipso etiam Rege Catholico mille ducenta scuta obtinuit. Interim, anno 1576, ad regimen Majoricarum assumptus, se se normam exhibuit disciplinæ monasticæ, et perfectionis omnimodæ speculum.

Cumque ad majora natus videretur, R. Pater Hieronymus Marchant ad totius Ordinis evectus moderamen, præfecit, anno 1588, Bernardinum Cartusiæ Vallis Christi; quem, anno 1589, delegavit ad Illustrissimum Archiepiscopum Eborensem, ut suo et totius Ordinis nomine eidem Præsuli gratias ageret pro constructa fundataque juxta Eboram Cartusia. Lustraverat antea quasdam Domos Provinciæ Franciæ, deputatus a Domno Matthia Cortino, Cartusiæ Vicario, Commissarius. Fuit etiam Cataloniæ Visitator. Cumque ad extremum usque magno præfuisset virtutum exemplo, dierum plenus ac meritorum ad Deum migravit anno 1590, die 28 Augusti.

JOANNES BUSTEL

MONACHUS GOSNAY

Vir miræ simplicitatis et innocentissimæ vitæ; plenus dierum et bonorum operum e vivis excessit, anno 1625, die 28 Augusti, postquam 50 annos laudabiliter transegisset in Ordine.

JOANNES THOMAS

VICARIUS NANNETARUM

Hanc eremum cum per quinquaginta tres annos stabilitate præclarisque virtutum suarum exemplis illustrasset, in senectute bona spiritum Deo reddidit, anno 1600, die 28 Augusti.

XXIX DIE AUGUSTI

RIFFERIUS

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Præfuit Cartusiæ Vallis Sanctæ Mariæ. Anno autem 1258 ad totius Ordinis moderamen assumptus, Statuta Antiqua digessit ea styli magnificentia, ut Justinianeas leges dictasse videatur. Obiit cum magna sanctitatis opinione anno 1267, 4 Kal. Sept., ut constat ex Kalendario Majorævi, et Indiculo R. Patris Francisci de Puteo.

Rifferii memoriam celebrant Chroni-

con Majoris Cartusiæ ms., Sutor de Vita Cartusiana, Bibliotheca Cartusiana et alii Rerum nostrarum Scriptores. Ejus Elogium in Tabula RR. Patrum Generalium his verbis breviter describitur : « R. P. Rifferius Cartusiæ professus et ipse nobilis genere, doctrina et exhortatione efficacissimus, Statuta Antiqua digessit ternasque in partes aptissime distinxit, gravi stylo, qui Cæsareas leges saperet. Sub ejus regimine per Alexandrum IV Pontificem multa Ordini indulta privilegia. »

NICOLAUS LYNSTER

DONATUS TREVIRENSIS

De quo sic Chronicon agit hujus Cartusiæ : « Anno 1483 receptus est in Donatum a V. P. Joanne de Geysmaria Priore. Post factam Donationem villis hujus Domus proximioribus laudabiliter, inculpate et incontaminate præfuit, atque easdem cum magna diligentia moderatus est, tanquam filius prompte obediens et Deum præ oculis habens. Tandem, anno 1552, ex villa Iselsbach, vir decrepitæ ætatis, ad villam sitam in ipsa civitate Trevirensi, in quam Conventus hujus Domus ob Alberti Brandeburgici marchionis persecutiones convenerat, advectus est. Mansit in eadem villa seu domo usque ad Pascha anni subsequentis, quo ad Cartusiam, in cella quietem capturus, jam senectutis et cæcitatis molestiis gravatus, repedavit. Ab hoc tempore baculis innixus ecclesiam exemplariter frequentavit. Tum deinde triduo incumbens lecto, spiritum Creatori suo reddidit, die 29 Augusti, anno 1553, ætatis 96, Religionis 70. »

JOANNES DE MATABUENA

MONACHUS DE PAULARI

Vir austeræ vitæ ; qui catena ferrea lumbos semper præcinxit, ne caro concupisceret adversus spiritum. Fuit præterea charitate eximia præditus, morumque sanctimonia; cujus etiam zelus effulsit pro carnisprivii observantia. Vitæ cursum absolvit anno 1561, 29 Augusti.
Ex Mss. Cartusiæ de Paulari.

PAULUS DE BRUXELLA

MONACHUS DE PAULARI

Natione Belga; hujus Cartusiæ alumnus, ubi vixit per viginti duos annos magna cum sanctitatis laude. Moritur anno 1605, die 29 Augusti.

JOANNES MARTINEZ

CONVERSUS GRANATÆ

Anno 1578, die 19 Martii, per vota professionis annumeratus inter Con-

versos, officium egit sutoris et janitoris cum magna in pauperes charitate, quorum inopiam verbis consolatoriis et eleemosynis sublevabat, cibum sæpe sibi detrahens, quo abundantius ipsis opitularetur. Veteres vestes monachorum colligens, eas egenis distribuebat; cumque se etiam pauperem existimaret, detritis tantum indumentis utebatur. Viscera misericordiæ gerebat erga inopes, ipsosque excipiebat cum reverentia, Christum in ipsis videre arbitratus. Aderat devotissime Missæ Sacrificio, cui sedule inserviebat, quamvis ætate fractus et doloribus stranguriæ, quos per aliquot annos tulit admodum patienter. Plenus meritis, naturæ debitum persolvit, anno 1618, die 29 Augusti: quem pauperes luxere tanquam patrem amantissimum.

BERNARDUS GAZZIUS

PRIOR PADULÆ

Romanus nobilis; in Cartusia Padulæ vota monastica nuncupavit. Singulari pietate et prudentia præfulgens, variis fuit admotus officiis; in quibus per multas tribulationes, per infamiam et calumnias tanquam verus Christi discipulus probatus fuit, cujus fidelis imitator, orabat pro persecutoribus suis, erga quos se benevolum exhibebat. Nunquam interim apparuit tristior; sed semper sereno vultu, impavidus ad labores, sedulus ad divini Officii cultum, zelotes ad patrocinandum vel sui monasterii rebus, vel egenorum causis. Tandem exoneratus regiminis sarcina, in senectute bona decessit, ætatis anno 83, anno 1644, 29 Augusti. Præfuerat Domibus Romæ et Padulæ.

XXX DIE AUGUSTI

JOANNES BERNERIA

RECTOR VALLIS CLARÆ

Professus Cartusiæ Cadurcensis, ubi Vicarium egit et neophytorum Instructorem; quo candidior atque simplicior nullus esse potuit in humanis, qui tamen vi orationis et verbi pollens, mirabilia patrabat. Novitios etiam ad allia anhelantes precum instantia cohibebat apud Deum, sibi ad nutum omnibus factis. Postea regimini Domus Vallis claræ admotus, anno 1576, trucidatus a Calvinistis martyrio coronatus est. De eo mentionem facit in suo Martyrologio Franciscus Ganneron hac die. Ejus obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1577.

HIERONYMUS CAUDETE

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Patria Segorbiensis; nascitur anno 1525, die 25 Julii. Instructus voce ad inflexionem facillima, musicis se dedidit, atque didicit organo. Inter ecclesiæ Cathedralis Cantores adscriptus, frustra se terere tempus existimans, eo quod literis humanioribus excultus non esset, Valentiam venit vacaturus studiis. Per id temporis adolescentiæ ætas, quæ plerumque ad vitia prona esse solet, illi pretiosiora ministrabat ornamenta virtutum viamque ad præstantiora præstabat. Unde illius consodales eum vulgo Sanctum nominabant. Absolutis literarum studiis, se se ad sacros Ordines suscipiendos praxi Christianæ pietatis præparans, eam spargebat fragrantiam, qua ipsius familiares attracti virtutum illius odore eum sibi præfecerint in vitæ spiritualis magistrum. Adeo ut in unum coadunati locum scholam instituerint, ubi erudirentur ad orationem, sensuum mortificationem, et abnegationem propriæ voluntatis. Singuli respiciebant Hieronymum tanquam exemplar et vivum perfectionis simulachrum, hunc imitari studebant. Cumque cæteros pietate præcelleret, tanquam aquila provocabat ad volandum, calcarque addebat et animos, ut viam mandatorum Dei currerent.

Interim vitæ perfectioris flagrans desiderio, statuit sæculo valedicere Institutumque Cartusiense sectari. Verum ne quid temere aggrederetur, consuluit Ludovicum Bertrand et Nicolaum Factorem, viros sanctitate nominatissimos, cum quibus singularem contraxerat amicitiam. His auctoribus et suadentibus Vallis Christi monachos adiens, inter Novitios adscribitur, die 25 Aprilis, anno 1548. Emisit professionem die 22 Julii.

Votis astrictus religiosis in Dei servitio reflorescens, non secus ac si nullos hactenus in virtute progressus fecisset, acre bellum carni suæ indicit, corporis agrum, ne in vitiorum spinas ebulliat, findit aratro mortificationis. Vix enim ei necessaria indulgens, ter in hebdomada solo pane et aqua victitabat: quod austerum vitæ genus servavit in extrema etiam ætate. Ciliciis se se macerabat asperrimis; continuaque cibi parcitate attritus, per noctem brevi tantum spatio temporis decumbere solitus erat super tabulas ligneas. Sic uberius parabatur ad semina virtutum, quæ pingue ac fertile in eo solum nacta, tanta ubertate excreverunt, ut tanquam hortulus aromatizans suaviores in dies efflaret odores. Præcelluit mira morum honestate, summa vitæ innocentia, candore animi ac integritate: quibus accessit haud vulgare regularis observantiæ studium. Quamvis etenim tot macerationibus corpus suum affligeret, nusquam tamen transgrediebatur discretionis metas. Unde cum minima quæque semper monasticæ disciplinæ

munia obiret irreprehensibilis Statutorum observator, ab omnibus vir angelicus nuncupabatur.

Harum ac cæterarum virtutum flores, qui Hieronymi animum exornabant, jugis quædam et extatica oratio fovebat, alebat, vegetabat; cujus propterea tanto studio afficiebatur, ut non inter homines, sed jam inter spiritus Cœlestes videretur conversari. Is orationis amor foras erumpens, devotionis ignem excitabat in aliorum animis, nullusque Hieronymum aspiciebat, qui ad ejus compositionem modestissimam non incalesceret. Nunquam intermisit orationem, quamvis per plures annos variis fuerit occupatus officiis. Nam primo Coadjutorem, deinde Vicarium, postea Procuratorem, tandem Coadjutorem egit. Semper suspensum gerebat animum in Deum, et ex rebus terrenis assurgebat in cœlestia. Familiaris admodum erat, ut jam diximus, B. Ludovico Bertrand et B. Nicolao Factori, qui impense Hieronymum diligentes, illum sæpissime conveniebant. Hic venerandus Pater cum multoties illum mente et oculis in cœlos defixum observasset, eumdem vocare solebat Dei Leunculum, alludens ad jugem illius contemplationem, qua ad instar leonis ad divi Hieronymi pedes depicti, cœlum suspiciebat.

Summa charitate ferebatur in proximum suum. Cumque ex officio cum sæcularibus conversari interdum cogeretur, semper de divinis miscens sermones, ad gradiendum per justitiæ semitas singulos verbo simul et exemplo provocabat, omniumque spiritualibus et corporalibus necessitatibus, quantum in se erat, satagebat subvenire. Paratus animam suam ponere pro fratribus suis, se se libenter impendebat, et superimpendebatur, ut omnes Christo lucrifaceret. Elucebat illius amor in eos, quos adversarios et inimicos experiebatur. Hos, fidei lumine illustratus, tanquam suæ perfectionis instrumenta conspiciens, iis, quibus poterat, afficiebat beneficiis. Pauperibus etiam summopere compatiebatur, iisque præsertim, qui erubescebant mendicare. Depromebat e bonæ voluntatis penu unde ipsis erogaret : mediam vestem suam eis nonnunquam dispertiebatur. Agens Coadjutorem cursitabat per cellulas ostiatim, petens aliquid, quo necessitatem patienti succurreret; sicque detrita quadam veste aut cibo onustus, pauperes spirituali simul et corporali ditatos eleemosyna dimittebat consolatos.

His intentus christianæ pietatis officiis Hieronymus, animum tamen oratione semper exercebat, hunc humanarum rerum fæcibus occupari indignum ratus. Hujus orationis is ardor erat, ut aliquando toto corpore in aera ferri visus fuerit.

Per id temporis generale Capitulum anni 1589 delegavit Bernardinum d'Alva Vallis Christi Priorem in Lusitaniam, Ordinis nostri et Reverendi Patris nomine, debitas relaturum gratias illustris-

simo Domino Theotonio a Bragantia archiepiscopo Eborensi ob recens fundatam a se in sua diœcesi Cartusiam. Adscivit Bernardinus in itineris comitem Hieronymum, qui vix Matritum pervenerat, cum acuta febre correptus se ad vitæ occasum pertrahi intelligeret, Sacro Domini Corpore tanquam viatico muniri postulat. Antequam autem hoc sacro pabulo reficeretur, divinæ facibus charitatis exæstuans, tanquam Angelos alloquens, dicebat : *Num quem diligit anima mea vidistis ?* eademque verba repetens multoties. Mox ut allatam sibi a sacerdote Eucharistiam vidit, e lecto se subducens, cum tenerrimo amoris sensu oculisque madentibus Salvatorem suscepit, dicens : *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino.* Dilecti sui præsentia exhilaratus, has voces submisse protulit : *Tenui eum, nec dimittam.* Demum anima illius educta e corporis ergastulo ad cœlestem patriam evolavit, anno supramemorato 1589, cum sexagesimum ætatis annum ageret, quorum quadraginta unum magna cum austeritate, paupertate, patientia, charitate atque sanctimonia in Ordine exegerat.

Pretiosam illius in conspectu Domini mortem tot et tanta sanctitatis signa præcesserunt et subsecuta sunt, ut subito facta sit populi Matritensis commotio illius vultum desiderantis, et de ejus indumentis vel tenuem partem in sui auxilium ex fide obtinere cupientis. Insuper et Hispani Proceres exequias defuncti cohonestaverunt. Missam celebravit Reverendissimus dominus de Salvatierra, episcopus Civitatensis, alias Segobricensis præsul, qui satis noverat Hieronymum ex facie et opinione. Corpus autem solemni ritu depositum est in sacello quodam Conventus Fratrum Minorum Virgini de Victoria dicati.

Hujus Vitam Hispanice descripsit Joachim Alfaura in Chronico Vallis Christi.

LUDOVICUS PASCHAL

MONACHUS SCALÆ DEI

Pictor egregius; qui Sanctorum virtutes, quorum imagines penicillo delineabat, suis moribus exprimere satagens, post laudabilem conversationem, ipsorum consortio, ut sperare par est, meruit aggregari : mortuus anno 1621, die 30 Augusti, juxta Necrologium Scalæ Dei.

Ex Schedis D. Hugonis Buat ad nos scriptis.

BASILIUS PETRUS CARRÉ

PRIOR ALLIONIS

Majoris Cartusiæ alumnus, ubi professionem emisit anno 1603, 18 Maii ; genere Aremoricus, Brito, nobili ortus prosapia ; qui factus Prior antiquæ et fere antiquatæ Domus Allionis, in Ma-

jori Cartusia, anno 1625, 30 Augusti, diem obiit supremum. Cum itaque esset optimæ indolis et valde intentus ad Religionis observantiam, ejus sanctitas post ejus obitum insigni præfulsit miraculo ; nam ejus vox audita est in choro Cartusiæ a diversis monachis, præcinens seu intonans Laudum Commemorationes.

Ex Manuscriptis.

XXXI DIE AUGUSTI

ARNULPHUS GODEFROY

PRIOR MONSTRIOLI

Eximiæ sanctitatis vir ; qui cum aliquamdiu clavum tenuisset hujus monasterii, præ desiderio solitudinis Præfecturam excutiens, in cella claustrali pie decessit, anno 1506, die 31 Augusti.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

LOEFFRIDUS GHYSBERTI DE LANTSEROON

MONACHUS ULTRAJECTI

De quo Chronicon Ultrajectinæ Cartusiæ agit his verbis : « D. Loeffridus Ghysberti de Lantseroon Ultrajectensis, professus hujus Domus, ultima Augusti, anno 1540, febre correptus interiit. Iste prædilectus Pater, dulcis in vita sua, benignus, modestus et homo valde internus ac magnæ devotionis fuit. Vixit in Ordine viginti annis,... mensibus et duobus diebus. »

THOMAS WINCKELMAN

PRIOR COLONIÆ

Hujus Vitam descripsit Georgius Garnefelt alumnus Cartusiæ Coloniensis, quam de verbo ad verbum damus.

Thomas cognomento Winckelman, patria Lubecensis, natus est honestis et patriciæ dignitatis parentibus. Hic, ut ipsemet referre solebat, ultimus fuit ex pueris, qui Lubecæ ritu Catholico et a pastore Catholico sacris Baptismatis undis tinctus fuit. Nam statim post suum Baptisma, in illa urbe expulsis orthodoxæ Fidei ministris introducta fuit veræ Religionis mutatio. Coloniam ad altiores disciplinas missus, spatiis Philosophiæ emensis, sacrorum Canonum institutionibus audiendis adjecit animum. Fuit autem in adolescentia sua mirabiliter a Deo conversus. Nam cum Coloniæ studiis altioribus incumberet, quadam nocte cum sodalibus suis per plateas ivit grassatum, ut vocant, bene potus et hilaris, exultans ad sonitum citharæ et aliorum instrumen-

torum, et omnia illa faciens, quæ solent filii hujus sæculi, clamando, saliendo, cantandoque. Cumque prope Cartusiam transeundum esset, audivit Christo dicatos famulos magna cum devotione et gravitate canentes Hymnum *Te Deum laudamus*.

Hic ille ad se reversus et a Deo compunctus, alium hausit spiritum. Cogitat enim tacitus intra se : « Ecce isti sancti ac religiosi viri Deo serviunt, ipsum nocte dieque laudantes; tu autem diabolo famularis, quando secundum desideria tua vivis, divinis contemptis legibus. Ecce isti servi Dei Altissimi mundum deseruerunt cum suis concupiscentiis, jugiterque se se præparant ad Domini adventum et mortem salutarem ; tu autem sequeris mores sæculi corruptos, cui si ex inopinato mori contingeret, pro reddenda ratione esses plane imparatus. Ecce isti devoti homines, quando hinc migrabunt, bonorum operum mercedem a Deo accipient vitam æternam; tu vero defunctus, quale stipendium tibi putas donandum, nisi supplicia pœnæ infernalis? Ecce isti ter quaterque felices, qui ex bona vita conscientiæ gaudio perfruuntur, semper læti, jucundi, suaves; te autem miserum ac insipientem, propter dissolutos tuos mores, cæcitas animi offuscat, conscientiæ vermis corrodit, et ferme consumit cordis mœstitudo : atque inter omnia sæculi istius fallacis inania tripudia tristis, pallidus et amarus incedis. Quid igitur tibi, o infelix, faciendum erit? Relicto mundo adjungere amicis Dei, ut hic quidem cœlesti gratia perfruaris, ibi autem particeps fias vitæ sempiternæ. Accingere igitur ad pœnitentiam agendam, ad vitam corrigendam, et ad Christo serviendum. Accingere : sequetur procul dubio conscientiæ serenitas, tranquillitas mentis, cordis gaudium, mors felix ac felicitas æterna. »

Hac ratione secum sapienter philosophatus est, atque hujus philosophiæ causam ex monachorum cantu accepit. Sequenti igitur die se contulit ad Cartusiam, humiliterque rogavit suscipi in numerum sanctæ Societatis. Prior autem isto tempore præsidens fuit Gerardus Hamontanus. Qui cum diligenter considerasset adolescentem delicate nutritum, corpore et complexione tenellum, sericis ac splendidis indutum vestibus, timuit insufficientem fore pro tali Ordine sustinendo; quapropter, etiam ut petentis conscientiam experiretur, præbuit se in suscipiendo difficiliorem. Cum vero sentiret pulsantis perseverantiam, posteaquam duriora Ordinis onera exposuisset, in cellam introduxit et ad probationem admisit. Contigerunt hæc anno 1547.

Interea contubernales ipsius absentem ubivis locorum requisiverunt. Quem cum non invenissent, perditum putabant; existimabant enim vel ab excubitoribus comprehensum ac incarceratum, vel certe transfossum gladio, aut globo sclopetario peremptum, vel alio interemptum casu. Verumtamen

post hebdomadas aliquot effluxas, in Cartusia latitare intellexerunt:

Obstupuere omnes, intentique ora tenebant.

Thomas igitur noster a Deo inspiratus reliquerat mundum, ac Deo soli servire cupiebat; erat translatus ad paradisum et vivebat in spiritualium consolationum delitiis. Sed videte, obsecro, serpentis astutiam. Veniunt antiqui condiscipuli, mundani, carnales, et accedunt ad invisendum quem perdiderant; et ut etiam sapere videantur, stultitiæ arguunt novum tyronem: qui se tam misero carceri mancipavit, qui velit esse sui ipsius homicida, qui præcepta Dei transgrediatur de parentibus honorandis, quique cum Evangelico Pharisæo solus justus videri cupiat cæteris contemptis. Suggerunt de optimi patris mœrore, de luctu piissimæ matris, de carissimorum tristitia amicorum. Inter colloquendum igitur venena instillantur, et variæ passiones exurgunt in corde Novitii: jam sibi, jam parentibus compatitur, et admiratur etiam tam prudentes consultores.

Verecundatur interim suam inconstantiam indicare suo instructori, timet aperire Prælato se abiturum. At ista verecundia erat perniciosa, iste timor inutilis: diabolus hæc suggerebat. Illi equidem viri spirituales vacillantem suis sermonibus corroborassent, cæcutienti suis consiliis lumen restituissent; sed quid facerent periculum ignorantes? Carnales autem isti pessimi consultores ubi animadvertunt Thomam quidem redire cupientem, sed hanc mentem suis Superioribus manifestare reformidantem, alias vias inveniunt, murum ostendunt, scalas præbent, se seque coadjutores pollicentur; deinde ad urbem redeuntes omnibus modis machinantur, quomodo aviculam hanc e cavea educant. Aderat forsan tunc temporis nuncius Lubeca missus a parente cum equo, qui filium reducat: instruitur ille ut circa murum Cartusiæ cum equo expectet. Adsunt etiam fugæ hujus facti instigatores et futuri cooperatores.

Attamen vero Deus in cœlo etiamnunc habet curam famulorum suorum. Erat tunc temporis in Cartusia Coloniensi Vicarius D. Bruno Loher, vir pius et eruditus, atque insignis Novitiorum director; hujus etiam curæ commissus erat Thomas instituendus. Sensit autem quodam tempore se divino impulsu admoneri in spiritu, ut discipulum visitaret cito citius, videretque quidnam circa ipsum ageretur. Mox ille sanctis inspirationibus morem gerens, sine ulla hæsitatione ad discipuli cellam accurrit, viditque scalam muro appositam et Novitium ad fugam accinctum. Stupet et ingemiscit. Tandem levibus verbis turbatum ad sereniorem revocat mentem, suisque monitis stabilem de cætero reddit. Ruunt mox ambo in amplexus et oscula, gaudetque Magister de lucratione discipuli sui, et discipulus de Magistri sollicitudine et amore lætatur.

His igitur sanioribus consiliis Magistri sui Thomas probe instructus professionem facit; et post emissam professionem, aliquot annis sedulus in sui ipsius mortificatione, in acquisitione virtutum, in observantia regulari existit. Unde factum est, ut anno 1555 successerit Magistro suo Brunoni in Vicariatu; et post duorum annorum evolutionem constitutus est Procurator : primo quidem Procuratoris primarii Coadjutor (quem nos Coquinarium appellamus); deinde anno 1563 cum principalis Procurator D. Andreas ab Hamont electus est in Priorem Moguntinum, successit Thomas in plena Procuratura. Postremo Patre Gerardo defuncto successit in Prioratu : neque hoc sine ordinatione Divina.

Nam sicut Moyses moriturus Josue Israelitis ducem designavit, et David filium suum Salomonem declaravit Regem Judæorum, priusquam moreretur: ita etiam V. P. Gerardus Hamontanus sentiens adesse tempus resolutionis suæ, vocavit ad lectulum suum universos filios suos et dixit eis : « Carissimi Fratres, hora meæ depositionis appropinquat. Ego hucusque vobis præfui Pastor fidelis : neminem scio ex vobis omnibus aptiorem, qui mihi succedat, quam D. Thomam Procuratorem nostrum; hunc igitur consulo ut eligatis, postquam ego fuero sepultus. Vivit Dominus, in cujus conspectu hic adsum, et a quo æternam expecto felicitatem! postquam venero ad Cœli gaudia, ego vestri curam habebo; et si ipse non bene officium esset administraturus, ego visitabo eum. » Sic dixit pius et religiosus Pater, et obdormivit in Domino.

Communi igitur consensu electus est P. Thomas ex Procuratore in Priorem, anno 1566, 8 Augusti; cui mox accessit onus Visitatoris ex Capituli generalis mandato. Utroque munere laudabiliter perfunctus est : nam suæ Domus maximam gessit curam in spiritualibus æque ac temporalibus, nec minorem diligentiam adhibuit in tota Provincia administranda : quod ex Charta Capituli generalis perspicuum fiet. Cum etenim Geusii anno 1572, 23 Julii, misere vastassent Cartusiam Ruremundanam, etiam monachis occisis vel sauciatis, iste bonus ac fidelis Pater Thomas aliquot aureorum millia oppignoravit ex bonis Cartusiæ Coloniensis, quatenus desolatam istam Domum posset restaurare.

Hinc sequenti anno, id est 1573, Patres Diffinitores in hæc verba illi scripserunt : « Priori Domus Coloniæ non fit *misericordia*. Quem rogamus et hortamur propter Deum, ut sicut sui prædecessores et Domus Coloniensis fuerunt primi fundatores Domus Ruremundæ, et ipse jam opus pium et omni laude dignum, quo incepit esse secundus fundator, proficiat, perseveret et perficiat ad laudem Dei et Ordinis decorem, etc. » Item anno 1574 : « Priori Domus Coloniæ non fit *misericordia*. Quem rogantes hortamur, ut

juxta sibi a Deo datam gratiam Provinciæ sibi creditæ, etiam Saxoniæ, opere, verbo et scripto intendat et se impendat; et cum præ valetudine durum officium Visitatoris non poterit adimplere, Prioribus Confluentiæ, Treviris et Dulmaniæ vices suas committat. »

Quantum ad Patris Thomæ delineationem attinet, fuit illi statura aliquantulum procera, corpus nonnihil gracile, color subfuscus, mores graves, urbana conversatio, jucundus cum honesta gravitate, et maturus cum suavi quadam affabilitate.

Neque hoc tantum, verum etiam præditus fuit insigni clementia et charitate. Et sicut de S. Ambrosio Episcopo aliisque sanctis viris legimus, qui adeo delinquentibus compatiebantur, ut etiam copiosas lachrymas super eos effunderent, ita etiam noster Thomas fecisse invenitur. Ut enim ex officio Visitatoris in quadam suæ Provinciæ Cartusia invenisset quemdam juxta Ordinis Statuta pœnis dignum, ipse anno 1573 in hæc verba scripsit Reverendo Patri et toti Capitulo generali : « Reverende Pater et VV. PP. Diffinitores, (cum omnes simus homines fragiles et ad peccata proclives) rogo ego pro mea persona, et cum lachrymis supplico Fratribus meis propter Deum et ipsius amarissimam Passionem, ut facere dignemini cum ove errante, cum filio prodigo misericordiam, ne majori absorbeatur tristitia. Non castigetur secundum rigorem justitiæ, sed secundum mansuetudinem paternæ pietatis et misericordiæ. Si Reverendo Patri visum est et Capitulo nostro generali, libenter agam pœnitentiam cum illo et pro illo. »

O virum egregium! o pectus vera charitate imbutum! Ecce qui ut justitiæ executor punire debuerat et poterat, pro reo apud sublimiorem potestatem intercedit; imo qui innocens erat, pro delicto alterius cupiebat satisfacere!

Circa vitæ suæ finem aliquot annis adeo fuit infirmus, ut pedum officio vix uti potuerit : quæ infirmitas, an ex podagra, an ex paralysi, an vero aliis ex causis ortum habuerit, incertum est; illud pro certo habemus, ipsum grallarum sustentaculo usum fuisse. Neque interim tamen vel Prioris vel Visitatoris officium remisit; nam cum grallis suis Coloniæ chorum frequentavit, cum eisdem Ruremundam se contulit, postquam illa Domus a militibus misere esset dilacerata. Sic Deus eligit infirma hujus mundi, ut fortia confundat. Tandem V. P. Thomas ivit Confluentiam tanquam Visitator, ibidemque animam efflavit feliciter, anno 1575, die 31 Augusti. Corpus vero Coloniam navigio revectum est et in cœmeterio nostro sepultum. Ecce quo fine ex hac vita migravit, qui in hac vita æquanimiter flagella toleravit : juxta vocem Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quæ exarata disciplinæ vomere, pervenit ad segetem remunerationis.

JOANNES ABABUX

PROCURATOR VALLIS CHRISTI

Patria Valentinus; anno 1541 in pervigilio S. Martini Cartusianis dedit nomen. Spiritualibus exercitiis addictissimus, brevi in omni genere virtutum profecit; Statutorum observantissimus, a quibus ne latum quidem unguem recessit. Unde Vicarii primum, deinde Procuratoris admotus officio, cum se se religiose admodum gessisset in hoc munere, tandem tranquilla placidissimaque morte feliciter excessit e vivis, die 31 Augusti, vel 1 Septembris, anno 1584.

Ex Chronico Vallis Christi.

GUILLELMUS TRIPHÆUS

PRIOR BUXIÆ

Hujus Vita extat in Chronico Buxiæ his verbis :

Habuit is natale solum Helvetiam, patriam inter orthodoxos centones celebrem Lucernam, patrem Valentinum Triphæum, matrem Margaretam Pfifferein genere apud Helvetios haud ignobili. Id loci Guillelmus sub annum Christi 1538 in lucem editus, infantiam cum exiisset, ad scholas dimittitur : in Grammaticis Lucernæ et ad S. Urbanum Cisterciensium celebre monasterium instructus, Saloduri literis humanioribus imbuitur ; et tandem, ut graviore studio ingenium excoleret, Friburgum proficiscitur. Ubi autem inter bonas literas et virtutes illic adolevit, anno 1562 in mystam promovetur Constantiæ, et parochiæ Schwartzbachensi Lucernam inter et Beronam præficitur curio, atque post biennium Canonicus Ecclesiæ Beronensis inauguratur.

Conceperat aliquot abhinc annis Guillelmus tunc temporis parochus propositum, ut relicta domo et dignitate, Patribus Cartusianis aggregaretur. Addebatur animus intensior et spiritus fervor quotidie; verum injiciebat superstes mater, fœmina alioquin piissima, quædam, quibus tardaretur, vincula. Quibus tandem ruptis, anno 1569, ipsis Aprilibus Kalendis, Hugoni primario Cartusianorum hospiti sacris, Friburgensem Cartusiam ingressus est; et evoluto anno, vota Deo nuncupavit, postquam suam in Deum pietatem religionemque et Superioribus constantiam, obedientiam cæterasque virtutes luculenter probasset. Emissa professione teneri se ratus, novam ut iniret vitæ viam et ad majorem adspiraret perfectionem, divinis serio mentem occupat, piaque exercitia intendit, quibus sui fortissimus fieret victor.

Tantos autem brevi in moribus et vita sancte instituta profectus fecit, ut Superiori suo post anni dimidium ita probaretur, qui non jam sibi in cella delitescens viveret, sed et cui ipsa œconomia procuranda committeretur. At

ea novi adhuc ascetæ modestia fuit, ut inducere animum non posset, quo se crederet parem oneri ferendo. Magnis proinde precibus Priorem suum fatigavit, vellet, juberet eo se munere liberum esse, neve committeret, ut in sacro Ordine vixdum adolescens, Domus et animæ faceret detrimentum. Cætera minime pertinax, ubi sibi mandari intellexit, quin succollaret non expugnavit. Tanta deinde oblatum sibi officium obivit diligentia, Domumque implevit zelo pietatis, ut religiosæ vitæ odor et virtutum fragrantia Cartusiam usque diffusa Patres in Capitulo post sesquiannum compulerint, qui Triphæum suffragiis conspirantibus crearent Priorem Buxianum, anno videlicet 1572. Impia autem machinatione quorumdam præpeditum, tandem 13 Junii per VV. PP. Mathiam Viglium et Thomam Hamenhover Priores Friburgi et Ittingæ confirmari fecerunt.

Magna funesto illo cunctis Ordinibus sæculo personarum erat penuria, quarum hic nonnisi sex Guillelmus invenit. Quare novus Prior eam sibi curam sumpsit inter principes, ut numerum Religiosorum augeret, ac Domum exornaret cultu divino, ac quos Spiritus Domini ageret in solitudinem, eos pius Pater adoptaret Ordini. Subditorum autem ipse imprimis spiritali bono ibat consultum, Deum pro eorum salute obnixe precabatur; exemplo, ut bonum Pastorem decet, cæteris præibat, chorum noctu interdiuque frequentabat aliorum incitamentum; Fratres sæpissime et humillime visitabat, et artem, quam ipse probe callebat, libros compingendi paterne edocebat; liberaliter ac humaniter subveniebat omnium necessitatibus, et cum magna animi demissione consulebat; atque eorum, quibus suos filios ad perfectæ vitæ rationem vocaret, intermittebat nihil, certus omnium oculos animosque in se velut exemplar et imaginem virtutis intentos, vitamque suam et mores ab omnibus in exemplum trahi, et pro vitæ norma legeque haberi et censeri.

Cum jam hoc monasterium Capituli generalis auspicio triennium cum laude rexisset, ac bono Ordinis emolumento religiosos tyrones exclusisset fœlici satis partu, hinc avocatur, et ad professionis suæ Domum jussu ipsius Capituli generalis, ut suis præesset, revocatur. Vir paruit religiosus, et apud Buxiam reliquit magnum sui desiderium.

Discessit pius Pater ex hac Domo, mense Junio anni 1575, cum paulo ante religiosam quamdam Domum in vicinia hujus Cartusiæ nocturno spectro infectam, Reverendissimi Joannis Egolfi a Knoringen voluntate, indigenis tutam fecisset, et ultra 46 florenos ab eodem Principe et Episcopo Augustano acceptos, munificum honorarium, cum aliis quos pius Pater addidit ex œconomia, expendisset in Regia Biblia.

Revocatus igitur Buxia Friburgum, cum illam Cartusiam magna cum laude

undecim annos administrasset, sæpius visitasset Provinciam cum Ordinis incremento, et ad Capitulum generale ascendens tertium conscriptus fuisset senatui Diffinitorum, tandem Provincia Austriæ et Rheni, aliis jam officiis exempto, anno 1586 cum authoritate obeunda committitur; ubi, magnis exantlatis laboribus et periculis, effecit, ut Cartusiæ auctu mirabili valerent et quæcumque cum socio habebat in mandatis, propitio eventu expedirentur.

Re igitur ubique prudenter gesta, ex regimine Cartusiæ Axpacensi denuo Buxiæ anno 1588 præficitur, quam duodecim annorum spatio cum tota Provincia factus Visitator direxit egregie : rem auxit familiarem, et filios suos ad perfectæ vitæ rationem instituit. Post ejus obitum non defuit, qui Vitam omnium ore decantatam typis evulgare vellet; sed R. Pater Cartusiæ, qui suorum vitam absconditam esse cum Christo in Deo vult, non permisit.

Vir admodum justus et rectus, magnæ simplicitatis, pietatis ac doctrinæ, Ordinis ac Religiosorum omnium amator et fautor pereximius : studiis tam pietatis quam doctrinæ literarum in ipsa etiam senectute deditissimus, magna necessitudo illi cum primariis et illius sæculi doctissimis viris fuit. Extant quidem ad eum literæ perillustris D. Marci Fuggeri baronis in Kirchberg, R. Patris Joannis Pelecii e Societate Jesu Theologi, Doctoris Pistorii e Lutherano Hæreticorum mallei, ac ejus ævi propemodum miraculi ; quorum hic Triphæi integritate in tantum delectatus et sanctimoniæ exemplis captus est, ut familiæ Cartusianæ transcribi voluerit: quod tamen illi dissuasit Guillelmus noster, tanquam Ecclesiæ Constantiensis reformatori pernecessario.

Non defuere, qui virum sanctum carperent, et cujusdam imprudentiæ arguerent, quod extraneis quibusdam Religiosis doctissimis deligendi copiam ex manu et spiritu Cartusiano scriptis libris fecerit. Ipse autem excusavit factum, utilius scilicet fore Ecclesiæ, si qui eos habeant qui, apum industriarum more, educant fœtus, atque hinc purissima mella stipent.

Triphæus autem, sui imprimis officii et Statuti memor, bonum suis Fratribus et aliis de se ipso in omni virtute et observantia regulari exemplum præbere, seque illis in victu, vestitu et cultu divino conformare, colloquiis et Spatiamentis, si quando paterentur negotia, interesse, authoritatem cum paterno affectu ita temperare, ut plus amaretur, quam timeretur. Si autem quos humanus error transversos egisset, quam primum eos pœnitudine duci et factum corrigere sensit, ita continuo omnem delicti aut neglectus memoriam sepeliit, ut nunquam advertisset. Quo fiebat, ut suavissimis affectibus Fratres omnes sibi delinitos ad quodvis imperium haberet alacres, atque deduceret faciles ac promptos ad ardua perfectionis.

Quærebat semel quidam ex Cartu-

sianis Prior : « Ubi Prior sanctus? ubi Procurator fidissimus ? ubi Conventus sancta charitate adunatus ?» Et sibimetipsi respondit : « Buxiæ, Buxiæ. » Verum non ita tamen comem se suis præbebat, quin usu interim poscente severus esset.

Tandem penu domestico, supellectile ecclesiastica et literaria bene auctis, senio et hydropisi, qua tempore multo decubuit, confectus, ex hac ad cœlestem vitam commigravit, anno millesimo sexcentesimo, die trigesimo primo Augusti; in ecclesia capitulari hujus Domus ante altare S. Hieronymi, ubi sacris Deum Sacrificiis placabat quotidie, terræ sacræ mandatus.

MENSIS SEPTEMBER

I DIE SEPTEMBRIS

PETRUS DE ACERRIS

PRIOR CLARIMONTIS

Professus Neapolis; Prioris munere functus in Domibus Trisulti et Clarimontis, anno 1515 primus Prior SS. Stephani et Brunonis institutus fuit. Ad hanc Domum recens recuperatam omnia fere supellectilia ac necessaria pro monachorum usu secum deferens, non immerito primus hujus eremi appellatur instaurator. Vir præterea summæ religionis, pietatis, ac effusæ charitatis in pauperes; in quos ita afficiebatur, ut excedere modum videretur in eleemosynis. Obviam enim ipsis pergens, calamitososque humanissime suscipiens, meruit a Domino accipere centuplum, cum multa bona temporalia Domus Sanctorum ablata restituta fuerint. Ecclesiam hujus eremi vetustate collapsam restauravit ad Ordinis formam.

Fuit præterea observantiæ zelator, et ita studiosus ipsemet sectator, ut alter Serapio videretur : benignus erga subditos imprimis disciplinæ tenaces, quos vocabat oculi pupillam, erga se ipsum austerus, tam in cibi parcitate, quam in amore paupertatis. Tandem plenus bonorum operum Vicarium agens Neapoli e vivis excessit, anno 1526, 1 die Septembris, relicta sanctitatis opinione.

STEPHANUS BARREGIUS

PRIOR NEAPOLIS

Professus Cartusiæ Papiensis; cujus cum administrationem haberet, anno 1593, excepit in Domum suam Reverendum Patrem Hieronymum Marchant Cartusiæ Majoris Cœnobiarcham cum cæteris diversarum Domorum Prioribus, propter Cartusiæ Majoris incendium ad Capitulum generale convocatis in supra dicto Ticinensi monasterio, quibus singularem Stephanus exhibuit charitatem. Translatus postea ad regimen Neapolitanæ Cartusiæ Visitatorque Lombardiæ institutus, cum religiosissime his muniis perfunctus

fuisset, de Ordine optime meritus ad vitam meliorem migravit, anno 1598, die 1 Septembris.

Catalogus Priorum Papiæ.

MELCHIOR DE MOSCOSO

EPISCOPUS SEGOVIENSIS

Non minus virtute, quam splendore natalium clarus; fuit filius Lupi de Moscoso Ossorio comitis de Altamira et Leonoræ de Sandoval et Roxas, frater vero Eminentissimi Cardinalis Baltazaris de Moscoso archiepiscopi Toletani. Theologiæ operam navans in Salmanticensi Academia, ejusdem fuit Rector ac Doctor in Theologia solemniter inauguratus coram Rege Philippo III, et Regina Margarita Austriaca; amboque tanquam primarii Academiæ magistri debitum jus in Doctorum classem adlectis receperunt : quæ quidem dies fuit ob Regis et Aulicorum præsentiam celeberrimus. Deinde Melchior noster fuit archidiaconus de Alarcon, canonicus Ecclesiæ Concensis, Regis cubicularius, major sacellanus novorum Regum Toleti, cubicularius Serenissimi Infantis Ferdinandi Cardinalis archiepiscopi Toletani.

Anno 1624 a rege Philippo IV, die 4 Martii, designatus ad Episcopatum Segoviensem, a Didaco de Guzman Indiarum Patriarcha fuit consecratus, coram Regina et Serenissimis Infantibus D. Carolo et D. Ferdinando aliisque Hispaniæ Proceribus. Iniit Episcopatus sui possessionem; divesque quadraginta mille aureorum ducatorum, multasque alias habens facultates, iis vir plane munificus pauperes locupletavit. Anno 1632 in magna annonæ caritate inopes aluit mille octingentos; unde contraxit æs alienum. Per id temporis quædam vidua petens aliquid a Melchiore, quo filiam suam in matrimonium posset collocare, cum nihil tunc Episcopus præ manibus haberet, mulieri crucem, quam gestabat supra pectus, tradens dixit : « Hanc vende aut oppignera, sicque nuptui dabis puellam. »

Dum vigilantissimi Pastoris adimpleret ministerium, solliciteque lustraret totam diœcesim, viculos etiam ac campestres domos ipse visitans, pauperibus semper benefaciendo; scripsit ad Urbanum VIII Pontificem Maximum, petens licentiam, qua dimissis infulis secederet ad Cartusiam de Paulari, ibique nostrum profiteretur Institutum. Annuit votis Episcopi Summus Antistes eidemque Breve Apostolicum direxit; verum non nisi post Melchioris mortem advenit Pontificium diploma. Decesserat etenim die 1 Septembris, anno 1632. Sepultus est, uti suo sanxerat testamento, in monasterio de Paulari. Post obitum cuidam viro spiritualibus exercitiis addicto gloria coruscus apparens ipsum solatus est, monitaque dedit salubria.

Ex Theatro Ecclesiastico Ægidii Gonzalez et ex Manuscriptis.

PAULUS WAYSSET

PRIOR FREIDNIZ

Professus Seiz; ubi dum Procuratorem ageret, anno 1623 in Priorem electus, in hoc officio perseveravit usque ad annum 1629, quo ad moderamen Cartusiæ Freidniz assumptus, sanctissime diem extremum clausit, anno 1652, die 1 Septembris.

Cum paulo post professionem, quam emiserat anno 1604, factus Vicarius Freidniz, juxta morem Ordinis, animi relaxandi gratia, extra septa monasterii deambularet cum Religiosis, cæcum hominem habuit obvium, qui monachos transeuntes audiens instanter rogavit, ut Vicarius oculos ejus signo Crucis signaret. Ille vero pergens iter, cum cæcus precibus iteratis clamaret, adstantium Patrum votis annuens, impresso salutiferæ Crucis oculis cæci signo, eidem statim visum restituit.

Fuit imprimis pauperum et oppressorum strenuus defensor, et ob singularem morum probitatem Ferdinando II Imperatori charissimus, qui suis sæpe litteris manu propria scriptis Paulum cohonestavit. Ea fuit præditus mansuetudine, ut non solum illatas sibi injurias condonaret, sed vincens in bono malum, calumniatores ac malevolos afficeret beneficiis, congerens super eos flagrantissimæ charitatis carbones. Vir vere mitis et humilis corde, quoties sibi subditos invisebat, tanta cum suavitate de rebus divinis miscebat sermones, ut Angelum loqui, non hominem crederent; unde replebat omnes fragrantissimo suæ devotionis odore.

Frequentioribus jejuniis exhaustus laborabat hemicrania; cujus dolore ac variis tentationum procellis exagitatus, ne minimum unquam impatientiæ dedit signum, semper imperturbatus. Excelluit imprimis illius patientia, cum sub vitæ finem per menses aliquot decubuisset : detracta ex diuturniori situ spinæ dorsi sui pelle, nullas unquam auditus est edidisse querelas. Munitus tandem rite Sacramentis, ardentissimis desideriis præstolabatur adventum Domini; tribusque diebus ante mortem suam, præsagiens obitum suum, suspiciens in cœlum ingemiscendo dicebat : « Si hora est, veni, bone Jesu, veni. » Mox habitu, quem sibi, ut verus pauper et extraneus, a Conventu humiliter subministrari petiit, indutus, erectis in cœlum oculis piissime emisit spiritum. Caro vero ipsius, ut animæ jam in Cœlo triumphantis gloriam testaretur, tam mollis ac tenera evasit, manuumque ac digitorum juncturæ adeo flexibiles, ac si vivus fuisset.

Ex Manuscriptis.

TRANQUILLUS LE MAISTRE

VICARIUS D'AURAY

Rothomagensis, natus anno 1605, 16 Septembris ; alumnus Cartusiæ Borbo-

niensis, professus anno 1628, 2 Aprilis, re et nomine Tranquillus; qui Vicarium et Procuratorem egit in Domo Vallis S. Georgii. Quibus abdicatis muneribus, ad Domum suæ professionis redux, deindeque ad cœnobii d'Auray assumptus Vicariatum, cum per 14 annos hoc officium laudabiliter exercuisset, ibidem diem extremum clausit, anno 1676, 1 Septembris.

Admiranda fuit ejus in Deum et proximum charitas, qua semper nihil habuit charius. Hanc a primæva ætate omnis vitæ suæ directricem tenuit ac moderatricem, quæ, qua parte respicit Deum, singularem illi divini honoris et cultus affectum inspiravit, erudivit eum tanquam a facie colubri peccatum fugere, edocuit innocentiam baptismalem propugnare ab ingruentibus tentationum illecebris, suasit ab adolescentia portare jugum Domini, certioris solidiorisque devotionis sensus cordi impressit, ac inspiravit industriam ad excogitanda potiora pietatis exercitia.

Vix unquam ab actuali Dei consortio et sui ipsius sacrificio cessabat; quibus ut stabilius insisteret, tam frequentes ejus, quæ in spiritu et veritate est, sibi imperabat actus adorationis, et ad certum numerum per singulos dies, horas et momenta exigebat a semetipso, ut haud temere dici possit, quod adoraret sine intermissione. At ne forte tædium ejusdem repetitio ingeneraret, per intervalla temporum objecta et motiva industrie commutans, quotidie decantabat canticum novum divinæ laudationis et dilectionis. Ex hujusmodi interiore divini cultus habitu, hoc sibi comparaverat, ut faciliter admodum, quicquid sibi contingeret, semetipsum immolaret ad Dei honorem, gloriam et beneplacitum. Hinc est, quod ad quæcumque Ordinis imperata, sine querela et cunctatione paruerit semper, nihil causatus quod patriam, confratres relinqueret, nisi forte semel, cum nimium exterioribus Procurationis negotiis implicatus ingemuit pietatis dispendia; miseriæque alienæ inspector et auditor, cui, cum propter calamitosum illius monasterii statum succurrere sibi fas non esset, importabile pondus extitit, ex quo misericordiæ opera, quæ cum illo creverat, non valuerat exercere.

Factus Cartusiæ d'Auray Vicarius, singulari patientia, benignitate, bonitate, modestia, humilitate et in omnes affabilitate præcelluit : ad hoc solum intentus, ut pacem et Dei amorem in aliorum cordibus, quantum posset, foveret ac promoveret. Tali ipsius zelo nemo se surripuit : non pauper, plerumque cæteris despectui habitus, sed hujusmodi tenerius diligere videbatur; non parvulus, cujus innocentiæ delectabatur conjocari; non infirmus, cujus dolori et affectu compatiebatur et effectu : Filium Dei imitatus, qui pauperes frequentius evangelizabat, ad se invitabat parvulos, quos erudiebat ad salutis scientiam. Demum postquam se Deo et hominibus vitæ innocentia, quam nulla

peccati mortalis labe unquam maculaverat, amabilem exhibuisset, ad meriti cumulum calculi et aliorum morborum doloribus probatus, pie animam efflavit, anno professionis 48, ætatis vero 71.

II DIE SEPTEMBRIS

OTMARUS

CONVERSUS MONTIS DEI

Cartusiæ Majoris professus; qui a beato Guigone illuc missus ut cum Gaufredo Protopriore Montis Dei collaboraret, se strenuum exhibens in vinea Domini operarium, tandem felici morte, quæ contigit die 2 Septembris, percepit laborum mercedem.

Ex Chronico Montis Dei.

JOANNES DE GRIFFOMONTE

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Vulgo de Griffemberg (quem Georgius Garnefelt in Notis ad Chronicon Majoris Cartusiæ putat fuisse ex illustri familia Ingenuorum de Greiffenberg), natione Saxo, professus Cartusiæ Parisiensis; cujus Prior anno 1402 institutus, summa morum mansuetudine, vitæ sanctimonia et in pauperes charitate præcelluit, quibus quanto plus largiebatur, tanto plus abundabat. Cum aliquando tempore Quadragesimæ Cartusia Parisiensis laboraret penuria victualium, et Joannes non haberet unde suis provideret necessaria, subito inexpectatus adfuit quidam Religiosus Ordinis sancti Antonii, qui divino Numine afflatus dedit centum francos pro monachorum sustentatione.

Anno 1408, Joannes de Griffomonte tempore schismatis, una cum Joanne Tirello Priore Fontis B. Mariæ, nomine Cartusiæ Majoris adiit Stephanum Senensem, summum Præfectum Cartusianorum stantium a partibus Gregorii XII in Cartusia Seiz residentem, ut cum eo ageret de totius Ordinis unione. Qui Legati Patres, quæ habebant in mandatis coram et diligenter cum exposuissent, et quæ e re communi essent apud Stephanum ex sententia compeprissent : quanta nempe cupiditate flagraret excutiendæ Ordinis Præfecturæ, et in ipsos Cartusiæ Patres, quantum in se erat, rejiciendæ; mirifice gavisi sunt, atque lætis inde auspiciis proficiscentes Pisas versus, quia jam instabat Concilium, cui adesse debebant ex parte Ordinis, iter intenderunt. Exauctoratis in hoc sacro Pisano Concilio Pontificibus schismaticis, et in eo rite

creato in Summum Ecclesiæ Antistitem Alexandro hoc nomine Quinto, ei tanquam Dei Vicario legitimoque Petri successori Griffomontius atque Tirellus, et Dominicus Cartusiæ Genuensis Prior, totius Cartusiensis Cœtus nomine, anno 1409, suam erga Sanctissimam Petri Sedem et voluntatem et fidem conceptis verbis declarantes, obedientiam præstiterunt et detulerunt.

Anno subsequente cum Stephanus Senensis in Comitiis generalibus apud Cartusiam Majorem celebratis præsens Generalatum deposuisset, quod quidem munus Bonifacius Ferrer absens a Cartusia Majori similiter per litteras abdicavit, generales Conventus has integras amborum Patrum cessiones ad majorem Dei gloriam et publicum Ordinis bonum accipientes, præfecerunt unanimiter, nullo discrepante, in Priorem Domus Cartusiæ R. P. Joannem de Griffomonte. Aderat tunc Capitulo Joannes, cum Summus Ordinis Præses renuntiatus est, eratque secundus Capituli generalis Diffinitor.

De quo Chronicon Majoris Cartusiæ sic loquitur : « Hic Pater inter alia dona Dei, quibus plenus erat, tantæ humilitatis extitit, quod filios suos (monachos Cartusiæ) suos Patres vocabat, et ut simplex columba inter eos conversabatur. Fuit etiam dictus Prior dulcis in verbis, mitis et mansuetus, in tantum quod ex dulcedine verborum ipsius omnes consolarentur, et in corrigendis subditis plus proficiebat ejus mansuetudo, quam cujusque alterius severitas ; juxta quod scriptum est : *Supervenit mansuetudo et corripiemur*. Hic etiam Pater fuit multum affabilis, et suavis eloquio. Unde ex multa suavitatis abundantia Prioribus et aliis personis in obedientiis Ordinis laborantibus, litteras consolatorias frequenter dirigebat, ex quibus plurimum recreabantur, etc. »

Porro cum Joannes per decennium et quatuor menses Ordinem summa cum prudentia, paterno amore, vigilantiaque pastorali gubernasset, plenus meritis ac bonis operibus, gloriæ coronam quam in jejuniis, orationibus ac vigiliis seminaverat, in Sanctorum exultatione messuit, anno 1420, die 2 Septembris.

Ex Chronico Majoris Cartusiæ, Historia Nicolai Molin et aliis Ordinis nostri Scriptoribus.

PETRUS BALEN

MONACHUS CAMPENSIS

Ultimus hujus Cartusiæ professus; a qua propter Catholicam Fidem ejectus ab Hæreticis, vir sanctæ admodum vitæ, diem extremum clausit in Cartusia Coloniensi, anno 1600, 2 Septembris, ætatis fere 90, et Religionis 60.

Ex litteris Theodori Petræi.

III DIE SEPTEMBRIS

ALPHONSUS DE TAMARIS

PRIOR DE MIRAFLORES

Professus Aniago; qui per viginti fere annos Prioris de Miraflores officio et per decem munere Visitatoris perfunctus, plurimam in regulari observantia tuenda atque augenda navavit operam. Omnia fortiter quidem sed suaviter disponens, zelum Ordinis summa animi moderatione temperabat : erat enim pacis amator, prudens, exemplaris, Pastorque numeris omnibus absolutus. Qui se se semper inter adversa patientissimum exhibens, tandem coronam laborum immarcescibilem adeptus est, anno 1529, die 3 Septembris.

Ex Catalogo Priorum.

ALPHONSUS PEREGRINA

MONACHUS DE PAULARI

Anno 1514, die S. Stephani protomartyris, per vota professionis inter hujus monasterii ascetas annumeratus. Divini amoris calore flagrans, inter ipsos hyemis gelidissimæ rigores nunquam in cella igne utebatur, quamvis octogenarius jam ætate fractus esset et pœnitentiæ laboribus. Pius senex nescius in Dei famulatu senescere, oblitus suorum annorum nihil indulgebat sibi, eodemque quo juniores pergebat pede, in suscepta vitæ ratione constanter ad obitum usque perseverans. E vivis excessit anno 1560, die 3 Septembris.

Ex Mss. hujus Domus.

JOSEPH MAYCAS

PRIOR VALLIS CHRISTI

Ex oppido de Baucairen in regno Valentiæ oriundus. Literariis addictus studiis, cum Philosophiæ cursum Salamancæ confecisset, ibidem Doctor in utroque Jure inauguratur. Postea Michaelem Maycas patruum suum Populeti monachum adiens, cum per id temporis ad Archiepiscopatum.... ille promotus fuisset, ab eodem ob eximias animi dotes in Vicarium Generalem designatus, haud vulgari in rebus agendis prudentia et dexteritate præcelluit, quamdiu hoc obivit munus : quod dimisit tamen, ob negotia domestica revocatus in patriam, tum etiam ob in-

clementiam aeris illius regionis, ubi fere semper fuit infirma valetudine. Redux in natale solum, cum præstaret ingenio, perillustris archipræsul Valentinus dominus de Ayala Generalem ei Vicariatum obtulit: quam dignitatem Josephus recusavit, sicut et alia perhonorifica munera, quæ sub annum 1566 versanti in aula Philippi II regis Hispaniarum illius amici conciliare voluerant. Respuit etiam officium in supremo consilio Inquisitionis, dum ibidem esset Fidei Quæsitor D. Bartholomæus de Carança; jam etenim statuerat mundo valedicere.

Domum Vallis Christi eo tempore Joannes Baptista Torron, cujus gesta jam enarravimus, cœlesti plane sapientia moderabatur; quem cum Josephus adiens aperuisset mentis propositum, ab illo, anno 1568, die 29 Maii, adjungitur numero Cartusianorum. Post emissam professionem cupidissimus omnium virtutum sectator, ob notam vitæ probitatem, anno 1583, ad hujus monasterii gubernaculum assumitur. Harum fragrantiam ubique spargens, a R. P. Bernardo Carasso Cartusiæ Majoris Priore, anno 1585, delegatus ad visitandas Provinciæ Castellæ Domos, vix laboriosum et honorificum opus absolverat, cum, anno 1586, convocatus est ad Comitia generalia Aragoniæ, quæ in oppido de Monçon Philippus Rex indixerat. Cumque Princeps Catholicus Regiique consilii Senatores Josephi eruditionem et meritum perspexissent, ipsum Judicem noxarum nominarunt. Tantique Rex deinceps fecit Vallis Christi Priorem, ut cum aliquando audiisset controversiam intercedere cum Martino de Salvatierra episcopo Segobricensi et ejusdem urbis Senatoribus, de negotio Josephum constituit judicem; qui ita prudenter dissidium composuit, ut Antistes simul et Senatus satis superque sibi fuisse factum a Josepho testati sint.

Ex his muniis magnum sibi nomen adeptus, anno 1587 ob domestica negotia cogitur petere Valentiam noctu, propter æstivos calores. Concretus aer in atras nubes tunc denegabat equitanti lunæ stellarumque nitorem; cumque a recto itinere aberrans in obversantes arborum ramos caput allisisset, mula noxio casu dejicitur. Haud mora vulneratus lethaliter defertur Valentiam, ubi cum frustra mortiferæ plagæ remedia adhibita fuissent, morbo sublatus pius Pater e vivis excessit, anno 1587, die 3 Septembris. In tanta veneratione erat apud Patres Ordinis, ut post mortem R. P. Bernardi Carassi, quorumdam suffragiis in ejus successorem designatus fuerit; etenim ad maxima quæque Ordinis officia natus erat.

Ex Chronico Cartusiæ Vallis Christi Joachim Alfauræ Hispanice descripto.

ANDREAS LOODT

PRIOR MONICHUSEN

Lovanii professus; ex regimine Domus Capellæ anno 1570 translatus ad

gubernaculum Monichusen juxta Arnhemium, dum hanc Cartusiam in pristinum splendorem restituere satageret, Hæreticis in urbem irrumpentibus, solum vertere cogitur Prior cum plerisque monachis. De quo Theodorus Petræus noster in quadam epistola meminit his verbis : « Optimus eruditissimusque Andreas Lotius professus Lovaniensis, patria vero Alostensis, in exilio felicissime moriens, Coloniensem nostram Cartusiam anno 1592 cinerum suorum reliquiis beatiorem reddidit, sepultus ibidem in pace. Is enim ultimus fuit Arnheimensis Domus Præsul, summa cum industria omnem Domus supellectilem sicuti et fundationis literas Coloniam tempestive transferens. » Hæc Petræus. Addit vero Petrus du Wal, Bruxellensis Cartusianus, quod Andreas semper inculpate vixerit. Ejus obitus notatur in Necrologio Cartusiæ Coloniensis ad diem 3 Septembris.

MATTHÆUS PERELLO

MONACHUS SCALÆ DEI

E diœcesi Dertusana; uxore orbatus, ad Cartusianos accessit pridie S. Pauli Conversionis; vir simplex, rectus, timens Deum, omnique genere virtutum exornatus, cujus candor erat admirabilis et morum innocentia. Cum aliquando Coquinarius incogitanter Matthæo prandium non subministrasset, ille vacuum reperiens foramen, in quo cibus apud nos apponitur, sublatis in cœlum manibus ait : « Bone Deus, quanta tuæ domus paupertas est, quando quidem non habent servi tui quod manducent! » Sicque solo pane hac die contentus, e cellula pedem non extulit suam petiturus portionem.

Sacrosanctum Altaris Sacramentum, quo nihil in terris pretiosius habemus, summopere venerans, ea cum devotione divina Mysteria celebrabat, ut uberrimis plerumque lachrymis aram conspergeret; cujus quidem Sacrificii, sicuti etiam Horarum Canonicarum verba, ea animi attentione et reverentia pronunciabat, quasi inter cœlestes Angelorum choros concineret Dei laudes. Porro habitator cellulæ quæ erat e templi regione, quo facilius aspectu loci jucundissimo, ubi Dilectus suum posuerat tabernaculum, satiaretur, perfoderat cellulæ januam, ut sic ecclesiam identidem respiciens, ibi si non corpore, saltem spiritu assisteret cœlesti pabulo saginandus; nunquamque pertransibat cubiculum, quin conversus ad Sacramentum Altaris, ipsum salutaret profundissima inclinatione. Hanc devotionem diabolus ferre non sustinens, Matthæum aliquando spectris exterrere et a cellula abstrahere nitebatur. At vir Dei ad Crucis præsidium confugiens, salutiferum hoc signum in dæmonem vibrans quasi nebulam dispergit. Unde cellæ suæ parietes vexillo Crucis exornabat, quo penitus ab ea eliminaret dæmonium.

Nulla ipsi jucundior esca, nullum dulcius epulum ipsa rerum cœlestium meditatione fuit. Hanc solam, longe a conturbatione hominum, in abscondito divinæ faciei degustabat; in hac, clauso animi ostio, convivabatur. Hæc mentem ejus opipare excipiebat, quam propterea velut matutinum ac vespertinum holocaustum Domino immolabat, non aridum quidem aut siccum aut sine medulla, sed lachrymis pingue ac medullatum offerebat : divini amoris ardore, quo intus accendebatur, se ipsum mactans inter fletus. Quamobrem haud mirandum si divino Spiritu actus, extra se raptus nonnunquam reperiretur in oratione per quatuor horas immobilis et absque ullo sensu perseverans. Ex quo statu aliquando ad se rediens præ strepitu ad cellulæ fores excitato, aperuit ostium facie adeo inflammata, ut nihil loqui nisi de Cœlitum beatitudine posset. Ferunt Beatissimæ Virginis Mariæ conspectu ipsum fuisse recreatum, fratrisque sui in sæculo degentis perspectas habuisse cogitationes. Sancte decessit, anno 1622, die 3 Septembris.

Ex Libro Hispanico fundationum Cartusiarum Hispaniæ Joseph de Valles.

BRUNO MOLITOR

PRIOR ITTINGEN

Hujus Vitam Author Chronici Ittingensis descripsit in hunc modum :

Bruno Molitor natus in pago Wartensi ad jactum lapidis ab hac Domo distante, velut alter Samuel pene infans Domino et Cartusiæ consecratus est, ut omnis posthac paterni sanguinis oblitus, aliam non agnosceret matrem, nisi eam cujus curæ et sollicitudini ex ipso materno utero effusus est. Exceptus genibus liberalissimæ parentis, ita ejus pietate et sumptibus in vitæ liberalioris officiis eruditus est, ut unanimi tandem consensu adscitus, summa omnium de tam felici prole congratulatione, non tam in curam, quam ut ipse curam haberet afflictorum Patrum assumptus est. Non multo a professionis tempore electus Œconomus, electus Vicarius, singula officia summe laudabiliter administravit. Tandem fato concedente Christophoro Priore, anno 1614, non tam consensu quam gaudio jussus est Pastoris exercere curam.

Nil in Prioris defuncti cella reperit aliud, nisi multorum creditorum nomina, et exiguam pecuniolam ; hanc designans, non juxta mundi præscriptum, pauperibus, omnem videbatur Prioratum vendidisse. Sed mox Divina Bonitas velut moræ impatiens duplum restituit clientulo suo, quod pro ejus nomine non tam elocarat quam abjecerat. Adverterat jam supremæ Majestatis benedictionem noster Bruno. Qua re data, non ut majora reciperet, sed ut Deo sua restitueret, omnes thesauros in sinus pauperum recondidit : quos, quasi fodiendo, id est Divinam liberalitatem amorose provocando, reppererat.

Interea Suecica barbaries omnem late Teutoniam infestabat : hinc eversa castella, profanata sanctuaria, Deo dicatæ virgines violatæ. Religiosi cœtus, qui in verba rabidorum canum jurare nollent, novo quodam et inaudito tormento acti, animam ejiciebant : ocream fœtenti lotio, recenter egestis tam jumentorum quam hominum sordibus implentes, modico vino infuso, subsannantes sciscitabantur : Num Suecico nectare potari vellent ? Dein non expectato responso, supinos, applicata ad os situla, hoc amaritudinis calice inebriabant. Mox intumescentibus insilientes, non tantum per occultos naturæ meatus, sed et per nares, aures et oculos conditas sordes expellebant. Hoc toties iterabant, quoad aliquod in jacentibus vitæ indicium advertebant. Qui sibi volebat consultum, maturam oportebat fugam accelerare ; si qui sui ipsorum negligentiores deprehenderentur, via qua proxima hac optima ad mortem properabant. Quos inter reliquos inveniuntur Prior Cartusiæ Herbipolensis et Philippus Pfoch olim Domus Ittinganæ Œconomus, illa vero ætate hospes Herbipolensis. Id boni ortum est e tota hac tempestate, ut dum plures natali solo exturbaret hostilis rabies, plures reperirentur, quibus noster Bruno benefaceret.

Totius Provinciæ exules Cartusiani piissimo huic Patri, non secus ac si eos ipse genuisset, projecti erant : e Domo Aulæ B. Mariæ in Buxheim, excepto Præsule, septem ; ex Astheim duo ; ex Horto Angelorum Herbipolis unicus ; ex Tuckelhausen quinque ; ex Erfordiensi Domo duo ; ex Domo Horti Christi itidem duo ; ex Domo Friburgensi V. P. Henricus Godeck cum octo Conventualibus. Quorum aliqui post semestrem, hi post annum, illi post biennium, prout obedientia suadebat, in diversas Provincias concessere. Gratulatus sibi de tam felici sorte V. Bruno, Crœsi thesauros, optasset, quo necessitatibus omnium succurrere, omnes pro dignitate status fovere, pro magnitudine angustiæ solari posset. Mox quasi sui et Conventus oblitus, aperiri horrea, patere cellas vinarias, reserari cameras voluit ; tantaque alacritate omnibus succurrit, ut integra regna dispertiturum crederes.

Percrepuit fama longe lateque munificentissimi Cœnobiarchæ. Mox concepta fiducia accurrere omnes ; si quos afflixisset devastatio paternorum bonorum, ad Brunonem properare, ac si is (quanta misericordiæ vis) non tam solatia adhibiturus, quam in hostes animadversurus esset. Quis unquam cum benignissimo Patre sermonem miscuit, et non illico in amorem ejus raptus est ? Quis post agnitam viri virtutem non beatos prædicavit, qui sub regimine ejus militarent ? Quis alienigenarum non inviolatos optasset lares, non ut eos rursum incoleret, sed ut ob gratiæ vicissitudinem eidem illos testamentario jure consignaret ? Omnibus non tam

faciles præbuit aures, quam petentium vota complevit. Copiosiorem non nemo post se trahebat familiam; cibo potuque refectos omnes, honorificentiori stipendio auctos in pace dimittebat. Adrepebat hic fractis cruribus, alius diviso vertice, ille spoliatus vestibus; singula inimicorum crudelitatem testantia miseratus signa, illis chirurgum, his decentem vestem comparabat. Tacti indigenæ non mala in exteros invidentia, insolens factum arbitrabantur, si postremi ipsi essent in Domini sui mensa adhibiti.

Tantam fiduciam apud subditos contulerat Dominus liberalitati Patris nostri, ut omnes rogatores non tam molestiam, quam Priori gaudium se arbitrarentur allaturos. Missis itaque passim aratris, stultum judicabant laboribus macerare pro familia et liberis alendis, quos honestiori titulo, certiori stipendio et faciliori labore, V. P. Brunonis opera et favore educare possent. Erubuerunt quamplurimi facultates suas magno labore et sudore partas, dum eas rogatorum felicitati admetirentur; et ex Patris benignitate obloquii ansam arripientes, hunc calumniabantur causam et fautorem suorum alioqui mercenariorum otii et socordiæ. Ita quam exacte repræsentavit supremum illum Patremfamilias! Qui cum omnia juxta infinitam suam sapientiam distribuisset perfectissime, reprobos nihilominus offendit Dispensatoris in postremos misericordia.

Ut aspexit Divina Bonitas indefessum viri studium in membris suis refovendis, continere se non potuit quin cataractas cœli aperiret, et largam benedictionem famulo suo plueret, utpote qui ea non abusurus videretur. Omnes Domus thesauros, omnia granaria dissipaturum prævidebat, ni citius jam media ex parte vacuam manum adimpleret.

Excitavit itaque nobilissimæ matronæ Mariæ Salomes a Bodmarin animum non tam in Cartusiæ quam totius Helvetiæ commodum. Hæc priori marito viduata cum unico filio degebat Badenæ, quam Thermas Helveticas Scriptores indigitant. Inde ob corporis florem et mirabilem in negotiis tractandis discretionem ad alteras nuptias sollicitata, Lucernam concessit, ubi ex altero thalamo binos suscepit liberos, quos crederes non alio quam ipso Numine moderante adolesse : ita vix parem in ulla progenie gloriam, et ad quælibet ardua feliciter consummanda dexteritatem vidimus. Primum de priori thoro Badenæ progenitum in suum peculium Deus selegit, scilicet D. Henricum Murer ab Istein; qui, post Vicarii et Œconomi officia summa cum laude administrata, ex hac luce post perpetuos quasi languores migravit, anno 1638, 28 Februarii. Cujus irreprehensibili conversationi et modestiæ ipse D. Bruno Molitor testimonium perhibet in Apparatu ad Helvetiam Sanctam (cujus author fuit V. Henricus) his fere verbis :

« Non dubium est, et experientia con-

stat, venerabilem Domnum atque prædilectum Confratrem nostrum, Patrem Henricum Murer prænobili familia oriundum, parentibus nobili Gaspare Murer dynasta de Istein atque uxore domina Salome Bodmarin Marchionatus Badensis, in celeberrima confœderatorum Helvetiæ regione, anno 1588, 2 Martii, honeste natum, et unicum hæredem masculæ prolis et nominis remansisse. Postquam vero nobilis parens in bello Gallico sublatus est, nobilis ejus filius Dominæ matris sollicitudinibus educatus, studia humaniora laudabiliter absolvit in gymnasiis partim Lucernæ partim Bruntruti. Deinde Lutetiam Parisiorum una cum fratre suo uterino D. Joanne Ludovico Pfiffern petens, ibidem Philosophiæ studuit. Completo cursu, sæculum fastidiens Parisienses Cartusianos frequentabat; cum quibus contrahens amicitiam, eorum Institutum sectari sibi proposuit. Redux in patriam Cartusianis Ittingen nomen dedit, anno 1614, 20 Januarii. Non minus devote et exemplariter vixit, quam utiliter Reipublicæ Christianæ; conscripsit etenim Helvetiam Sanctam, ubi fuse agit de primis Christianæ Religionis auctoribus, plantataque Fide Catholica in Helvetia. Cumque jam typis librum mandaturus esset, morte præoccupatus, anno 1638, die 28 Februarii, eductus est in refrigerii locum. Vixerat in Ordine 24 annos multum laudabiliter. »

Alter Mariæ Salomes filius ex thoro secundo D. Joannes Ludovicus Pfiffern ab Altishoffen, patricius Lucernensis, licet conjugali vinculo astrictus, tamen fratris uterini Henrici sortem suæ præferebat. Unde corpore thoro relicto, animo habitabat cum fratre inter nostros Eremitas; et cum sibi visum esset virtutem Cartusianam angustis nimis terminis circumscribi, plerasque facultates suas, annuente prænobili conjuge D. Anna Maria a Sonnemberg, galilææ in quadro cum sex cellis construendæ obtulit, scilicet: pro sex cellis 1,800 aureos, pro tot monachorum sustentatione 12,000; donatio pro varia Domus supellectili et ornamentis 14,000. Ita ut ultra 30,000 aureos munificentia D. Joannis Ludovici Pfiffern computetur.

Mortuus et in habitu Ordinis sepultus est, anno 1626. Multum dolemus virum clarissimum, immatura morte præventum, coram spectare nequivisse quæ copiosis assignatis sumptibus extruenda mandarat. Eo tandem liberalitatis deventurum suspicabamur, ut ad extrema concedens, omnibus nudatus fortunis, amicorum necesse habuisset opibus terræ inhumari. Tam tenero affectu dilexit Patres nostros, qualem vix foveri arbitramur inter parentem et filios. Perditum judicabat diem, quo non contulisset cum Cartusianis tam Spatiamenta, quam chorum noctu et interdiu; cum iisdem frequentare suum arbitrabatur otium. Si casu forsitan adveniret, ut ligna a Conventualibus cellis inferrentur, non secus ac ultimæ sortis mer-

cenarius operam suam adlocabat. Et nunc quidem, si verbis Christi fidem adhibemus, eum non tam benefactorem et patricium, quam Confratrem et hunc consummatæ virtutis suspicere gestimus; quos in hac vita tantopere dilexit, competens est, ut in Cœlo particeps sit meritorum et laborum, quos hic quasi partiendo cum iisdem toleravit. Dignus Mariæ Salomes filius, cujus liberalitati et virtuti plurimi Fundatorum invidere possent.

Tertius filius, nobilis D. Christophorus Pfiffern ab Altishoffen, frater Joannis Ludovici, non tam annuente quam præcipiente Numine, sæculo remansit, ne Helvetia clarissimæ progeniei posteris omnino viduaretur: quanto Christianæ Reipublicæ in Helvetia commodo, nemo est, qui non hodiedum advertat et lætetur.

Novissime et mater binos consecuta filios, ad eas transiit, ut confidimus, delicias, quibus comparandis tanta constantia non tantum facultates sed et liberos commutare non dubitavit.

Hæc, occasione Patris nostri Brunonis, ut demonstraremus infallibilitatem Christianæ legis, in qua Dominus ait : *Date et dabitur vobis*. Nunquam sic ditata esset nostra Ittinga, nisi prius eam Pater depauperasset. Forte jam repetitis flammis conflagrasset, ni efferatos heterodoxorum animos pii Patris memoria emolliisset. Nullam fieri volebat thesaurizationis mentionem. « Ego, inquiebat, factus Prior nil reperi nisi debita, quæ solvi; sic relinquam meum Prioratum successori et nulla debita. » In consiliis vix sibi parem habuit, in prudentia vix aliquis Priorum Ordinis nostri similes consecutus est laudis suæ præcones : ita omnium pene nationum et provinciarum poemata in hoc (si loqui liceat) Eleemosynario celebrando conspirarunt.

Circa novissima sui Prioratus tempora, Jubilæum summa Conventus congratulatione celebravit. Libros ab illo exaratos, expressos diceres : ita in omni genere scientiarum excelluit. Caligantibus autem oculis, postquam utilissime præfuisset annis 34, ad suam instantiam per Capitulum generale anni 1648 absolutus, in cellam secessit; non minus post tot Præsulatus annos, quam factus Novitius, juvenibus Officialibus obediens, mirum patientiæ exemplar in languoribus suis. Nunquam suspirium aliquod de ore ejus auditum est, licet intolerabili rusticitate (hanc autumabat barbata nostra plebecula consummatam humanitatem) a servitore tractaretur.

Mortuus post duos absolutionis annos, animam Deo, nobis memoriam reliquit perpetuam; hodiedum enim dum mentio viri oggeritur, non Prior, non Bruno, sed Domnus noster senior, etiam ab antiquioribus compellatur. Id autem omnes ei dant elogium : Mortuus est vir venerabilis, tanti Cartusianæ modestiæ exempli, quale multi Sanctorum Albo ascripti vix exhibuerunt. Obiit

3 Septembris, anno 1651. Vixit in Ordine 65 annos.

Singularis fuit amator et benefactor inimicorum suorum, ad stuporem multorum, qui id ægre ferentes eum dehortati sunt. Dum adhuc Procuratorem ageret, a quodam cellario Domus famulo stipendiario valde male et indigne tractatus, non solum id patientissime tulit, sed et postquam ex invasione hostium aliisque infortuniis omnia sua perdidit et ob senium etiam factus inutilis, ab ipso tamen in Domum susceptus, cum magna charitate usque ad mortem sustentatus fuit.

JOACHIM LE QUINISTREL

PRIOR NOVIOMI

Patria Divionensis; professionem emisit in Domo Fontis B. Mariæ, anno 1648, 8 Septembris, ubi egit Procuratorem. A Reverendo Patre Innocentio Le Masson Priore Noviomi et ad supremam evecto totius Ordinis Præfecturam, anno 1675, successor in hoc officio nominatus, sancte decessit, anno 1678, die 3 Septembris, ob morum mansuetudinem et innocentiam dilectus Deo et hominibus.

IV DIE SEPTEMBRIS

RICHARDUS VOLBRECHT

MONACHUS GANDAVI

Mira morum innocentia, conscientiæ puritate, angelicaque conversatione clarus, brevi temporis spatio explevit tempora multa; cœlo maturus, in ipso ætatis et professionis flore rapitur ad beatam immortalitatem, anno 1471, mense Septembri. Sepultus est non in communi Patrum cœmeterio; sed ob eximiam illius sanctitatem, ante ipsam Prioris cellam in claustro tumulatus est.

Ex Chronico Cartusiæ Gandavensis.

FRANCISCUS JUSTUS

CONVERSUS PORTÆ CŒLI

De quo Joannes Baptista Civera in Chronico Portæ Cœli, cap. 21, scribit his verbis :

« Fratris Francisci, re et cognomento Justi, vocatio ad Ordinem satis videtur mirabilis recte considerata. Cum hic enim ortus fuisset in oppido del Villar et ab infantia oves pasceret, et ab hac nostra eremo distaret una dieta longius, sæpissime animo suggerebatur, ut perduceret gregem ad nostros usque terminos. Quod cum efficeret paulatim, accidit, ut quadam nocte adeo huic

Domui reperiretur propinquus, quod campanam pro Matutinis laudibus pulsantem audire facile potuit. Quo audito, tanto fuit gaudio et desiderio Religionis accensus, quod nullas ferens moras, statim summo mane, gregem sociis commendans, festinus totusque lætabundus Domum istam, quam nunquam viderat, advenit. Cumque Religiosos vidisset et vivendi ordinem fuisset contemplatus, ad statum Conversi instanter atque humiliter se recepi petiit; Domino autem Jesu Patrum corda dirigente, ad sanctum habitum fuit susceptus.

« Qui ubi jam se Religiosum vidit Cartusianum, cœpit vivere in sancta simplicitate Cartusiana, brevissimoque tempore in vera obedientia, sui abnegatione et contemptu, cæterisque virtutibus mire profecit. Cumque sibi jussum fuisset, ut disceret artem fabri ferrarii, ita affectuose Prælati executus est mandata, quod brevi tempore omnia, quæ ex arte illa huic Domui erant necessaria, plene didicit. Erat quidem interim videre Fratrem illum super sanctum habitum album nigerrimam portantem pellem, faciemque fumo deturpatam habentem non idcirco hominum devitare aspectum. Contempserat enim se ipsum, neque hominibus sed Deo placere cupiebat. Continuato igitur hoc obedientiæ exercitio, adeo in affectu inflammatus et in intellectu illuminatus fuit, quod verus mysticus Theologus, quæ spiritus sunt, alios docere poterat.

« Omnes alias fere obedientias simili exercuit devotione. Amplexabatur enim obedientiam quasi sponsam animæ suæ, pro qua labores plurimos et ipsam denique mortem subire non dubitavit. Nam missus ad grangiam de Maguella, quæ tunc a nobis possidebatur, gravissimam in ea contraxit hydropisim, a qua usque ad mortem, quam patienter tulit, convalere non potuit. Sicque ad suorum præmia meritorum transiit, anno 1528, mense Septembri, ætate satis immatura. »

JOANNES SOUDEYCUS

PRIOR GLANDERII

Dictus aliter Soudaye; professus Cartusiæ Parisiensis, vir optimis moribus exornatus, prudens ac circumspectus. Cum per triennium sui regiminis se se cunctis benignum ac sedulum Pastorem exhibuisset, postmodum totius corporis debilitate correptus, in magna patientia tenuit monasterii gubernaculum. Quamvis enim attritus infirmitate, omnia tamen sapienter et utiliter disponebat, suum implens exemplariter ministerium, donec invalescente morbo exauctoratus fuerit, anno 1585, ad suam magnam instantiam. Optione ei interim a Capitulo generali data, ut hic, aut in Domo suæ professionis gravamen incurabilis morbi toleraret, maluit in solitudine Glanderii remanere; ubi reli-

cta suarum virtutum fragrantia, vitæ cursum feliciter absolvit, anno 1598, die 4 Septembris.

ANTONIUS A S. PAULO

PRIOR TOLOSÆ

Ex illustri apud Tolosates familia oriundus, frater fuit primi supplicum libellorum Magistri; qui eodem tempore, quo beatæ memoriæ Nicolaus Leaudus, Ordinem intravit. Magnum vero ambo de se futuræ probitatis specimen dedere, etiam inter ipsa sæculi blandimenta; nam ipsi adinvicem familiares, sub holoserica et pretiosa veste sæpius enormi cilicio crebrisque virgarum aspergillis et abstinentiis carnem affligebant. Præcipue autem Antonius adolescens delicatus, quasi irretitus sæculo, sæculum omne despiciebat, in sæculo Vitæ quasi monasticæ agens quædam præludia, si forte tandem dignus haberetur majora attingere. Vastam post hæc eremum Cartusiæ Majoris cogitans, ad eam accessit, in qua professus est Ordinem, anno 1579, 20 Augusti.

Nec hic subticendum puto, quod in ipso ad Cartusiam adventus sui limine, futuri sui ad populares suos quandoque opificii, prolata per os spiritalis admodum Patris Divina promissione, pignus accepit : cum venerandus omnimode Pater Hieronymus Marchant, sub R. P. D. Bernardo Carasse Cartusiæ Vicarium agens, venit in Spiritu in hospitalem aulam, et sociis ejus modice consalutatis istum accepit in ulnas suas, et arctius eum complexatus : « Fauste, inquit, adveneris, Domine, et in Domino consolare, qui nostrum consolaturus es Ordinem in operibus manuum tuarum in terra cui maledixit Dominus, in sterili Tolosa tua Domum Deo et nobis erecturus, et fertilem illic plantaturus cœlestium propaginum vineam. Macte animo! tu ad id operis a Deo vocatus es ; tu illius eris agricola culturæ ; tu hinc illam in propria transferes, ejicies gentes, plantabis et munies illam, quæ, favente Deo, te vidente et agente, mittet radices et implebit terram. »

Hæc ille tunc audiens, ac de se modice sentiens, fervidi tantum Patris vota reputabat. Sed succedentibus tandem annis, in ipso positus opere, testimonium credibile factum nimis et veridica Dei per prophetam suum verba referebat, cum æstuans quandoque ac sollicitus pro immunitate vineæ suæ ac perfectione, hisce verbis ipse se colligeret et collabentem animum erigeret, diceretque : « Confido in Domino, et in verbis gratiæ ejus per servum suum Patrem meum Domnum Hieronymum, quod promissa implebit sua ; et qui hactenus in hoc solo ædificare per me cœpit, perficiet usque in finem, confirmabit consolidabitque opus suum. »

Post vota igitur professionis emissa ad tantæ modestiæ religionisque culmen

egit, ut paulo post ad Prioris atque Visitatoris authoritatem meruerit evehi : primum Tolosæ, deinde Villæfrancæ, Ruthenæ, Lugduni, Sanctæ Crucis in Jaresio; postremo et secundum Tolosanæ Cartusiæ Prior institutus, quam citra spem universorum mirabiliter a fundamentis ad umbilicum usque perduxit : stupentibus omnibus et cordatissimis quibusque, unde Antonio tot opes ad ejus constructionem accesserint, cum præcipue nullum lapicidinæ in eo loco vestigium, nulla circumquaque nemora vixque saltus ulli cædui, marmor ubi nullum, aliunde nisi forsan ex Pyrenæis importetur tesquis, redditus etiam valde tenues, et in eo præcipue loco ubi cives non adeo de liberalitate profusa audiunt. Qui ergo fieri potuit, ut intra duo lustra tantam loci dignitatem, eversis quæ circa illius situm putebant casulis atque summœniis summœnianisque pulsis, ad summum erexerit? Sed hæc mortales, qui nihil nisi mortalia cogitant, latent, cum ipse fere solus rerum mundialium Creator et Architectus huic cuncta suppeditarit, quæ huic fabricæ videbantur necessaria.

Solvit ergo Deus promissum. Nam cum Antonius noster, vir de cætero contemplationi divinorum addictus, quadam die in oratione esset, ante aliquot annos responsum a Deo accepit, haud se visurum mortem donec Ordini Cartusiensi unum monasterium construxisset. Quod ne mendacium aut fictitium videatur, a duobus Venerabilibus integra mente canaque fide, quibus se Pater Antonius humiliter ab intimioribus aperire solebat, ut erat animi candidi, recitatum est, postquam obiit.

Cartusiam igitur Tolosanam erexit tali, sed modesto splendore, ut præ cæteris excellere videatur. Sed unde tot sumptus in tantam murorum molem ? Hoc nemo rescivit hactenus : quidam nec temere sibi divinitus eam facultatem concessam vulgari fama accepe- runt; alii a devotis mulieribus ibidem sub pœnitentiæ paludamento degentibus, alii a civibus nobilioribus occultis, res ejusmodi solerter provectas arbitrabantur. Sed quicquid sit, omnia a Deo profecta esse æquus rerum judex æstimabit; qui, sive per se immediate, sive per alios aliquid elargiatur, semper largitoris sibi gloriam vendicat. Nec abnuebat Pater Antonius se ignorare unde tot sumptus ad tot expensas habuerit.

Porro hic non est terminus virtutum Patris Antonii. Siquidem licet ea frueretur animi simplicitate ac intentionis rectitudine, non tamen prudentia etiam sæculari destitutus erat : quæ nihilominus in illo non erat sæcularis, quam ad Deum omnino convertere satagebat; nec poterat quis eum licet sagacissimus in aliquo fallere, cum cornicum oculos potius configere potuisset.

Cum autem supra humanas vires austerus esset, et raro somno falleret horas noctis, et abstinentiarum frequentia et asperitate corpus edomaret,

ac demum illud attereret tanto rigore disciplinarum, ut sanguis undique ab eo manare visus fuerit a quodam sibi familiarium; ea tamen animi suavitate didicerat inter homines conversari, ut alius esset a se ipso, et nulli subditorum suorum quidquam citra vires utriusque hominis imperasset. Nec tamen ulli parcebat obstinato et protervo, contra quem uno momento et supercilium ex animi temperato zelo induebat, et statim stomachum contra eum perdebat. Haud enim punire, sed timorem subditis injicere satagebat, ut in divinis esset concordia. O quis similis tui in fortibus, Antoni? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis carnis et vitiorum expugnator?

Cæterum fuit vir ille ex Deo rerum prudentissimus, nihil in alium diem protelans quod se acturum receperat, industrius studiis, sed moribus tranquillus. Humilis quoque et supra quod credi potest integritatis et religiosæ castitatis amantissimus observantissimusque, fidus erga amicos et inimicos, diligentissimus obsequendi, zelator Ordinis intemeratus, et promissi tenax, nam quod aliquando caverat, id solvere minime perendinabat. Eloquio etiam suavissimus, adeo gratus vultu, ut ab Angelo modicum vix abire crederetur. Unde conjectandum eum non humanarum rerum, quæ ad instar bullarum evanescunt, at unius amantissimi Salvatoris Jesu desiderio tractum tanta tam digne patrasse; nec ab eo quidquam desideratum est, nisi quod amplius ævum non protraxerit. Non erit autem incongruum referre quod contigit in Cartusia Tolosana sub ejus regimine.

Quidam recens susceptus ad habitum, cum adhuc delitiarum mundi memor edendi carnes libidine in sui propositi contemptum urgeretur, nec haberet penes se, unde condiret gulæ suæ salivam; unum ex suis olim commilitonibus sæcularibus, quem ad hoc occulto ad cellam privatam nutu allexerat, precatur, ut clam ad se afferat assas carnes. Dictum factum. Fert ille sæcularis amicus nimium officiosus armum vervecinum, cujus partem mox novitialis ille lurco devoravit, residuumque, quantum potuit occulte, reservavit in alteram lucem.

Quid pluribus morer? Confestim adeo cœpit assum igni membrum fœtere, ut usquequaque diffusum per minutissimos claustri angulos putorem nemo tolerare posset. Qua de re querentes, et quærentes, et inter se murmurillantes incolæ monachi quid accidisset, quidpiam morticini in claustro latere suspicati sunt. Hanc ob rem ad Antonium accedunt, orant urgentque scrutari serio regionatim, undenam tantus in cunctorum cellas scaturiret adeo fœtidus odor. Omnium votis annuens Prior jussit inquiri diligenter; tandem ad fœtoris locum originalem quidam indagator solertissimus accedit, scelusque deprehendit vesani Novitii, cui soli surdus fœtor ille fuerat. Nam

cum omnes ex eo gravarentur, solus ipse odorem fœtidum non percipiebat. Qui cum sui reatus pœnam verecundia devorare nequiret, dimisso habitu sæculum carnis carne devicta repetiit, in quo plus æquo desideriis carnis indulgens, tandem infeliciter periit.

Porro cum sanctitatis omnimodæ cultu fulgeret Antonius, in Comitiis anni 1612 a R. Patre ad Domos Fontis B. Mariæ et Montis Dei visitandas delegatus, cum ab hac rediret, inque illa inter fervidos Augusti æstus et magnos viæ labores requiem et refrigerium quæreret, utraque in hæreditate Domini invenit, quarto Septembris anni supradicti, apud B. Mariæ Fontem, per ardentem quindecim circiter dierum febrim ; qua tandem exhaustis viribus tepescente, feliciter eductus est in refrigerii locum necdum ultra quinquagenarius.

Ex Mss. D. Amabilis Chatard.

V DIE SEPTEMBRIS

MICHAEL DE CASSELETO

MONACHUS CAPELLÆ

De quo hæc habet Chronicon hujus Cartusiæ :

Michael de Casseleto de Westflandria, indutus anno 1477, in die Cathedræ S. Petri, professus anno sequenti. Vir fuit admodum religiosus ; factusque sacerdos, devotissime Deo servivit. Imprimis stricte servabat silentium : ita solitudinis amator, ut raro Fratres visitaret, reciperetque visitantes nisi coactus, idque satis ægre ; rarissime cum cæteris remanebat in loco colloquii, cellam repetens, ut clauso ostio, secum habitans, Deum deprecaretur. Erat præterea in victu sobrius, in supellectili mundus quidem sed non curiosus, animam suam potius satagens exornare quam parietes. Tandem postquam multas tentationes ac tribulationes patientissime sustinuisset, repositam sibi coronam percepturus ad vitam immortalem transivit, anno 1528, 5 Septembris, in eadem, in qua vixerat, cella mortuus.

BERNARDUS MARGARIT

PRIOR SCALÆ DEI

Barcinone ex illustri familia de Margarit oriundus, optime instructus in utroque Jure; Cartusianis Scalæ Dei adjungitur anno 1500, die 12 Maii. Iis autem effulsit virtutibus, ut ad moderamen Domorum Scalæ Dei, Vallis Christi et Montis hilaris assumptus

tuerit. Per totum vitæ spatium se se semper gessit religiosissime; tantaque devotione excelluit, ut nunquam abfuerit a divinis Officiis, etiam in ætate provecta. Cum enim pius senex se se amplius movere non posset, ad ecclesiam nihilominus quotidie se se reptabat, monacho quodam suffultus et Fratre Donato. Fuit egregius sui contemptor, paupertatis studiosus, cultor silentii et solitudinis, sectator regularis observantiæ, multumque deditus orationi et lectioni rerum spiritualium. Quidam nepos illius post mortem ei apparens rogavit, ut Missas pro liberatione illius e piacularibus flammis celebraret. Persolvit Bernardus petita suffragia; cui defunctus iterum se sistens regratiatus est. Vixit in Ordine per 55 annos laudabiliter; tandemque Cœlo maturus placide in Domino obdormivit, die 5 Septembris, anno 1554.

Ex Libro fundationum Cartusiarum Cataloniæ Joseph de Valles et Annalibus Scalæ Dei.

ELISABETH DE WIGNACOURT

PRIORISSA GOSNAY

Anno 1553 Margaritæ de Houchin Priorissæ succedens, hanc dignitatem non solum splendore sui generis, verum etiam prudentia simul et suavitate morum, exemplarique exornavit conversatione. Hæc prima hujus parthenii, administrationem rei domesticæ dimisit monacho Procuratori, ut minus occupata temporalibus, saluti sibi commissi gregis liberius invigilaret. Qui quidem mos laudabilis postea invaluit in hoc monasterio, ubi Priorissæ rerum terrenarum curam projicientes in Œconomum, sibi et Christi Sponsis attendunt. Vitam hanc mortalem cum immortali Elisabeth commutavit, anno 1582, die 5 Septembris, habens 62 annos Religionis.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart et Elisabeth de la Ruelle.

THEODORUS BRUNEL

VICARIUS GLANDERII

Vir miræ simplicitatis ac eximiæ probitatis; ad vitam meliorem migrat anno 1607, die 5 Septembris.

SANCIUS DE NORIEGA

PRIOR GRANATÆ

A domino Petro de Castro et Quiñones archiepiscopo Granatensi, suo consanguineo, ad omnem pietatem et litteras humaniores institutus, spretis dignitatibus ecclesiasticis, quas ei Archipræsul pollicebatur, anno ætatis suæ vigesimo in Cartusia Granatensi per vota professionis se cultui divino mancipavit, anno

1593, die 27 Septembris. Eluxit statim in eo amor ingens monasticæ perfectionis, sui contemptus, obedientia singularis, devotio, Statutorum observantia. Spirituale hoc ædificium Sancius construxit super firmissimam humilitatis petram, qua in honorificis etiam muniis excelluit : ita parum de se sentiens, ut se pane, quo victitabat, prorsus indignum reputaret; atque ideo labore cibum sibi comparaturus, libros in ecclesiæ usum descripsit pulcherrimo charactere.

Diu laudabiliter obivit Sacristæ officium, præfectus postea Domibus Granatæ et Aniago, Provinciæque Castellæ administrationi. Functus est his magna cum et monachorum et sæcularium existimatione. Abhorrebat imprimis ab otio; unde semper occupabatur modo lectione, modo oratione, modo labore. Omnes, præsertim filios suos paterno prorsus amore complectens, se se benevolum beneficumque singulis hominibus, imo et animalibus, exhibebat : cumque ardentissima charitate flagraret, satagebat de omnibus bene mereri. Sollicitus erat subvenire egenis, eorumque lites curabat apud judices, custodiaque detentorum patronus erat : lubens eremum suam dimittens, velut alter Antonius, pro eis pœnas deprecabatur. Nec incassum : ea siquidem qua pollebat apud causarum disceptatores, ob vitæ suæ probitatem, gratia et auctoritate, alios ab exilio, alios a carcere, alios a triremibus, alios a capitis supplicio liberavit. Unde non immerito nuncupabatur Pater pauperum et afflictorum Consolator.

Vir aliorum necessitatibus studiose prospiciens, suas curabat parum. Amator etenim paupertatis, nusquam novas induebat vestes, sed detritas, nec pedulia mutabat et calceos, donec usu omnino consumerentur : nullam exercendæ paupertatis simul et mortificationis prætermittens occasionem. Ea præditus erat charitate, qua defectus excusabat alienos, de nemine judicans, nisi peccatum appareret manifestum. Unde ægre ferens delatores et suorum Fratrum accusatores, ipsos arguebat, quod immemores essent consilii Evangelici alios judicare prohibentis Columbina præcellens simplicitate, non carebat tamen serpentis prudentia : quandoquidem super gregem suum vigilans, sciensque se Pastorem esse hominum circumdatorum infirmitate, modo privatim, modo publice eos ad perfectionem hortabatur, modo paterne corripiebat; quin etiam sollicitus circa domesticos, curabat ut, modesti tum in verbis tum in moribus apparentes, se veros Cartusianorum famulos exhiberent. Quos autem diebus festivis animadvertebat devotiores, aliquibus afficiebat beneficiis ; pœnis vero delinquentes.

Hujus religiosissimi Patris charitas se se etiam extendebat ad defunctos, quos totis viribus juvit. Imprimis autem per triginta annorum spatium, quoties

ei Missæ non injungebantur, toties Sacrum obtulit pro anima quæ, purgatoriis ignibus cruciata, plus indigebat suffragiis. Cujus devotio ita cuidam ibidem jam diu detento profuit, ut tandem aliquando a pœnis liberatus se sisterit Sancio gloria coruscum, regratiatus, quod ipsius et aliorum, qui eadem devotione erga defunctos ferebantur, Sacrificiis educeretur in refrigerii locum : ad quem etiam Sancius noster pia et felici morte migravit, anno 1635, die quinta Septembris. Sepultus est in Cartusia Xeritii, quam tunc visitabat; natus annos sexaginta duos.

MARIA DU VIVIER

MONIALIS GOSNAY

Insulensis; parentum unica proles, quorum vix consensum extorsit ut inter istius Cartusiæ moniales annumeraretur. Diligebatur etenim supra modum a matre sua, quæ filiam a proposito dimovere tentabat amoris tenerrimi blanditiis, piorumque hominum, quos ad id sollicitabat, suggestionibus. Verum invicta Maria permansit, et per calcatam pergens matrem advolavit ad Crucis vexillum, præclarisque exornata naturæ dotibus, Religionis jugo collum subdidit.

Jam tyrocinii annum feliciter expleverat, cum matrem suam, quæ crediderat, fallaci spe hactenus delusa, filiam suam professioni monasticæ imparem, ad colloquium evocatam sic affatur : « Jam, o dulcissima parens, advenit sacrificii tempus; jam in atrio sacerdotali sistitur hostia super aram immolanda; noli subducere victimam, noli donativum Christi militiæ suffurari, sed veni mecum, spontaneaque oblatione nosmetipsas offeramus in holocaustum. » Ad hæc verba mater afflictissima tandem aliquando voluntati Divinæ acquiescens, pium Mariæ consilium probavit : grande nefas esse rata in holocausto rapinam, et non levem in Deum injuriam, illius opus impugnare, et eam quam ad suum servitium vocaverat, avertere vel impedire.

Post emissa suæ professionis vota, dum communem virtutis palæstram decurreret, ad præstantius vitæ genus Religiosi cujusdam viri literis, qui Mariam ad majora natam divinitus cognoverat, evocatur. Nec mora; transformatur in alteram, adeo ut ad summitatem Montis mystici perfectionis conscenderit : ubi jugi convivio fruens, ubi Divino gaudens consortio, ubi omnium motuum adepta quietem, penitus tranquilla dicebat cum Apostolo : *Bonum est nos hic esse.* Unde per totum vitæ suæ tempus dulci rerum cœlestium gustu repleta, perfundebatur singulari gaudio, quod in ejus facie semper eluxit. Porro tantam delitiarum abundantiam cum sustinere non posset præ corporis imbecillitate, gravissimum inde contraxit languorem; quo sectari regularem ob-

servantiam præpedita, sic Christum interpellavit : « Ex quo vulnerasti cor meum piissima cuspide dilectionis tuæ, jam divinis Officiis interesse nequeo. » Cui Dominus eas statim vires pollicitus est, quæ ad omnia munia suæ professionis imposterum sufficerent. Revera etenim variis licet attrita languoribus, nusquam tamen adiit infirmitorium, nisi cum extremo correpta morbo ibidem decubuit.

Interim Mariæ animus a peccati labe solutus et ab omni rerum cupiditate liber, sponte refluebat in originem suam, suapteque natura Deum amplectebatur, adeo ut in negotio otium, atque contemplationem reperiret in actione. Quapropter amatorio quodam perpetuoque dilectionis oculo Sponsum aspectans, in eum jugiter intendebat. Ex hac intima cum Christo familiaritate perennique cogitatione nascebatur summus paupertatis amor rerumque terrenarum contemptus. Id sibi firmiter proposuerat ab ipsis susceptæ Religionis incunabulis, præter Christum nudum ac crucifixum nihil omnino sibi possidendum, altissimamque illius pauperiem pro summis divitiis sibi computandam.

Non modo rerum necessariarum, sed etiam (quod præstantius est) interdixerat sibi propriæ voluntatis usum. Nam obedientiæ, quæ prima virtutum est utpote victimis omnibus melior, tam eximia cultrix fuit, ut sibi perfecte renuncians, non alia quam Superiorum voluntate frui videretur. Adeo enim excellenter illis, quos sibi Dei vice præsidentes divinaque propemodum auctoritate præcellentes suspiciebat, se totam subdiderat, ut nihil prorsus aut magnum aut minimum absque illorum consensu, vel eis inconsultis, præstaret.

Sortita bonam animam, nullum sentiebat in virtute laborem; prædita laudabili morum facilitate, nihil ipsi erat asperum, nihil durum in via Domini. Unde Deo non solum, sed et omnibus erat amabilis. Nec immerito quidem : quippe quæ flagraret singulari charitate erga proximum. Hoc eodem plena Spiritu charitatis, si quem aut moribus incompositum, aut in spiritualis vitæ profectu frigidiorem, aut vitiis deditum videret, aspersis multo sale sermonibus, vel epistolis devotionem spirantibus, provocabat ad amoris Dei studium. Præclara illa et honesta vitæ conversatione tam domesticos quam extraneos, quibuscum versabatur, ita compellebat ad virtutem, ut, cum universi colloquium ejus appeterent, omnes ab ea velut e petra salis exempla vitæ purioris, quibus fierent meliores, lamberent. Cujus quidem precum efficaciam multi non sine multo lucro experti, salutem suam Matris venerandæ suffragiis adscripserunt. Inter quos fuit homo quidam in sordibus vitiorum volutatus, qui resipuit tandem illius orationibus et ad meliorem frugem se se recepit.

Sæpe sæpius pia Mater se Numini divino in sacrificium offerebat, et in hostiam, quæ debitas peccatoribus pœ-

nas lueret. Nec frustra; divinæ siquidem Justitiæ manus ultrices illam diversis affligebant pressuris, inter quas invictam quamdam animi patientiam exhibuit semper : præsertim dum Conventu ob bellicos tumultus Bethuniæ demorante, ipsa cum quibusdam Sororibus Donatis Gosnayense parthenium hostium periculis expositum habitaret. Eo siquidem temporis intervallo variis capitis, dentium, stomachi doloribus molestissimis cruciata, nihil tamen de spiritualibus exercitiis remittebat : semper licet externis occupata rebus, Martham cum Maria sollicite conjunxit.

Propter lienis (alimentum immoderato festinoque nimis calore devorantis) depravationem, delectos cibos identidem comedere coacta, minus bene apud nonnullas audiebat. Verum Maria Christi Domini contumelias perpetuo mentis intuitu secum perpendens, nihili non modo faciebat hominum judicia, verum etiam opprobria læto sinu excipiebat, existimans in sola Salvatoris nostri Cruce Christiano esse gloriandum.

Animi etiam ad omnia paratissimi non modicum aliquando dedit argumentum, cum sua neptis habitu donata Religionis, iterum atque iterum votis minime suffragantibus, ad parentes suos remissa fuit. Quod etiam infeliciter contigit cognatæ suæ, quæ ad probationem fuerat recepta. Rebus sic male cedentibus, religiosa Mater eamdem servavit mentis tranquillitatem, nec leve quidem protulit verbum, quod parentum suarum repulsam sibi fuisse molestam testaretur, nec quicquam tristitiæ in illius vultu apparuit. Nam non secus ac divus Deicola sancti Columbani discipulus (qui rogatus cur semper rideret, respondit : « Quia omnia a me auferri possunt, Deum autem mihi tollere nemo potest ») dicebat : *Amicus meus mihi, et ego illi.* Quibus assueta delitiis, has sibi vendicabat Psalmographi voces : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum,* in quo, juxta Apostolum, vivebat, movebatur et erat.

Hanc cordis jubilationem non abstulit mortis suæ nuncius. Cum enim de illius salute a medico conclamatum esset, idque Soror quædam ei retulisset dicens, « In domum Domini lætantes ibimus »; illa, non secus ac si sanitate fuisset potita, rogavit an secundum opinionem medici de vita periclitaretur ? Cui Soror respondit jam extremum sibi diem instare; moxque in valetudinarium cum asseverasset esse bajulandam, illa permanens imperterrita, crucem rosario suo appensam petens, post salutiferi vexilli suavissimos amplexus defertur ad infirmarum mansionem. Porro cum eam repentina morte corripiendam medicus judicaret (quem hæc opinio non fefellit), vix per viginti quatuor horas decubuerat, cum, ultimis Sacramentis pie devoteque munita, desideriis intentissimis cuperet sui corporis dissolutionem. Per sesquihoram in extremis posita, tam ardentibus charitatis divinæ flammis exæstuans apparuit,

ut illius splendore in faciem animam agentis redundante, vultus ejus cœlesti quadam luce coruscaret, oculique ejus stellarum instar vibrarent radios.

Interim P. Vicarius morienti debita Christianæ pietatis officia persolvens, ad moniales in admirationem raptas conversus exclamabat : « O felicissima mors! O quale miraculum! Nusquam tale quid nemo nostrum vidit! » Deinde Mariam sic alloquebatur : « Eia, Soror, cor illud, quod tanto Sponsi flagravit amore, novos iterum amoris producat actus. » Ad hæc verba facies illius magis ac magis splendescebat, scintillabantque illius oculi præ gaudio, totumque jam exanime corpus tripudiabat veluti ab anima raptum ad cœlestes delitias. Inter hanc mentis exultationem paulatim micantia lumina claudens ad mortis somnum, amoris vulnere sauciata, placidissime in Domino obdormivit Bethuniæ, anno 1644, 5 Septembris. Multa divinitus præsagiit.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart.

ANTONIUS FERNANDEZ

MONACHUS DE PAULARI

Natus in oppido de Guadarrama; jam initiatus sacerdotio, inter professos de Paulari, anno 1624, die 22 Julii, adscribitur. Vixit in Domibus de Paulari et Granatæ ambulans sine querela coram Deo et hominibus. Detractionis et murmurationis maximus osor : quod si quem talia loquentem audiret, aut alio convertebat sermonem, aut tacitus recedebat. Ejus memoria in benedictione est ob eximiam quam per 23 annos inter acutissimos dolores patientiam et compositionem suæ voluntatis ad Divinam exhibuit. Horum mercedem a Domino accepturus, e vivis excessit, anno 1652, die 5 Septembris.

MARTINUS DE ALCOLEA

MONACHUS DE PAULARI

Vitam monasticam in hac Domo professus anno 1632, die 31 Maii, multum utilis choro fuit ob sonoram vocem et cantus peritiam. Sub conversionis initia aspero erat ingenio; verum postea in alterum mutatus, præcelluit mansuetudine, morum facilitate et urbanitate in alios. Inter acutissimos chiragræ et podagræ dolores speculum se patientiæ et fervoris exhibuit, dum, quamdiu potuit stare, Sacrum obtulit, alaribusque furculis nixus incessit ad ecclesiam. In ætate extrema hospitatus in Cartusia Granatensi, solitudinis custos eximius abhorruit a sæcularium conversatione, quam declinabat quantum poterat.

Multum insudavit in operibus Dianæ in ordinem meliorem redigendis : quæ Lugduni novem distincta voluminibus typis mandata fuerunt, quibus titulus præfixus est *Diana coordinatus.* Cumque mendis scaterent libri, Martinus

jam septuagesimum quartum ætatis annum agens, chiragricus licet, magna cum attentione novem volumina pervolvit, menda correxit sua manu : quæ Lugduni impressa fuere in-folio cum indice amplissimo totius operis. Mirum profecto est quomodo vir sic præpeditus manu hæc potuerit exscribere.

Tandem dolore lateris oppressus, brevique confectus, sancte expiravit anno 1672, die 5 Septembris, ætatis suæ anno 78, rite munitus Sacramentis. Vixerat in Ordine quadraginta et unum annos et amplius.

Ex Manuscriptis.

VI DIE SEPTEMBRIS

MARGARETA VAN HOVE

MONIALIS BRUGIS

De qua Manuscriptum hujus parthenii ad nos transmissum hæc commemorat :

« Margareta Van Hove multis annis fuit Magistra Novitiarum cum maxima laude et plurimarum profectu. Adhuc in sæculo degens, ut quandoque confessa est, ab anno ætatis suæ 15 a Deo se trahi sensit ad monasticam Vitam; verum de mense in mensem, de anno in annum sequi neglexit vocantem, adeo ut jam octavus annus ageretur, quo calcitrabat contra gratiæ stimulum. Contigit autem quadam die, ut per domum ambulans alapam acceperit, audieritque vocem distincte sibi dicentem : « Quousque nugis occupata me sequi procrastinabis? » Erudita ex verbere statim confugit ad hoc parthenium, ubi admissa inter moniales, omnium virtutum apparuit exemplar.

« Erat enim summa humilitate prædita, suique et honoris eximia contemptrix; Superiores multum venerabatur, quos cum alloquebatur, non audebat præ reverentia oculos erigere. Quamvis vocem non haberet concinnam, aliqua tamen moniali deficiente, solebat mitti de choro in chorum in subsidium aliarum. Verum cum ob vocis suæ asperitatem repulsam pateretur ab utraque chori parte, rogata quid cogitaret, respondit : « Cogito me pilam esse qua ludunt meæ Consorores. » Quæ autem se Margaretæ molestiores exhibebant, has vocabat angelos suos; et quidquid poterat amoris et benevolentiæ, eisdem semper impendebat.

« Ita docibilis facilisque erat ad aliorum imperia, ut nusquam de quovis onere sibi imposito vel minimum querimoniæ verbum ex ore illius exciderit; unde a Superioribus vel ab aliis vocata, non ibat, sed advolabat injunctis obtemperatura. Huic singulari

obedientiæ accedebant voluntaria paupertas, patientia haud vulgaris, temperantia, silentii solitudinisque amor, eximiaque erga Deum et proximum charitas : omnes demum virtutes elucebant in Margareta.

« In ipsa nocte Nativitatis Domini aliquando in gravem incidit infirmitatem, qua per septennium afflicta, nulla medicorum arte curari potuit. Verum Christi opem inclamans, tandem precibus et lachrymis impetravit sanitatem, non sine evidenti miraculo. Ipsa enim nocte Natalis Dominici cum ferventius Puerum Jesum deprecata fuisset, subito plane convaluit ab infirmitate.

« Tanta autem mansuetudine morum excellebat, ut nunquam apparuerit irata; quod si vel minimam sentiret commotionem, statim ad orationem se convertens, non recedebat nisi cum facie serenissima. Hanc ei Deus concesserat gratiam, ut si quæ Soror afflicta vel tentata mentis arcanum ei detegeret, hanc, nisi abunde recreatam et ab omni angustia liberatam, non dimittebat. Cœlesti luce Deus Margaretæ mentem illustraverat, qua cognosceret intimos animi sensus et penetraret occultas hominum cogitationes.

« In extremis posita cum expavesceret ad mortis aspectum, a Vicario rogata cur timeret, quandoquidem Sponso serviisset fideliter, respondit : « O Pater, quam mundum id debet esse, quod in Cœlis semper splendere debet! » Quod verbum frequenter habuerat in ore, omnique occasione aliis inculcaverat. Aderat tunc quædam monialis nomine Clara Strabant, vitæ admodum exemplaris ; ad quam amare flentem se convertens Margareta, dixit : « Noli flere, brevi mecum eris. » Quod et contigit, nam vix justa persolverant moniales Margaretæ, cum altera morbo correpta, post aliquas hebdomadas defunctam subsecuta, vaticinii veritatem comprobavit. Porro cum Margareta in extrema vitæ linea constituta esset, magna lux circa lectulum illius affulsit, quæ disparuit dum placide spiritum emittens evolavit ad Sponsum, anno 1592, die sexta Septembris. »

Hactenus Manuscriptum cujus styli asperitatem paululum immutavimus.

ANTONIUS RAVEL

RECTOR MONTIS DEI

Arelate natus, anno 1560, plebeiis quidem sed valde honestis parentibus. Cum adhuc esset in cunis, prodigio quodam a morte ereptus est. Nam cum, levi morbo lacessitus, corpusculo toto ex scatentibus intra viscera vermibus inflaretur, videreturque quasi animam exhalasse, cum vix ullus aut spiritus aut tepor in corpore remansisset; jam deputatus inter mortuos, linteo consutus obvolvitur mox tradendus sepulturæ. Cumque in domo patris sui luctus ex defuncto puello undique personaret,

ex insperato supervenit patruus ejus, Magister Joannes Ravel, qui per plurimos annos ad eas partes non accesserat, redibatque tum ab urbe Roma, ad quam pro negotiis Roberti Lenoncurtii Cardinalis et episcopi Metensis se contulerat. Transiens igitur per terram suæ nativitatis Joannes divertit ad ædes sui fratris, et ecce luctus ubique perstrepit. Sciscitatus causam, cum probe versatus esset in scientia medicorum, dissui jubet linteum funerale, animadvertitque in Antonio quamdam vitalis spiritus auram. Mox confotus calidis in cunis reponitur, propinataque a Joanne nepoti suo medicina, vermibus eliminatis, postea puer omnino convaluit.

Erat autem Joannes parochus Maceriensis, deinde, ad instantiam Caroli Cardinalis Lotharingi, canonicus ad S. Petrum in eadem urbe Maceriensi, acerrimus Fidei Catholicæ contra Hæreticos propugnator, vir eximiæ virtutis, gravis, sobrius, castus, optime affectus in pauperes et singularis amicus Montis Dei, cui suam bibliothecam instructissimam legavit. Variis excoctus tribulationibus decessit, mense Maio, anno 1597.

Porro cum duodecim annorum factus esset Antonius, scripsit ad patrem illius Joannes, quatenus filium, quem eripuerat a morte, ad se mitteret. Venit itaque Macerias pater cum filio longa via et periculosa peregrinatione. Traditus avunculo erudiendus puer Remis humanioribus literis operam dedit. Cumque videret sæpius Cartusianos Montis Dei tum Remos, tum Macerias venientes ac hospitantes in ædibus sui patrui, cœpit valde eis affici; Montemque Dei adhuc tenellus et ad aspera Religionis subeunda invalidus adiit, petiitque a Bertrando Morel Priore habitum Ordinis. Bertrandus recusat eum admittere, causatus ætatem vix legitimam et modicam eruditionem, jubetque juveni, ut statim solum vertat. Sic eliminatus sedet in nudo saxo diutius in area Domus, dum frigus sæviret intensissimum. Cumque pertinacem adolescentis animum ex aliorum relatione didicisset Prior, eum a Deo missum ratus suscepit circa finem Novembris anni 1578, cum jam octavum decimum ætatis annum implevisset; et anno recurrente, vota professionis emisit in festo S. Thomæ Apostoli, communi omnium calculo admissus.

Cum vero in solitudine aliquot menses exegisset, admovetur officio Coadjutoris, et statim post sacerdotii primitias, Vicarii onere tenellis et vix patientibus humeris angariatur. Anno denique 1592, absoluto ab officio Prioris Morello, cum electione facta confirmatores incassum advenissent et laborassent, Antonius Rector institutus Montis Dei, usque ad sequens Capitulum generale permansit in hoc munio. Vicarius ut antea restitutus, officium illud exercuit usque ad annum 1600. Inde ob zeli vehementioris æstum decenni exilio Gosnayum relegatus, tan-

dem ad Montem Dei anno circiter 1613 rediit; ubi et Vicarius tertio institutus et post aliquot annos absolutus, iterumque quarto restitutus per Visitatores, novissime anno 1624 per Chartam Capituli generalis ad Vallem S. Petri mittitur; in qua requiem a laboribus reperturus, nonnihil in claustro privatus conquievit, donec viri probitate et experientia satis explorata, item Vicarii officio quinto mancipatur. Cujus absolutione ob senium postea obtenta, ibidem residuum vitæ orando, legendo et pingendo studiose impendit; donec biennio ante mortem ad omnia effectus quasi inutilis, cum pedibus vix consistere posset, lecto decumbens tandem ad extrema perducitur. Duabus itaque horis antequam animam exhalaret suscepto Extremæ Unctionis Sacramento, naturæ debitum persolvit, anno 1638, die 6 Septembris. Vixit in Ordine 60 annos omnigenis virtutibus exornatus.

Imprimis autem humilitati toto studio incumbebat : de ea singulis diebus et noctibus meditabatur; hanc omnibus suadebat, prædicabat, docebat amplectendam; et ne quandoque sibi illud exprobraretur *Qui prædicas non furandum, furaris,* ipse primus eam virtutem redigebat in praxim : in omnibus et per omnia de se ipso tanquam abortivo, et altero, ut dicebat, Lucifero sentiens, et talem se gestiens ab omnibus haberi; adeo ut filiis suis mandaverit paulo ante mortem testamento suo se legare sanctam humilitatem, precarique se ut mortalium omnium vilissimum et pessimum in æternum existimarent. Cum de tanta virtute tractaret in communibus colloquiis, quasi de gravi somno evigilans, alius a se ipso videbatur, semperque nova referebat de illa; nec erat finis dicendorum, nec unquam de tali materia scripsit aut disseruit aliquid, quod non novum semper videretur. Si enim in communibus et familiaribus colloquiis occurrisset aliquid exempli, statim captata ab ipsis capillis, quam quærebat, occasione, stertentes et oscitantes pungebat, et modo ii exercitatores bonæ voluntatis essent, nihil unquam fastidii reportabant ex ejus verbis.

Solebat nonnunquam, cum ex debito corriperet delinquentes, ad eorum genua procidere, si videret induratos; culpas etiam suas allegabat, ut se humiliaret et alios provocaret. Cum vero quidam ex suis subditis eum moneret, ut sibi verba diceret de charitate et aliis virtutibus acquirendis, abnuit, asserens solam humilitatem, si perfecta esset, sufficere ad perfectionem charitatis acquirendam. Similitudinem ejus rei producebat ex funalibus horologiorum excitatoriorum ponderibus, quorum unum quanto inferius deprimitur, alterum tanto superius erigitur. Hujus virtutis scientia fretus, magna sibi a Deo collata dona sub humili silentio abscondit, ne thesaurus publice expositus raptores alliceret. Quæ vero interiora latebant, nemo unquam ab eo extorquere valuit.

De exterioribus vero, istud certo tenemus eum in omnibus humilitatis speciem prætendisse. In loquendo simplicissimus habebatur, quamvis verba ejus, quasi ancipites gladii, pertingerent usque ad divisionem animæ et spiritus. In habitu, in incessu, in omni denique gestu, nihil quod non humilitatem redoleret poterat deprehendi. Curiositatis et vanitatis adversarius singularis, eas tanquam tineas humilitatis aversabatur. Confundi coram omnibus non refugiebat, appetebat irrideri. Cum primum Rector institutus est, repudiatis equis, asellum simplicem ad sessionem sibi comparavit : hunc pretiosissimum omnium dicens, qui Christum Dominum et S. Papam Cœlestinum in triumphalibus suis adventibus sessores habuisset, et gloriosiorem etiam inde æstimandum, quod cruce in corpore insigniretur.

Nec minus deditus erat orationi. Cum Novitius factus designatum sibi a Priore Magistrum haberet, cujus ope in studiis spiritualibus dirigeretur, ab eo ter aut quater ad summum visitatus, hoc unicum præceptum accepit : ut servaret cellam studiosius, et in brevi peritus in omnibus haberetur. Hanc brevem et jejunam lectionem pius Novitius sæpe repetens, cum sibi deesset Magister, se ipsum in manus æternæ Sapientiæ commisit erudiendum ; et orationis seu meditationis adminiculo usus, aspirante sibi divina gratia, in virum orationi deditissimum evasit, ut per singula momenta fere aut oraret aut quædam devota ruminaret. Nec statutis ab Ordinis instituto horis tantum vacabat orationibus, sed etiam cum sibi vacuum esset, et laboribus manualibus ferias indiceret.

Ex illo sacro fonte orationis plura gratiarum charismata hausit. Semel contigit, cum aliquem ad orationis studium provocaret, ut talia verba ex improviso totus extra se raptus effutiret : « O si scires quid dilectis suis oratoribus Christus communicat! quid mihi indigno non ita pridem contulit! quid ebrietatis et voluptatis tunc perceperim! non amplius opus esset, te ad orationem animare. » Aliquando hyeme sæviente totus igneus, oculis et facie micantibus conspectus est, dum vacaret orationi. Solebat hanc orationem concreditis sibi Novitiis sedulo inculcare; et ut provocaret magis, identidem quædam exempla et theoremata apposite afferebat in medium : Ordinem Cartusiensium semper in sua stabilitate et fervore mansurum contestans, quamdiu in eo vigeret orationis et pietatis studium, sæpius allegans Prophetæ verba : *Desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitet corde*. Ne vero ab oratione aut meditatione inter familiaria colloquia abriperetur ad inania, semper de Deo et Divinis loquebatur, et nunquam de aliis omnino, nisi arctatus obedientia vel charitate ; qua cessante, quasi lamina magnete illita, statim ad scopum suum reflectebatur.

Colloquia sua omnia de humilitate et pietate erant : hi loci communes, hæc topica, hæc promptuaria et panoplia sibi ad omnem usum. Nihil cogitabat quid loqueretur, dum loqui vellet ; dabatur enim illi tunc quid loqueretur. Pii et cordati viri, qui etiam pollebant doctrina, noverunt sæpius loquentem in eo Spiritum Dei, qui quasi appositam et convenientem suis negotiis materiam nullo impellente tractaret ; ab eoque mirifice alleviati discedebant. Alter, qui Antonium de spiritualibus agentem auscultabat, se quasi extra se factum fuisse referebat, dum ejus verba ignita intenderet, et non aliter, quam si Seraphim unus loqueretur, et quasi pugione se transfixum fuisse, cum ab eo ad prandium avocatus est.

Tam eximiæ fuit castitatis, ut usque ad mortem illibatum servaverit virginitatis florem, quanquam dixerit interdum (licet nunquam attigerit feminam, aut peccaverit in proprium corpus) veram virginitatem nolle sibi vendicare, cum levissimis de causis pretiosissimum illud lilium deturpetur. In verbis, in gestibus, ut castissimus, ita modestissimus habebatur. Audivit aliquando quid obscœnum proferri a jurgantibus inter se rusticanis nebulonibus. Eo verbo audito ita contremuit, ut per triginta et amplius annos recordatione illius obscœnitatis mirum in modum angustiaretur. Cum, adhuc in primordiis Vicariatus, Novitios juvenculos ex perspecta eorum pia indole et ad virtutem religiosa propensione valde diligeret, et castitatis gratia fretus nonnunquam religiose et simpliciter amplexaretur, manibusque manus eorum contrectaret ; subodoratus hoc fieri contra castitatis puritatem, licet non attenderet nec intenderet, de cætero cautior effectus, non tantum ab ejusmodi abstinuit, sed et abominatus, solas imposterum animas abstractas a corpore diligendas penes se constituit : quod et retinuit constanter usque ad obitum, quamvis erga pueros seu potius infantes ob innocentiam et puritatem mirifice afficeretur.

Subjiciam aliquid de ejus patientia. In sæculo adhuc positus, cum degeret sub ferula patrui Joannis, ita austere cum eo agebatur, ut hoc tempus suum purgatorium, tempus vero quo in Religione vixit, suum paradisum vocaret, quamvis Religionis status scateat crucibus continuis. Cum enim patruus eum diligeret vehementer et ad virtutem veram vellet informare, carnali amore relegato, rationali tantum circa eum dilectione fervebat. Unde factum est, ut eum tribus pædagogis traderet erudiendum, in literis videlicet humanioribus, in apicibus pingendis, in musicalibus modulis et personanda lyra. Singuli eorum in mandatis habebant, ut eum egregie verberibus exciperent : quod et cumulatissime præstabant. Accedebat his quartus pædagogus, patruus nimirum ; qui Orbilio ipso truculentior, semper minitabundus, semper in eum frendebat, horrenda verberum quatiens

hastilia, ita ut singulis momentis pro levibus ignorantiis, quæ puerorum sunt, districtas plagas imponeret; a quo ita pavebat, ut nec in eum intendere et oculos levare posset præ timore. Cum jam factus monachus a patruo visitaretur, quærebat, querebaturque apud eum : Quare sic austerus in eum fuisset, cum nihil committeret criminis? Respondit patruus : Nimium, quo eum prosequebatur, amorem causam tantæ austeritatis extitisse; quatenus sic ad bene vivendum formaretur, et Dei vitaret offensam.

Ex tam severo institutionis ritu, duo lucratus est Antonius noster : ut scilicet summopere paveret Deum offendere, et paveret a puerilibus vitiis. Cui bonæ institutioni religiosæ vitæ Institutum accedens, passiones in eo sopitas utcumque reperit : nam sæculum et sæcularia quæque potius ignoravit, quam reliquit. Alterum vero fuit, quod ita verecundus et timidus ad nova quæque subeunda veniebat, ut mutatio quælibet quasi Sisyphi saxum aliquod videretur. Unde natura tristior et ad melancholiam proclivior erat.

Bis aut ter in acrioribus morbis desperatus Oleo infirmorum unctus est; nec tamen ullum emisit signum impatientiæ. Videbatur autem quodammodo indignari, si qui circa se forent sollicitiores dum infirmitas incrementum capiebat, rogans et obtestans pro amore Christi, ut se tanquam bestiam sterquilinio dignam relinquerent. Triginta et eo amplius annis hæmorrhoidum cognatæque morbo dysenteriæ laboravit; rupturam iliorum in ventriculo per viginti annos sustinuit. Gemino dolore capitis, quem appellatione veteris et novi in duobus cerebri ventriculis apposite discernebat, ad multos annos vexatus est.

Si quando capitis doloribus melancholia gravior superveniret, quæ et qualia tunc pateretur, novit Deus. Dæmon namque nullum non movebat lapidem, quo eum provocaret ad impatientiam, horrendas immittens blasphemiæ et obscœnitatis cogitationes; quibus vir religiosus et castus valde afflictabatur. Nec dubitabat asserere se multoties quasi in extremo spiritu constitutum, nisi a Deo custoditus fuisset, nullum fuisse tam enorme peccatum, quod non commisisset : qui sane cruciatus delicatæ animæ importabilis erat. Quid tunc solitarius existens faceret, quove se verteret, nesciebat. Orare, legere, morbus capitis prohibebat; visitare et visitari, loqui de Deo, manibus operari, in cella residere, dormire, tormentum juge reputabatur; et quamvis ipse ad aliorum consolationem pronus satis prospere circa eos laboraret, circa se tamen quasi stupidus, in miseriarum abysso submersus erat.

Piæ et sanctæ recordationis magister Hubertus Morus ecclesiastes et canonicus Remensis, vir omnium calculo sanctissimus et doctissimus, ut ex vita et scriptis constat, multas sibi a Deo factas revelationes soli Antonio nostro

revelabat, nilque detrectabat aperire suas tentationes : a quo remedium reportabat et consolationes. Aliquando ei quamdam levioris momenti tentationem, qua pluribus diebus fuerat vexatus, reseravit ; quam ut statim effutiit, satis gratiose derisit Doctorem Ravellus, mirari se dicens, qui tantus vir ita propter culices extabesceret. Post aliquot verba de hac re argute satis edita, exclamans Morus, et quasi mola asinaria sublevatus : « O me homuncionem vilissimum, inquit, quem Deus in tam parvis et futilibus humiliat ! »

Vice versa cum Antonius melancholia abundantiori absorbebatur, nec ullibi inveniebat electuarium mitigativum dolori, aliquando ex verbuli unius ab aliquo Novitiorum auditi vel potius ex Spiritus Sancti suggestione nubilum omne diffugiebat, redibat serenum. Vice ultima, qua per plures menses tam immani tristitia excoctus est, cum frustra ad sopiendam miseriam hanc multa excogitaret, nec proficeret; adveniente hora a Deo præstituta, qua liberandus erat, visitatur a quodam Laico Fratre, qui lecta ex aliquo devoto libello unica sententia ita eum lætificavit, ut mox dissipata omni horrenda illa tristitia, quasi in alterum a se transformatus videretur.

Sub ætatis declivio in divinis somnolentus erat, naturæ potius quam teporis vitio. Cui morbo ut mederetur, se ipsum mire excruciabat, ut excuteret soporem; præterea ab offis et esculentis omnibus abstinebat, ut ansam amputaret. Cum autem nec sic frui posset optatis, in supplementum omissorum legebat Christi Passiones. Dum autem in cella vacaret meditationi, et sic a somnolentia vinceretur, consilium iniit, ut eidem aliquatenus indulgeret, ut vigilantior deinde progrederetur et alacrior.

Constantiam ejus in adversis et paratissimum ad quælibet patienda animum (præter melancholiam) omnes noverunt. Cum Mons Dei a Religionastris occupatus omnimodæ prædæ patuisset, et alii occisi, alii graviter vulnerati fuissent, ipse violenter abstractus a residuis in munitionem Domus se recepit, ubi Confessione generali sordibus expiatis, si quæ essent, ab omnibus tanquam mox ab Hæreticis trucidandis, cum diutius tardarent Hæretici, volebat eis obviam prodire, invitis Fratribus suis : « Eamus, inquit, ut martyrio nos afficiant; posthæc gloriosæ mortis tam præsentaneam occasionem non habebimus. » Sed cohibitus est a suis, licet Superior esset et uti posset imperio.

Nec silentio prætereunda est Antonii charitas, quæ quanto in ejus pectore igne ardesceret, nemo novit, nisi qui eam sibi concesserat Deus. Hoc primum et præcipuum exercitium ejus fuit (quod et subjectos sibi docuit), ut charitatem et amorem Dei tanquam finem ultimatum cunctarum actionum haberet, cuncta pro illo amore aggrederetur, pateretur, perficeret. Quicquid moliebatur, tentabat, auspicabatur, ab illo

amore non tantum rectitudine intentionis, sed ex voce ipsismet expressis verbis, incipiebat, enucleatius his verbis utens : « Pro amore mei dulcissimi Jesu volo legere Horas, meditari, pingere, talem Novitium visitare et similia. » Ex quo fiebat, ut jugiter Deum mente præsentialiter valde observaret, et quasi Elias alter diceret : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.*

Ex hac radice charitatis, zelus domus Dei et observantiæ regularis cor ejus ita exedebat, ut pro viribus restaurare conaretur quicquid animadverteret contra eam fieri; adeo ut si nihil verbis et monitis lucraretur, gemitibus et fusis ad Deum precibus Deum ipsum pro emendanda re, pro qua rodebatur, interpellabat. Cum adhuc in tyrocinio vitæ spiritualis Antonius versaretur, igne divini amoris totus incensus, cunctos, ut eo amore ignescerent, provocabat ex officio. Sed heu ! multi illorum in mente veteri nova meditari nescientes, jam dolebant quod hunc juvenculum castigatorem et reformatorem ad Ordinem susceperant. Unde odia et oblocutiones in eum concitabantur. Sed cum non posset serpenti morbo mederi, ubi opportune importune frustra se laborare perspexit, ad informandos juniores applicuit animum : quod satis prospere cessit. Nam et illi ejus monitis obedientes insistebant exercitiis sibi demandatis, orationi, lectioni, quotidianæ mortificationi et acquisitioni virtutum.

Omnes volebat homines salvos fieri. Circa autem tentatos et afflictos et potissimum ægrotos totus igneus erat, tum ex officii debito, tum ex innata sibi commiseratione erga tribulatos, quibus afficiebatur plurimum, et pro eis singulis diebus statis horis persolvebat Litanias. Et hoc ipsum sæpius inculcabat Novitiis, ut pro omnibus in tribulatione constitutis pias Deo preces offerrent : id ipsum gratissimum divinæ Majestati sacrificium fore asserens. In pauperes et mendicantes visceribus charitatis ita ferebatur, ut, cum posset, pro iis procuraret plurima ; et quodam caristiæ tempore nihil inculcabat aliud janitori, quam ut omnibus passim adventantibus absque discrimine ullo large porrigeret eleemosynas. Rector Domus factus, cum fames eo tempore prævaleret, et ex annonæ difficultate multi perirent, cum nihil in horreis præter avenam reperisset, hanc statim pauperibus ordinate distribui jussit, satius existimans rationabilibus creaturis, quam irrationalibus indulgendum.

Hujus virtutes paulo fusius descripsit in Chronico Montis Dei Franciscus Ganneron.

MARIA VERDIÈRE

MONIALIS GOSNAY

Cum in ætate tenella morum maturitate summoque orationis studio præstaret, annos viginti nata, parentum

blanditias sæculique voluptates generoso pectore fastidiens, Cartusianæ Vitæ desiderio teneri cœpit. Verum cum Magdalenam Wambasq et Margaretam Verdière sorores suas in hoc Conventu professas cerneret, verita ne quid pateretur detrimenti ex ambarum familiaritate, protinus ad Institutum Capucinarum, quæ sedem Audomari figebant, animum contulit. Interim dum de hac Religione sectanda consilium iniret, divina Majestas, quæ Mariam alibi destinaverat, tantis cogitationum procellis concuti permisit (quibus agitata jam de salute sua actum esse credebat, si subiret hoc novæ vitæ genus), ut mentis suæ perturbationem expertis quibusdam spiritualibus magistris patefaciens, vocanti Deo ad Cartusianum Ordinem sibi obtemperandum esse intellexerit.

Sic igitur animos resumens, die 16 Januarii donatur habitu Religionis. Perfectum autem virtutis tyrocinium instituens, linguam primum ab omni tum vano tum inutili verbo servabat alienam. Sapientis enim sententiam didicerat dicentis : *Ori tuo facito ostia et seras.... et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos ; et attende ne forte labaris lingua*. Hinc ut plurimum colloquia fugiens, quærebat amicam innocentiæ solitudinem ; cui si colloquendum foret, tam erat parca verborum, ut protinus recedens, sola Christi conversatione se delectari testaretur.

Elucebat in ea mentis angelica puritas, honestatis candor, rigor disciplinæ regularis, et singulare orationis studium, ubi vel minimas labes suis lachrymis eluebat. Cumque ab his se temperare moneretur, « Sinite, aiebat, dulciores mihi lachrymæ sunt omnibus gaudiis mundi. » Si quando virginum Sponsus eam perfundebat consolationibus divinis, illa sibi ipsi vilescens, ex innata animi humilitate clamabat : « Recede a me, Domine : tantis sum impar delitiis, quibus me profiteor prorsus indignam. » Quod quidem agebat ea cum suavitate, ut diceret interdum præ lætitiæ spiritualis exuberantia : « Satis est, Domine, satis est ! » Unde nec mirum, si præter templum et cellulam nihil aliud frequentaret.

Dum in ecclesia versabatur, exultans in Domino dicebat : « Hæc est domus mea, hæc mea requies ; hic habitabo quoniam elegi eam. » Hic divini amoris flammas vidisses concipientem, cœlum pulsantem fervidis orationibus, fundentem lachrymarum imbres pro suis et alienis peccatis. Cumque videret quod Christi conversatio nullam haberet amaritudinem, imo cœlesti voluptate Salvator noster quærentes faciem Dei Jacob reficeret, mirabatur quomodo plerique mortales animo renitenti cogerentur esse in divinis, et fastidirent congressum illius, cujus delitiæ sunt esse cum filiis hominum. Unde ad intimam cum Deo unionem anhelans, eique soli adhærescens, a multiplici spiritualium exercitiorum praxi abstinebat,

ne pluribus intenta deflecteret a proposito.

Exegerat jam triginta quinque annos in Ordine, cum bonorum operum meritis dives, coronam gloriæ cœlestis immarcescibilem perceptura, ad Sponsum evolavit, anno 1656, die 6 Septembris, annum ætatis agens 54.

Ex Schedis et Manuscriptis Elisabeth de la Ruelle et Mariæ Margaritæ de Brongniart Monialium hujus parthenii.

VII DIE SEPTEMBRIS

STEPHANUS DE CASTELLIONE

EPISCOPUS DIENSIS

Lugduni, quæ est Galliarum urbs præclara et celebris, Stephanus ortus est. Cujus pater dominus de Castellione, et sanguinis et religionis nobilitate fuit insignis, quemadmodum et uxor ejus. Itaque tales et tam boni parentes, talem nobis filium procrearunt. Solet enim arbor bona suaviores proferre fructus. Porro ab ipsis incunabulis signis quibusdam ostensum est, qualis quandoque Dei servus esset futurus : quæ non absurdum fuerit paucis annotare.

Prius enim cœpit cum Christo crucifigi, quam quicquam posset eloqui. Etsi autem fortassis incredibile videatur, tamen constat eum adhuc infantem, cum nutricis lacte aleretur, sextis feriis prorsus eam alimoniam recusasse, iisque diebus jejunum permansisse. Quod ubi parentes et noti didicere et suis quoque oculis conspexere, manum Domini jam in eo operari cernentes, quod olim de beatissimo Domini Baptista dictum fuit, cogebantur etiam ipsi dicere : *Quid putas puer iste erit?*

Inde vero abstractus ab uberibus, in ipsa pueritia a parentibus perdiscendis litteris est admotus. Ibi beatus puer et gratia plenus, et ingenio pollens naturali, in scholis non solum supra ætatem præ coætaneis suis magnos habebat in studiis progressus, verum etiam mirum in modum docilem, modestum, humilem et amabilem omnibus se exhibens, vitæ futuræ perfectionem quasi naturaliter inchoare videbatur. Bibebat quotidie aquas sapientiæ salutaris, et in dies se ipso fiebat prudentior. Annis puer, moribus senex et moratus, omnis lasciviæ puerilis ignarus. In ipsa autem morum disciplina et virtutum profectu, docente eum et imbuente sua unctione Spiritu Sancto, etiam eos omnes, a quibus docebatur, excelluit.

Postquam vero a pueritia migravit ad adolescentiam, manifestius apparere cœpit, quid esset in eo, et gratia Dei in

illo vacua non videri. Cum enim re ipsa comperiret religiosus et nobilis adolescens, in maligno et quodam vitiorum præcipitio mundum hunc positum esse; illud quoque Apostoli perpenderet, *Escam ventri et ventrem escæ, Deum autem et hunc et hanc destructurum :* prorsus sibi esu carnium voluit esse interdictum. Stupebant omnes, raram admirabantur virtutem, eoque magis, quo illa minus esset inter sæculares, præcipue nobiles et divites, usitata. Videre tum licebat multorum cordium revelari cogitationes. Alii enim, iique sanum sapientes, adolescentis abstinentiam et animi constantiam suspiciebant. Plerique solum, quæ carnis sunt, sapientes, ab animi levitate illud institutum proficisci suspicabantur. Verum ille sine consilio nihil agebat. Consultorem habebat Prophetam, ita dicentem : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Quod enim multis, proh dolor! accidere solet in illa fervescente ætate, ut mentem blandæ suggestionis vento pulsante, pudoris naufragium faciant; id ille pavidus antevertit, jam pridem castitatis amore medullitus concepto, ut pectus virtutibus munitum nulla turpi cogitatione contaminaretur.

Addebat vero virtutes virtutibus, et continenter turrim ædificabat, cujus in ipsis cunis jam fundamenta collocaverat. Crescebant virtutum frutices, quos in ejus pectore Christi gratia plantaverat, et fructus ferebant in vitam sempiternam. Jejunabat propensius et orabat, et quantum licebat, in misericordiæ opera et officia incumbebat. Interim vero tametsi bene vivendi formam in se ipso ostenderet, non tamen se ipsum ostentabat. Morum gravitas etiam in ipso vultu relucebat : animi summissionem et modestiam incessu et habitu fatebatur.

Jam vero contemplationis desiderio et amore flagrabat, quippe qui semper bonis meliora, potioribus optima adjicere conaretur. Quasi obiter jam gustaverat, quoniam suavis est Dominus, et totis animi medullis uni Deo vacare cupiebat : ut suavitatem illam non jam delibaret, sed pleno mentis gutture hauriret. Adolescentia igitur in juventutem abeunte, Davidis instar cum tartareo Goliath singulare certamen inire cupiens, locumque ei certamini opportunum inquirens, prius tentare cœpit, possetne Saulis, id est mundanæ nobilitatis, armis indutus incedere. Cernens autem ea arma magis oneri sibi esse quam adjumento (non enim eorum habebat usum aut consuetudinem), et locum et arma mutavit. Animadvertens se jam annos natum sex et viginti, animoque et corpore virilem, cum Davide quinque lapides e torrente in sua pera reposuit, id est, stigmata Domini Jesu cum Apostolo in corde et corpore tulit, baculumque pastoralem, id est moderationem sive discretionem, qua et vitia coerceret et se ipsum prudenter regeret, fundamque manu tenens, id

est, scripta divina re et opere exequi volens : ad palæstræ campum properavit.

Audiens autem Cartusiam Portarum huic certamini aptam (jam enim plerique alii eo in loco Goliam straverant), eo se contulit, exploraturus num verus ad ipsum rumor allatus esset. Comperit autem famam re ipsa inferiorem; mirificeque exhilaratus, majores animo vires concepit. Inter cæteros enim didicit ibi duos fuisse athletas fortissimos, eosdemque ejus loci Priores sive Præfectos, qui de Golia illustribus aucti victoriis, sempiternæ felicitatis amplissima præmia reportassent. Ex iis alter fuit Bernardus, cujus hortatu B. Bernardus abbas Clarævallensis exposuit Cantica Canticorum : quique post suum obitum in ea Cartusia sepultus, multis claruit miraculis. Alter vero non imparis meriti fuit S. Anthelmus, qui primo primariæ Cartusiæ Prior cum fuisset, inde factus est Portarum Cartusiæ Prior, postea vero Bellicensis episcopus : cujus vitæ sanctitatem multa et viventis et defuncti miracula testantur. Atque horum duorum præcipue animatus exemplis Stephanus, non difficilem sibi de antiquo hoste diabolo victoriam pollicetur.

Aperit igitur ejus loci Priori et Fratribus propositum suum : magna instantia orat ab ipsis recipi in monachum et servum omnium propter Deum. Illi vero propensis animis assentiuntur, et pacis osculo, ut habet ejus Instituti consuetudo, peramanter acceptum, hortantur, ut si quas habeat cum aliquo controversias, prius eas expediat, de rebus suis constituat et ordinet, certumque expromat diem, ad quem rursus adesse velit, et monasticum habitum induere. Sed cui ille quicquam deberet vel obnoxius esset, qui sine querelis semper vixerat ? Brevem igitur præfigit terminum, ut interim vestes et alia necessaria præparentur.

Deinde tempore illo evoluto, adest pugil fortissimus, cominus cum hoste teterrimo præliaturus ; statimque habitum monasticum induens, cum ingenti fervore id vitæ genus auspicatur : ita ut brevi ejus Instituti regularibus disciplinis et exercitiis instructus, de se ipso cunctis vivendi specimen præberet. Nam tametsi complures illic invenit miræ sanctitatis et pœnitentiæ viros : attamen brevi per multa sanctitatis opera se ipsum exhibuit Religionis exemplum, seque totum offerens Deo in holocaustum, studebat mundo emori, ut Christus in ipso viveret. Domabat corpus suum vigiliis, jejuniis, flagellis, et pro more Cartusiani Instituti, veste cilicina, potuque aquæ et pane arido. Nihil de monasticæ Vitæ austeritate omittebat, quam communis regula vel majorum exempla permitterent. Cum enim singulis hebdomadibus ex Canonis sui præscripto Cartusiani tribus diebus solo pane, aqua et sale victitent, ille præ cæteris Ordinis Instituta cum usura quadam exequi cupiens, pro

27 *b*

majori temporis parte ad mensam suam vix quicquam præter panem et aquam admisit. Et panis quidem ab una parte ponebatur, ab altera codex; dumque vicissim ab ea oculi distraherentur, utrique homini alimonia præbebatur. Aderat vero etiam scutella cum aqua, quæ potum et salsilaginem ministraret. Ejusmodi epulis servus Dei contentus, vix quicquam unquam præterea mensæ suæ inferebat.

Porro erga Venerabile Altaris Sacramentum tanta ei devotio et attentio inerat, ut totus lachrymis madens, cum ipso Christo ad Crucem affixus videretur. Sane omnis ejus vita, ingens quoddam miraculum fuit. Propriam voluntatem modis omnibus studuit proterere, otium animæ inimicum et exitiosum vitare, orationi, meditationi, contemplationi, sacrorum Psalmorum perscrutationi diu noctuque vacare, labori manuario et corporalibus exercitiis horis ab Ordine statutis incumbere; denique nullum omnino prætermittere tempus, quo non ut bonus agricola in Dominico agro laboraret. Inde vero in dies augebatur ejus amor et fervor erga Deum, opinioque sanctitatis ejus inter Fratres, et celebre nomen intus et foris, sed ita tamen, ut fama esset veritate et re ipsa minor. Omnes Stephanum Christi militem prædicabant, omnes laudibus efferebant, omnes de eo loquebantur, omnes eum suspiciebant et admirabantur.

Et ut de interiori ejus homine taceamus, cujus pulchritudinem, puritatem, constantiam et fortitudinem satis indicabant mores et vita : semper exteriorem hominem tanta modestia tamque decenter componebat, ut nihil prorsus in eo appareret, quod posset intuentium animos offendere. Quis vero nisi coram Deo et Angelis eum crederet conversari? Et ut dictis fidem conciliemus, unum e multis non admirandum duntaxat, sed etiam imitandum commemoremus : nam omnia ejus præclare et sancte gesta numerari vix queant. Orabat quandoque coram Crucifixi imagine, et contemplationi inhærebat : et ecce subito Angelus Domini in humana effigie, qua solet a sanctis hominibus conspici, astitit ei, operibus et studiis ejus delectatus. Testes ejus rei sunt, qui suis oculis videre, homines profecto valde religiosi et fide dignissimi, qui Deo disponente, ut testimonium perhiberent de homine, casu eo advenerant. Est autem verisimile, crebro illi ejusmodi obtigisse; sed celabat talia accurate, ne humanæ laudis aura subreperet.

Cum jam vero multis annis vixisset solitarius in cella, et hostem tartareum egregie debellasset, dignus et idoneus visus est, qui aliis regendis præficeretur. Nam defuncto et absoluto Cartusiæ illius Priore, ab omnibus, licet invitus et repugnans, electus est in Præfectum ejus cœnobii. Qua vero prudentia et strenuitate, quam sollicite et zelose atque ad monastici Canonis normam, il-

lam Dei Domum gubernarit, vitia extirpando, virtutes serendo, non facile quis possit explicare. Non enim verbis tantum sed etiam exemplis pugnando cum hoste importunissimo, non immerito dux populi Israelitici videbatur effectus. Haud secus enim ac propriam salutem, suorum in omnibus profectum et pacem sitiebat et procurabat. Ab ipsius doctrina et magisterio cunctis ejus loci habitatoribus perfectæ Religionis exempla promebantur, ita ut omnes inde sanas institutiones et piæ devotionis incrementa haurirent. Qua re factum est, ut repente, non solum per eam regionem, tam sancti Pastoris suavis odor spargeretur, sed ejus etiam limites excederet. Nec vero subditis duntaxat suis, sed et multis aliis prodesse conatus est. Adventantibus enim hospitibus, animarum salutem expetentibus, quorum erat ad illam Domum frequens concursus, cibum vitæ porrigebat : unde non pauci ejus monitis ad viam salutis reducti sunt.

Interim Deus volens lucernam tantam super candelabrum poni, ad altiora eum provehi curavit, ut luceret omnibus, qui erant in Ecclesia Dei. Accidit tum ut Ecclesia Diensis suo Pastore destitueretur, et Collegium ejus Ecclesiæ de successore tractaret. Erant varia Canonicorum vota, et nunc hunc, nunc illum, pro suo quisque judicio, statuunt eligendum. Quidam inter eos moderatiores, sed ii pauci, in magnum illum Cartusianum Stephanum sua suffragia conferunt, commendant mirifice ejus sanctitatem, prudentiam sive discretionem, affabilitatem, religionem. Quid multis ? Omnes illis assentiunt, omnes lætantur, etiam illi qui propensiores erant erga alios eligendos. Quem igitur ex omni æternitate Deus ad hoc munus elegerat, illum etiam homines eligunt tempore divinitus præstituto. Sed quod non ignorarent, sine multa vi eum ab eremo avelli non posse, ad Summum Pontificem pro obtinenda confirmatione properant : ipso interim in sua Cartusia latitante, et quid de ipso alii machinarentur, prorsus ignorante.

Ubi autem Romanus Pontifex audivit quem elegissent, impense lætatur ; ait eos tali Pastore beatos fore, atque ejus eligendi consilium a Deo manasse. Jam enim sanctitas vitæ ejus apud omnes erat pervulgata et ad ipsius quoque Pontificis aures pervenisse videtur. Mox igitur electio a Pontifice authoritate Apostolica confirmatur, et Stephano præcipitur atque mandatur, ut Ecclesiæ Diensis, cui, Domino disponente, esset destinatus, regimen nulla occasione suscipere cunctetur. Advolant cum iis mandatis Canonici Dienses, ostendunt Stephano Litteras Apostolicæ confirmationis ; eum totius Ecclesiæ Diensis nomine rogant, ut electioni assentiatur.

Ille perlectis Pontificis Litteris, et verbis Canonicorum auditis, sic eos compellat : « Miror viros sapientes in hominem idiotam et incultum eremi cultorem, rerum politicarum vel sæcu-

larium prorsus imperitum, tanti oneris sarcinam conjicere voluisse. Cessate, quæso, cessate : neque enim hac in re poteritis unquam voto potiri. » Illis e diverso instantibus, rogantibus ac postulantibus, ut suo assensu eos consolaretur, tandem verbis B. Hugonis, quondam monachi Cartusiani et Lincolniensis episcopi, sic eos fertur allocutus (is enim B. Hugo jam fere biennio ante decesserat e vita, multis miraculorum signis coruscans) : « Certum habetote, non esse in meo situm arbitrio, ut fiat id quod vultis. Novistis me esse monachum, et alterius voluntati subjectum, nempe Prioris Cartusiæ, cui ad mortem usque obediendi mihi incumbat necessitas. Tum vero ratio non admittit, ut Domus hujus cura abjecta, alteram Ecclesiam suscipiam gubernandam. »

Hoc illi responso accepto, cum viderent se nihil apud illum posse proficere, aliis Litteris Pontificis impetratis, quibus mandabatur Priori Cartusiæ, ut eum compelleret obedire, Cartusiam adeunt. Id ubi beatus Stephanus rescivit, cernens nullam sibi tanti oneris evadendi viam superesse, fugæ præsidium captat. Assidua enim contemplatione Deo inhærens, nullo modo ferre poterat a tantis animi deliciis se avocari. Postquam autem Litteræ Pontificis domino Jancelino Priori Cartusiæ sunt oblatæ, ille mox ut vir prudentissimus et magnæ virtutis, Pontificis mandatum exequi studuit. Quæsitus igitur Stephanus et repertus, a Priore Jancelino precibus et præcepto cogitur electioni consentire. Deductus vero a Canonicis illis cum multo honore et gaudio Viennam, illic a tribus Archiepiscopis solenniter est consecratus, anno Gratiæ 1208.

Redditus inde Sponsæ suæ Ecclesiæ Diensi, et cum multa celebritate et exultatione in Episcopi cathedra collocatus, monastica instituta, morum gravitatem, virtutis constantiam aliaque suæ Religionis exercitia non solum non emisit, sed etiam aliquid ad ea adjicere studuit. Solus autem Deus, qui ei præstitit, et ipse, qui accepit, compertum habent, quam ab eo tempore præventus sit in benedictionibus dulcedinis divinæ, quam sit gratia electionis repletus, quantum inebriatus ab ubertate domus Dei.

Ab ipso autem Episcopi ministerio suscepto, divinum Officium non in sacello suo, vel in loco secreto, sed in summa æde cum Canonicis suis devotissime persolvebat ; et quotidie fere salutarem Deo Hostiam offerens, multa devotione affectus, magnos lachrymarum imbres fundebat. Mirabantur omnes hominem contra humanæ consuetudinis usum, ex humili monasterio repente ad summa provectum, plus humilitate quam dignitate, plus religione quam dominatione crevisse. Ille vero nihil tale de se sentiens vel cogitans, ad cordis sui custodiam et melioris propositi constantiam tuendam, hoc semper apud se tacitus versabat : « Ste-

phane, Stephane, ad quid venisti? Vide et accurate perpende, quam sis de tam illustris Sponsæ conjunctione Deo rationem redditurus, si eo, quo par est, honore, studio, labore et diligentia illam non fueris amplexatus. » Et quemadmodum de Domino Salvatore legitur, quod cœperit facere et docere : a primo die illius desponsationis suæ, illa in se ipso agere curavit, quæ erat alios docturus.

Cum autem jam concionando, exhortando, visitando cœpisset exercere munus suum et totius populi cum multo zelo studere saluti, invenit gentem illam miseram, et execrabili consuetudine cæcam, non honorare diem Dominicum : imo vero contra Dei præceptum diabolo illum dedicare, quod illo solo die exercerentur nundinæ, tabernæ, choreæ, ludi, luxus et perniciosa spectacula. Quamobrem ad populum concionatus, blandis et mellitis verbis apertissimisque rationibus ostendit eis peccati illius enormitatem, divinæque Majestatis offensionem et contemptum. Sed gens belluina et cæca, non solum non admisit sermones ejus, sed etiam per contemptum eos audire recusavit.

Dolens autem servus Dei tam protervos illos ad corrigendos mores, ad ritus impios tam plane barbaros, tam erga Religionem Christianam insolentes, tam vita profanos, acrius insistendum existimavit. Itaque intelligens se non mercenarium esse sed Pastorem, constituit opportune importune prædicationi incumbere, si fortassis possent resipiscere a diaboli laqueis, a quo captivi tenebantur. At surdas illorum aures sermo divinus minime penetrabat.

Tum vero magno animi dolore concepto, Apostolicum virum referens, et sui Apostolatus signa evidenter ostendens, præcepit dæmonibus, qui ad ea, quæ diximus, facinora illos incitabant, et quorum voluntati parebant, ut sine ulla cujusquam læsione palam se eis visendos exhiberent. Mox parent illi dæmones, quem homines pervicaces audire nolebant. Videre tum licebat horrendum et terribile spectaculum, dæmones procera et immani statura, nigerrimos, cornutos, fœtorem et flammas spirantes, ad viri imperium apparere cunctis, rursumque recedere, nec quemquam lædere posse. Cœpit ergo obcæcata gens aperire oculos, vitam et mores corrigere. Sed quid mirum, si tam mira effecit vir mirabilis? imo vero non ipse, sed Deus in illo? Alioqui, *Tu es Deus,* inquit, *qui facis mirabilia.*

Ad Portarum Cartusiam, unde assumptus fuerat, pro spiritali recreatione crebro se conferebat, et instar aliorum degebat in cella solus, orationi et contemplationi attentissime vacans. Nihil ibi de Episcopi majestate præ se tulit, sed humilem monachum subjectione exhibuit. Vestibus et lectuli operimentis non aliis, quam cæteri, utebatur, cilicio semper nudum corpus atterente. Deni-

que solo Pontificis annulo excepto, ab aliorum consuetudine in nullo discrepabat. Sæpe etiam invisebat loca religiosa sibi familiaria, convocatisque Fratribus, mellifluis sermonibus eos exhortabatur et instituebat, ab eisque recedens, illorum precibus humiliter se commendabat.

Quam erga peccatores humanus, benignus et misericors fuerit, uno exemplo, cæteris prætermissis, satis sit declarasse. Quidam ex subditis ejus ægrotans, diabolo illum possidente, vultu, voce aliisque signis se desperare significans, et peccata sua confiteri renuens, a nemine voluit audire verbum Dei. Ubi id cognovit vir Dei, dolens miseri hominis vicem, ad eum accedit, hortatur ad faciendam Confessionem, Dei misericordiam et clementiam pollicetur ; sed diabolo tenacius pectus illud occupante, emollire eum non potest. Videns igitur aliis utendum armis, ad solitas preces cum lachrymis se convertit. Et ecce æger homo dæmone purgatus ad virum Dei se vertens, peccata sua integre confitetur, absolutionem impetrat, expetit Sacrosanctam Eucharistiam et Extremam Unctionem : et utraque percepta, mox spiritum exhalat. O olivam fructiferam in domo Dei ! O oleum jucunditatis, ungens et lucens ; quando et orationis vi expulit diabolum, et suavitate beneficii unxit infirmum, eique mox morituro salubriter confitendi et communicandi obtinuit facultatem !

Alium quemdam ægrotum, diuturno morbo oppressum, manus suæ contactu statim integræ restituit sanitati.

Orta quandoque immani grandinis tempestate, ita ut regio illa in præsens discrimen conjici videretur, signum Crucis contra illam edidit : et confestim reddita est tranquillitas.

Quædam mulier diœcesis ejus ob sua, ut videtur, maleficia a diabolo præfocata, subito expiravit. Ejus rei pervenit rumor ad virum Dei, qui tum non longe inde aberat. Is miseratus casum tam acerbum infaustæ mulieris, venit ad locum, ubi jacebat exanimis. Assistunt multi, narrant repentinum fœminæ interitum, condolent omnes, petunt ab illo suffragium. Ille vero summa pietate commotus, magnam fundit lachrymarum vim, orat pro ea Dominum, implorat ejus misericordiam. Postea illa velut e gravi somno evigilans surgit : narrat Christi erga se misericordiam ob merita viri Dei, sibique restituta, exiliens et exultans, laudat Deum. Id populus conspicatus, stupore et extasi repletur.

Nec minor ejus fuit erga vivos quam defunctos misericordia. Quis enim in inopes, miseros, afflictos, calamitosos homines tam benignum se exhibuit ? Exemplo sancti Job, foris non mansit peregrinus ; ostium ejus cum liberali manu patuit indigentibus. Præter victum enim moderatum, quo ipse cum suis sustentabatur, omnia in pauperes erogabat. Eodem tempore, quo excessit e vita, pacem populo suo conciliavit a

quibusdam ejus adversariis, qui multis modis eum affligebant.

Imminente autem vitæ hujus termino, quo Dominus eum a labore ad requiem perducturus erat, in morbum incidit, et extrema gaudii Diensis Ecclesiæ luctus occupavit. Videres tum Ecclesiæ suæ filios cursitantes cum multis et Religiosis et popularibus, humanitatis studio ei sua officia exhibentes, sui quisque profectus gratiam promereri cupientes, circa frequens ministerium sollicitos, pharmaca comparantes et fomenta; sed servo Dei nihil horum curæ erat : quippe qui sciret adesse migrationis tempus. Urgentibus autem Ecclesiæ suæ filiis, ut testamentum faceret, « Non est, inquit, necesse, cum omnia sint Sponsæ meæ, quam gubernandam suscepi. » Benedictionem et consilium petentibus non negabat; de mutua charitate et concordia omnes pariter admonebat. Porro quædam ægrota mulier, quæ nulla medicorum arte poterat curari, ut audivit virum Dei decumbere, pro recuperanda salute, ejus benedictionem summopere expetiit. Tandem ad illum intromissa benedicitur, et sana recedit. Ita vir ille sanctus, cujus memoria in benedictione est, dum corporis adversa valetudine contabescit, aliis sanitatem impetrat.

Videns autem adesse supremum vitæ diem, confitetur peccata sua, petit Ecclesiastica sibi porrigi Sacramenta ; cunctisque rite atque ordine confectis, inter verba orationis migrat ad Dominum, Septembris die septimo, anno Salutis millesimo ducentesimo tertio decimo, ætatis suæ quinquagesimo octavo, Episcopatus sexto. Conditus est in ecclesia Beatissimæ Mariæ Sponsæ suæ, quemadmodum ipse jusserat, regnante D. N. Jesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu Sancto eadem laus, honor, virtus et potestas in infinita sæcula. Amen.

Postquam autem ex hujus vitæ tenebris ad illam lucem profectus est sempiternam, Dominus multis miraculorum signis illum voluit illustrare. Postridie enim ejus diei, quo sanctissimum ejus corpus humatum est, cum Beatissimæ Virginis Nativitas in ea ecclesia solenniter celebraretur, filia Lamberti hominis Diensis, quæ ad tres menses luminibus fuerat orbata, ad sepulchrum ejus adducta, mox visum recepit. Eodem die filia Martini cujusdam, quæ diuturnis vexata febribus, unius lateris sanitatem amiserat, ab amicis ad idem apportata sepulchrum, post fusas preces a febribus liberata est, et lateris obtinuit pristinas vires; recessitque pedibus suis gaudens, quæ paulo ante aliorum manibus cum dolore apportata fuerat.

Hactenus Surius, qui Vitam hanc testatur primo rythmice scriptam, redditamque prosa. Errore insigni Stephanum refert mortuum fuisse anno 1213; nam ex mox subjungenda epistola constat obiisse anno 1208. Cum enim juxta Vitæ illius Authorem assumptus fuerit

ad Episcopatum biennio post mortem S. Hugonis episcopi Lincolniensis fatis functi anno 1200, et per sexennium tantummodo præfuerit, recte colligitur Stephanum decessisse anno 1208.

Cum autem divinis signis post mortem B. Stephanus coruscaret, Joannes de Burnino archiepiscopus Viennensis, et Suffraganei ejus, ad Gregorium IX Pontificem pro illius canonizatione scripserunt epistolam, cujus tenor talis est :

Sanctissimo Patri ac Domino Gregorio, Dei gratia Summo Pontifici, J. Viennensis Ecclesiæ minister humilis, G. Valentinæ Ecclesiæ Procurator, B. Diensis, G. Gratianopolitanus, B. Vivariensis, Gebennensis, A. Mauritanensis episcopi, Viennensis Ecclesiæ Suffraganei, cum omni reverentia, ad pedum oscula beatorum. Quas gratias et quas laudes referamus Domino nostro Jesu Christo, Deo vivo et vero, humani defectus et nostræ mortalitatis ignorat imbecillitas. Qui cum sit mirificus in Servis suis, mira mirifice non desinit misericorditer operari. Quanta quidem et quam præclara meritorum apud Deum et homines, et præclarus enituerit prærogativa, quot et quantis virtutum coruscaverit radiis, venerabilis in Christo frater noster bonæ memoriæ Stephanus quondam Diensis episcopus, et miraculorum, quæ per ipsum tam in vita ejus, quam post ipsius transitum operatus est Dominus in suis fidelibus, et inpræsentiarum operatur, et declarat evidentia. Frequens etiam et copiosa diversarum nationum multitudo, propter morborum molestias et diversorum infortuniorum pressuras ad dicti Episcopi tumulum catervatim confluens, dicti Viri meritis pulsis languoribus, sanitatis gavisa remediis, aliis etiam infortuniis propulsis, et hoc idem longe lateque tam verbis quam factorum evidentia et publice protestatur.

Verum quia nemo, quantacumque meritorum prærogativa polleat, ab Ecclesia Dei pro Sancto habendus aut venerandus est, nisi prius per Sedem Apostolicam ejus sanctitas approbetur ; miraculorum, quibus apud fideles Viri dicti sanctitas manifeste innotuit, apud pedes Sanctitatis vestræ tenorem transmittimus, ut, inspecta ipsorum continentia, sublimitatis vestræ, P. Sanctissime, circumspecta decernat providentia, utrum dictus Episcopus a Sancta Dei Ecclesia pro Sancto haberi et venerari, et in Sanctorum debeat Catalogo imputari. Illud etiam Sanctitatem vestram latere nolumus, quod quicumque aliquibus pressi languoribus, vel gravati aliquorum infortuniorum instantia, se asseruerint sospitatem et liberationem dicti Viri meritis consecutos, non prius fides adhibita est a Diensi Ecclesia, nisi prius assereretur, præstito super sancta Dei Evangelia corporaliter sacramento, adjunctis etiam sibi sociis in sacramento, si forte socios habebat aliquos, se et morborum vel aliorum infortuniorum sustinuisse gravamina, et nomine dicti

Episcopi Stephani precibus fusis ad Dominum, sospitatem et subsidia, pro quibus supplicaverat, impetrasse.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octavo, octavo Idus Septembris, Stephanus Cartusiensis monachus, et Prior Portarum Cartusiensis Ordinis, et Divina gratia Diensis episcopus, transiens ab hoc sæculo migravit ad Dominum; cujus vitam pretiosam atque sanctam constat fuisse miraculorum testimonio declaratum, quæ Divina clementia, in honorem Sanctæ et Individuæ Trinitatis et gloriosissimæ Mariæ Virginis ac totius Curiæ cœlestis, per eum dignata est operari. Quorum principium post vitæ suæ transitum Deo annuente disserimus.

De filia hominis Diensis cæca. — Die itaque præsenti, qua dictus Stephanus sepultus fuerat, in qua celebratur Dei Genitricis Nativitas, filia cujusdam hominis Diensis de burgo S. Marcelli, Lamberti nomine, quæ per tres menses cæca extiterat, delata ad sepulchrum ejusdem Stephani, atque ibidem commorans, lumen oculorum Divina meruit recipere miseratione.

De filia febricitante sanata. — Altera autem die, cum filia alterius civis Diensis, Martini nomine, portaretur ad locum, ubi jacebat dicti Stephani corpus, quæ diu febrili calore languens consumpta fuerat, et ab universali paralysi detenta, sui penitus valetudinem corporis amiserat, ut merita hujus Viri plenius panderentur Christi fidelibus, dictæ ægrotanti omnipotentis Dei misericordia cum usu gradiendi sanitatem omnimodam restauravit.

De armigero resuscitato. — Postea armiger quidam, Bertrandus nomine, de Vapinco, qui, causa insultus faciendi ad Vapinci civitatem, cum exercitu domini sui iter arripuerat, cum in itineratione perseveraret, nocte quadam ab equo domini sui in pectore percussus extremis pedibus, corruit interemptus. Quod factum postquam concitavit exercitum, tandem venit ad aures domini, qui mœrore plenus et compatiens defuncto pro infortunio, ad eum accessit cum multa turba militum, e quibus unus signa et miracula reduxit eis in memoriam, quibus volebat Dei administratio merita dicti Stephani non occultari. Tunc illis ingenti devotione et prece supplici genibus flexis, invocantibus ejusdem Episcopi misericordiam, homo, qui passus fuerat mortem, erexit oculos, dixit ad milites circumstantes : « Gratias ago Deo et B. Stephano Diensi episcopo, qui misertus est mihi misero, et obviavit in statu pulcherrimo, eripiens animam meam a manibus dæmonum, dum ad pœnam æternam eam trahebant, quam vidi paratam meo cruciatui, cujus dum recordor, totis mentis viribus incido et corpore contremisco. »

De captivo liberato. — Venit autem postea, quod quidam vir de Brione captus apud Montemclarum, infra turrim tenebatur subtus tinam magno acervo

lapidum oneratam. Hic vero de sua liberatione solerter cogitans, facta caverna fodiendo cum unguibus, inter humum et tinæ summitatem se supposuit, et ab utroque constrictus gravissime magna mole lapidum, intus redire vel foras exire nullo modo potuit. Tunc contristatus, eorum, qui in captione detinebant, vesaniam timens, ne ab ipsis taliter inveniretur, toto cordis affectu, cum lachrymarum copia dicti Præsulis misericordiam exoravit : cujus interventu evasit periculum, quia penitus inde libere se subtraxit. Et accedens ad portam turris eam invenit obseratam cum duobus repagulis; quæ dum retro pelleret, exaudivit sonitum speculator supra turrim evigilans, et captum liberari, voce magna excitando viros, qui manebant in illo oppido, reclamavit. Ille vero prædictam portam transiens, duas alias reperit clausas firmiter catenis ferreis, quas nodis ferreis expeditas aperuit facillime, gloriosi Pontificis prævia protectione. His itaque peractis, passu velocissimo properavit ad sepulchrum ejusdem Pontificis, et cum ibi reperto populo laudes retulit multimodas Salvatori et Liberatori suo.

De Canonico Valentinensi sanato. — Inter cætera istud excellentissimum præterire nolumus, quod quidam sacerdos et Canonicus Valentinensis Ecclesiæ multo tempore languens jacuerat, quasi de salute sua desperans penitus, quia sibi per foramen rupturæ intestinorum massa exibat non modica; necnon altera ægritudine, quæ morbus *masclæ* dicitur vulgariter, nimis graviter laborabat. Interim cum quidam vir bonæ opinionis eum visitaret, et de dictis ægritudinibus loquerentur ad invicem, ægrotanti notificavit prædicti Stephani miracula, quibus Dei bonitas, unicuique reddens juxta opera sua, volebat suum dignum Præsulem exaltari. Ipse vero languidus sperans affectum suum ad effectum duci posse precibus ejusdem Stephani, diu noctuque, vigilando et dormiendo videlicet, ut ejusdem habemus testimonia, affectuosa prece et lachrymis ejusdem Præsulis clementiam supplicabat. Quadam autem nocte apparuit ei præfatus Stephanus; et dum interrogaret eum, quid sibi vellet fieri, sanitatem sibi dari petiit : qui, a somno excitatus, ab utroque morbo nominato superius se sentiit liberatum. Adhuc autem stupefactus nimis præ gaudio, revelavit illis, qui illius assistebant servitio, quæ sibi contigerant : qui admoto lumine rei veritatem, prout ipse dixerat, repererunt.

De muliere cæca illuminata. — Erat vero quædam mulier apud castrum de Augusta, nomine Eschengar, cui oculus lippidine penitus consumptus fuerat, et ex altero fuerat eadem ægritudine cæca facta. Hæc quidem audiens virtutum testimonia, quas Dominus per præfatum Stephanum faciebat, ad ejus sepulchrum se fecit duci ductoris auxilio; ubi visum recepit in ægrotanti oculo, ita quod

absque ductoris sui beneficio rediit in domum suam.

De muliere clauda. — Postea quædam mulier de Vacino, Ruffa nomine, quæ per [spatium] trium annorum, trium mensium et quindecim dierum gressum perdiderat, ut audivit miracula, quæ in honore ejusdem Præsulis Stephani operabatur Divina pietas, mente devotissima ejusdem Viri imploravit auxilium, atque continuo sanitate reddita membris in omnibus, sepulchrum ejusdem propriis pedibus visitavit.

De filia fistulata curata. — Filia etiam jam dictæ mulieris filii, cui vertex capitis vitiatus fuerat multis fistulæ foraminibus; ut eam pater et mater voverunt Stephano prædicto, statim cœpit curari a sanie fistulæ; nec in ea infra quatuor dierum spatium nisi cicatrix potuit apparere.

De muliere a morbo caduco curata. — Quædam vero mulier de villa Mencii, quæ caduco morbo affligebatur gravissime, audiens famam miraculorum ejusdem Stephani, Dei clementiam, et illius Pontificis toto mentis affectu opem invocavit devotissime, et ab illo morbo horribili se sentivit deinceps liberatam.

De muliere clauda. — Item alia mulier de castro d'Aix, sexaginta vel plurium annorum, audiens dictum Stephanum tantis insigniri miraculis, ad ejus sepulchrum deferri voluit, ubi immensa Dei bonitate gressum, quem perdiderat, recuperavit.

De puero claudo. — Quidam etiam puer de eodem castro per duos annos non usus pedum beneficio, quam cito ab amicis suis præsentatus fuit præfati Stephani tumulo, gressus ei redditus est, Dei misericordia operante.

De muliere menstruosa. — Cumque audisset quædam mulier de Dia, quæ G. vocabatur, gloriam ejusdem Stephani tantis coruscare miraculis, perveniens ad ejus sepulchrum, oratione quantumcumque potuit supplicavit, ut a fluxu menstruo, quo non modice fuerat fatigata per quatuor menses, diebus quatuor exceptis, eam liberaret. Illa vero in oratione perseverante, ut ampliaretur honor dicti Stephani, sic operari dignata est potentia divini Numinis, sicut dicta pervulgavit mulier, quod ibi sanitatis receperit beneficium.

De muliere Vorapii sanata. — Item alia mulier de castro quod dicitur Vorapium, cui junctura dextri brachii sejuncta fuerat per quinquennium, dum moraretur subter sepulchrum Episcopi Venerabilis, consecuta est, conjuncta compagine, sospitatem.

De quodam cive Diensi sanato. — Accidit autem quod quemdam civem Diensem, P. nomine, punxit spina in genu; cui tam femur quam tibia ac pes adeo tumuerunt, quod gressus officium omnino perdidit, nec ullo modo trahere potuit ad se pedem. Hic vero medicinæ beneficio de salute sua desperans penitus, voto promisso imploravit summo mentis affectu pietatem ejusdem Episco-

pi, et eum Dei miseratio, sublimando merita sui Servi, recuperare concessit denuo sanitatem.

De muliere Romearii sanata. — Postmodum vero diebus paucis prætereuntibus, mulier quædam de Valle Romearii, quæ in tantum afflicta fuerat emprotortono, quod nullatenus dextrorsum, sinistrorsum, nec ad cœlum poterat respicere, pervenit ad sepulchrum Venerabilis Stephani, atque et inquantum potuit gratiarum actiones obtulit, quia cervicis liberationem, eo interveniente, se cognovit a Deo recepisse.

De muliere Barrii cæca. — Alia autem fœmina de castro quod Barri appellatur, perducta ad sepulchrum ejusdem Stephani, quæ diu oculorum permansit orbata lumine, recessit gratulans et Deo grates peragens, qui in honore dicti Stephani Episcopi sibi de lumine perdito dignatus est providere.

De homine de Chayssilhana sanato. — Procedenti vero tempore, vir quidam de Chayssilhana, nomine Juvenis, allatus ad sanctam Dei Genitricis ecclesiam, ubi requiescit corpus ejusdem Stephani Episcopi, quamvis tanta fuerit occupatus ægritudine, quod de salute ejus sui penitus desperarent, et ipsum crederent extremum anhelitum respirare : cum ipse in tanto periculo vitæ suæ positus ab amicis suis invitaretur, ut panem, quem dictus Stephanus benedixerat, ad salutem animæ suæ reciperet; accepta loquela quam perdiderat, panem illum benedictum præberi sibi petiit, asserens circumstantibus, quod in prædicto mortis articulo, mente saltem qua poterat, præfato Stephano se oblaturum ceream imaginem promiserat, et quod ex illa hora cœperat convalescere, meritis ejusdem Stephani intercedentibus.

De filia Bellimontis sanata. — Contigit autem ut filia cujusdam hominis de Bellomonte ad sepulchrum venit prædicti Pontificis; cui moram ibidem facienti aliquantulam, beneficium dextri brachii, quo a nativitate sua impotens extiterat, concessit ineffabilis Dei misericordia, volens decus et gloriam sui Antistitis sublimari.

De muliere Cristæ surda. — Erat siquidem mulier quædam apud Cristæ oppidum surda existens per septennium. Deducta ab amicis suis ad sepulchrum prædictum, dum ibi ingemiscens et lachrymans supplicaret Reverendissimo Episcopo, sibi Divinæ opitulationis gratia auditum aurium patefecit.

De filio resuscitato. — Quadam autem die accidit, quod quidam homo de Versorsio, Guesonis nomine, defuncto patre suo perrexit cum uxore sua ad sepulturæ patris sui obsequium, filium suum domi jacentem in lectulo sanum et incolumem relinquentes; et cum redirent cum propinquis suis plurimis, semianimem invenerunt, non cognoscentes in eo aliquod vitæ signum. Mater vero mœstissima lugens et dolens inconsolabiliter de morte filii sui, summa devotione invocavit misericordiam præ-

nominati Stephani, proferendo verba hujusmodi cum profundo gemitu et imbre maximo lachrymarum : « Domine beate Stephane, in cujus nomine tot et tanta miracula nuper audivi fieri, tuam sanctam et gloriosam benignitatem deprecor per gloriam, quam adeptus es cœlestis patriæ, ut succurrere digneris mihi miseræ, quatenus intercessione tua virtus Domini nostri Jesu Christi, tua dilatando miracula, filium meum mortuum vitæ reddat. » His dictis spiritus in corpore est reversus.

De alio filio resuscitato. — Quædam autem mulier de castro quod Rimont nuncupatur, die quadam ierat spatiatum, et reversa suum filium, converso lectulo, reperit suffocatum; introductis in domum suam aliquibus de vicinis, quod sibi acciderat indicavit. Recordata de virtute venerabilis Episcopi Stephani, quamvis dolore ac timore foret turbata et anxia, ejus auxilium imploravit; et dispositione Divina puer, qui suffocatus fuerat, cœpit flere et deinceps melius habere.

De filio qui ruit de arbore. — Præterea filius Pontii Ferrandi de Podio grosso arborem quamdam altissimam ascenderat, qui ruens in terram cecidit, et per quatuor dies et quatuor noctes loqui non potuit, cibum non accepit, oculos non aperuit; unde ejus amici de vita ipsius desperantes. Mater ipsius spem habens in misericordia prædicti Stephani, cujus miraculorum famam audierat, votum promisit pro filio, et corde contrito atque lachrymarum abundantia imploravit eam, et continuo patiens aperuit oculos, et cibum petiit; cui Dei virtute, intercedente servo suo Stephano, plenæ sanitatis gratia demum concessa fuit.

De alio ejusdem loci.—Quidam etiam homo Gerardus Theodictus, manuum suarum effectus impotens, ejusdem Episcopi favore humiliter deposcito, sanitatis beneficium accepit.

De muliere cæca. — Cumque rumor tantorum miraculorum multas propulsaret provincias, mulier quædam de Alexandria Italiæ civitate, ductoris administratione movit se ab hospitio, peregrinando ad sepulchrum præfati Antistitis proficiscens, quæ per triennium, duos menses et tres hebdomadas luce oculorum orbata extiterat; etiam manu retorta dextri brachii impotens, quod sibi, culpa propria exigente, credimus evenisse : nam cum nocte Vigiliæ Assumptionis Dei Genitricis vestes cujusdam furaretur, qui die crastina miles de novo debebat fieri, cum duabus sociabus, passa est primitus pœnam superius memoratam. Completo vero unius diei itinere, piissimus ac mitissimus Dominus, ut credendum est, precibus fuit placatus Antistitis sui, quia mulieri restituta est oculorum acies et brachii valetudo.

De filia resuscitata. — Postmodum vero evenit apud oppidum de Gressa, quod mulier quædam filiam suam jacentem in cunabulo domi sospitem reli-

querat, et rediens cucurrit ad ipsam, ut ab ea risus assumeret et gaudia; quam tangens manibus frigidam reperit, cognoscens filiam propter maleficium intorsionis faciei circa collum involutæ animam exhalasse : quare prorumpens in lachrymas, vestes scindens, atque capillos distrahens, Dei misericordiam et supradicti Episcopi Stephani imploravit intercessionem, et subito Dei beneplacito vivificatum est corpus parvulæ superius memoratæ.

De muliere impotente. — Fuit altera mulier apud castrum Montis Veneris, quæ cum per septennium extitisset, ut nullam partem sui corporis posset regere a pectore inferius, repetito ab ipsa ejusdem Præsulis adjutorio, oratione devota et supplici sanitatem consecuta est.

De Priore S. Joannis gutoso. — Non multo intervallo prætereunte temporis, Prior S. Joannis de Royans, Gontardus appellatus, qui per annum et tres menses gutta constrictus, usu gressus perdito, allatus est ad tumulum Reverendi Episcopi, juxta quem cum cura ministrorum studuit collocari : ubi in oratione devote vigilans et preces summo Creatori atque suo Confessori proferens assidue, Divina pietas secum egit misericorditer, et pedum officium sibi restituit, et opem contulit sanitatis.

De sacerdote de rupe lapso. — Sacerdos autem erat in Triviarum partibus, habitator castri quod nuncupatur Avignonet, qui rupe lapsus altissima, læsa compage nervorum et femoris, per annum amiserat gressus usum. Cum audisset ad tumulum jam dicti Episcopi multos sanari languidos, de conferenda sibi sanitate sperans, ad eum jumenti vehiculo festinavit, ubi in oratione suppliciter pernoctavit. Die vero crastina veniente, peracto suæ peregrinationis officio, cum domum suam redire præparasset et ab urbe recessisset, itinere unius milliarii, femoris sui nervos coarctatos laxari atque sanari sentiens, descendens per se tantummodo (qui prius non poterat) a jumento supra quod sedebat, sociis qui aderant, quæ sibi devenerant demonstravit ; et festino vestigio laudes offerens quas poterat liberatori suo Stephano, pede ejus tumulum visitavit.

De homine Cristæ impotente. — Alteri etiam homini, dicto Humberto Sauverio de Crista, allato ad sepulchrum Reverendi Episcopi, qui valetudinem et regimen perdiderat sinistri brachii et pedis, Deo illustrante favorem sui Episcopi, gratia præstita est sanitatis.

De duobus viris captis. — Diebus autem interim non multis succedentibus, venerunt duo viri, quorum unus civis Diensis, et alter erat habitator in partibus Triviarum, compedes, in quibus capti steterant, præfato Episcopo Stephano suæ liberationis titulum offerentes; affirmantes, quod miseratione ejus catena ferrea ab eis fracta, quam secum deferebant, ab illo oppido in quo capti fuerant, hora diei quasi media exive-

rant, et sic crudelitatem evaserant tyrannorum.

De homine de Tribusclivis sanato. — Inter hæc vir quidam de castro quod appellatur Trescleux, peregrinus venit ad tumulum jam dicti Episcopi, qui viginti annorum spatio gressu frui non poterat, nisi sustentando artus baculi adminiculo, cui Creator omnium revelans suum Præsulem dignissimum, reddidit ipsa hora, qua venit, antiquam gradiendi potentiam.

De parvo caducato. — Quodam autem oppido sito in deserto, vocato Montanegre, infans, qui quartum mensem ætatis suæ implere poterat, morbo caduco singulis diebus affligebatur pluries tam miserabiliter, ut ad fletum omnes moveret, quia prædicti morbi cruciatu nigrefactus huc et illuc torquere cogebatur membra trementia, et os ejus multa spumæ abundantia profluebat. Mater vero dolore incomparabili mota super filio, puro corde, magno lachrymarum impetu, miserationem supradicti Episcopi flagitavit, et deinceps recepit incolumem filium suum.

De homine squinantiam patiente.—Accrescente vero copia virtutum ejusdem Stephani, cuidam viro de Montanis loco dicto Autrans, guttur et lingua tumuerunt adeo, ut oris concavitas linguam præ tumore nimio non posset recipere per dies quatuor, et ad mittendum oris anhelitum vix posset sufficere, nec æger ipse cibum recipere, sive potum. Tunc assistentes amici profusis lachrymis suffragium poposcerunt voce magna Reverendi Episcopi, ad quam vocem annuere nutu, quo poterat, videbatur. Voto vero pro ægroto a prædictis facto eidem Episcopo, statim a tanta ægritudinis occupatione æger est Dei misericordia liberatus.

De homine maniaco. — Post hæc autem adductus est ad sepulchrum ejusdem Episcopi homo quidam de civitate Viennæ, passione maniaca laborans, manibus propter nimietatem insaniæ ferreis manipulis involutis. Inæstimabilis vero Providentia tanto signo revelari voluit sanctitatem sui digni Præsulis, quod ab insania hominem illum liberavit, qui in honore libertatis suæ quantascumque laudes potuit obtulit et catenam.

De homine ictu lapidis interfecto. — Consequenter accidit, ut miles quidam de Monte Lugduno, Bernardus nomine, cum pluribus perrexit ad bellandum quoddam Novi castri ædificium. Quod cum multo bello affligerent, quidam ex eis, Durandus nomine, ictu lapidis adveniente in parte postrema capitis, cecidit interfectus. Hunc tollentes socii qui aderant, credentes ipsum emisisse spiritum, quia signa mortis apparebant in membris ejus omnibus, sudarium et locum, ubi corpus reconderetur, paraverunt. Interim vero miles jam dictus, cujus mandato illuc advenerat, præcepit ut perspicerent, si in eo aliquod signum reperiretur, et nullum nisi caloris aliquantulum perpenderunt. Cujus

infortunii ad aures uxoris defuncti fama perveniente, lugubris et anxia illuc properavit passu velocissimo, et dum invocaret voce magna opem Venerabilis Episcopi Stephani, viso corpore semianimi, protinus ipse oculos aperuit, et mente sola spem vitæ suæ ponens in miseratione tanti Præsulis, qua ereptus est a morte, ad ejus sepulchrum sudarium, funeri suo ante præparatum, appendit.

De viro tumore capitis oppresso. — Pervenit autem postea vir quidam de Trescleux ad tumulum dicti Episcopi, qui propter nimium tumorem capitis per dies quinque in extremis laborare credebatur, spe sanitatis penitus amissa, quia cibi vel potus, seu alterius cujuslibet beneficium nullatenus capiebat. Mater vero ipsius flebilis atque mœstissima magnitudinem pietatis prædicti Stephani pro salute sui nati poposcit affectuosis precibus, et subito evanescente tumore capitis, ægrotanti sanitas est concessa.

De homine cæco. — Audiens quidam homo de Moyerant, tot languidos sanari intercessione præfati Stephani, ad ejus sepulchrum ductoris venit auxilio, ubi ipsi Dei clementia voluit lumen amissum restitui oculorum.

De puella sanata. — Evenit quidem apud villam de Romanis, quod quædam puella, quæ per septennium gressum perdiderat, implorato ab ipsa et a suis parentibus præfati Antistitis auxilio, pedum beneficium est adepta.

De muliere muta. — Iterum dum vigeret tot ac tantorum fama miraculorum Venerabilis Stephani in pluribus orbis partibus, et turba plurima peregrinantium ad ejus sepulchrum visitandum accederet, mulier de castro quod dicitur Moubluens, in archiepiscopatu Lugdunensi, quæ per annum muta extiterat, peregrina venit; et dum pietati illius ingemisceret, divina Providentia merita sui Præsulis nolens latere sub modio, sed elucere supra candelabrum, lingua patientis dissoluta pristinum ipsius usum reparavit.

De muliere chiragra. — Venit etiam mulier ab oppido de Cremieu, quæ chiragram diu patiebatur manibus, ita quod non posset aliquid agere, ad sepulchrum prænominati Episcopi properans, ibidem ejus meritis plenariam consecuta est sanitatem.

De puero sanato. — Quidam puer de Bagnols, qui a matris utero per septem annos laboraverat, cum pater suus multo gemitu et lachrymis opem Episcopi antedicti postulasset, desperans de medicorum remediis, sequenti die perfecte a summo medicorum Medico est sanatus.

De duobus resuscitatis. — Venerunt etiam duo viri, unus de Liuron, et alter du Buis uno die sua deferentes sudaria, qui se vita privatos fuisse penitus asserebant : cum autem uxores eorum et amici multis lachrymarum imbribus ejusdem Stephani postularent auxilium, vitam et sanitatem pari-

ter receperunt. Istis autem præstabat super his testimonium multitudo maxima sociorum.

De nepte ipsius Episcopi Stephani. — Quædam nobilis neptis dicti Stephani Episcopi, audiens sui avunculi miraculorum insignia, ad ejus tumbam veniens, multas fudit lachrymas atque preces, ut Divina pietas sibi præsenti tantorum miraculorum ostenderet aliquod. Accidit ut juvenis quidam de Argenteria, qui per tres annos omnium fere membrorum destitutus fuerat officio, sedens super asinum ad januam venit Diensis ecclesiæ; ibique submissus a sociis de asino, dum adhuc dicta nobilis perseverabat in orationibus, confidens ipse, qui antea se sustentare sine sociorum manibus non poterat, ad sepulchrum Pontificis absque omni sustentaculo, solo Divino fultus auxilio, mirifice properavit; et inde lætus et incolumis gratias agens Domino ad propria pedes rediit.

De homine insano. — Quidam homo du Buis, gravi raptus insania, a fratre vinctus ad sepulchrum ejusdem Episcopi adductus est; ubi per hebdomadam moram faciens ad honorem ipsius Stephani, Divino munere sanus et alacer ad propria remeavit.

De alio insano. — Alius de eodem loco, cum diu teneretur binis junctus compedibus, invocato Dei Genitricis et ipsius Stephani auxilio, liber ad sepulchrum compedes attulit, grates multimodas referendo.

De puero resuscitato. — Puer de oppido quod dicitur Mirabel, in diœcesi Vasionensi, cecidit in alveum, unde extractus rigidus et a videntibus mortuus æstimatus, ad honorem Venerabilis Stephani Episcopi, cujus sanctitas et beneficium pariter invocabatur humiliter et devote, Divina pietate patri sanus reducitur : quem pater de eo laudes proferens, ad sepulchrum sui Præsulis præsentavit.

De milite cæso. — Quidam miles de Vaubouneys, dum rusticum quemdam pro retento censu pignoraret, et suum bovem duceret, rusticus ipse ventrem et dorsum militis lancea perforavit; nec iis contentus ad mortem cum cultello eum vulneravit : quem uxor ejus et amici æstimantes mortuum, invocato Stephani Episcopi auxilio, sanum perpaululum receperunt.

De paralytico. — Quidam homo de Cisteron totius lateris dextri motum amiserat per dimidii anni spatium et loquelam pariter et auditum paralysi percussus. Cum ejus uxor præclara miracula dicti Stephani audiisset, et virum suum ipsius sepulchrum visitaturum cum multis lachrymis promisisset, ipso die auditum recepit ac loquelam, et post paucos dies a summo Medico curatus sepulchrum Præsulis visitavit.

De pedibus non incedente. — Alius de oppido quod dicitur Mirabellum, Vivariensis diœcesis, per sex annos et dimidium destitutus tibiarum beneficio, per septem dies effundens preces et lachry-

mas ante sepulchrum præfati Pontificis, Divini doni munere sanus effectus, erectis tibiis, quas per dictum tempus post se traxerat, relictis crossulis ad propria reversus est.

De capto a latronibus. — Cum quidam pastor ovium de oppido quod dicitur Monclar, ibi suas et alienas custodiret oviculas, a latronibus captus est; et per plurimum tempus constrictus instrumentis ligneis, quæ sepes vocantur, in quodam oppido Valentinensi, et ibi diutius maceratus, prædicti Pontificis meritis relaxatis sepibus, cum gratiarum actione ad sepulchrum ipsius se ipsum cum cerea imagine cereumque lumen tenens in manibus præsentavit.

De puero resuscitato. — Puer de oppido quod dicitur Sauset, cecidit in alveum, et aquarum impetu ductus longissime, inter fruteta mortuus inventus est; cujus parentes cum multis lachrymarum imbribus Reverendi Episcopi postularent auxilium, ipsum puerum post pauca sanum et incolumem receperunt.

De captivo liberato. — Cum quidam de Asperis a raptoribus captus, apud Poyols teneretur sub tina maxima, quam dicti prædones magno lapidum acervo accumulaverant, invocato Domino et dicti Stephani auxilio, ad sepulchrum ejus gloriam et laudem referens, prædictam tinam ab ipso Stephano elevatam asserebat.

De Subdiacono paralytico.— Quidam Subdiaconus de Turnone ad tantum per annum et dimidium morbo paralytico laboraverat, ut dextro latere omnino erat destitutus membrorum officio, nec ulla ei proficere potuerat medicina. Cum autem oratione et gemitu per merita ejusdem Stephani Episcopi Divinum postulasset auxilium, quasi incontinenti se alleviari sentiens, non post multum temporis se ab omnium Medico curatum agnovit.

De duobus captis a latronibus. — Duo homines du Genevray ad sepulchrum Pontificis venientes, inciderunt in manus latronum, qui ipsos capientes adduxerunt in oppidum vocatum Bruchet, et ibi torti diutius multas fundebant preces ad Dominum, ut prædicti Pontificis meritis, ad quem iter direxerant, ab atroce manu hostium eos liberaret. Divina vero pietas solvit eos a vinculis, et ubi nunquam via antiquitus patuit, per rupem arduam eis bonam viam præstitit atque securam.

De muliere resuscitata. — Homo quidam de Monte Majori uxorem habens gravissima afflictam infirmitate, quæ, ut vir ejus juravit postmodum in Diensi ecclesia, spiritum exhalavit. Ad preces vero et lachrymas dicti viri Divina respiciens misericordia, jam dicti Stephani meritis, vitam ei reddidit et sanitatem.

De Clerico Diensi sanato. — Albertus clericus Diensis infirmitate gravissima a multo languebat tempore. Ad sepulchrum Pontificis accedens profusis large lachrymis preces obtulit, ut aut ab

hoc eriperet sæculo, aut a prænotata infirmitate liberaret : promittens visitaturum se Terram Sanctam Domini, si sibi sanitatem indulgeat. Peracta autem vigilia, somno plurimo aggravatus, ad thorum rediit, et quiete dormiens, se mane sanum reperit atque lætum.

De filio fistulato. — Quidam homo de mandamento du Buys unicum habebat filium, cui fistula fere totam tibiam cum osse occupabat; et implorato medicorum auxilio, maxima parte ossis ejecta a tibia, dixerunt puerum curari non posse modo aliquo, nisi incideretur per totum tota tibia fistulata. Quo audito, pater deflens et ululans dixit, eum malle mori,quam tibiam resecari. Incontinenti vero reducens ad memoriam miracula prædicti Stephani, ipsum Episcopum magno fletu atque suspirio ad pueri reclamavit adjutorium, promittendo se ceræ tibiam oblaturum, et sex denarios censuales semper præstiturum. Post paucos vero dies, filio sano atque incolumi, cum multis gratiarum actionibus sepulchrum Pontificis assistens pater visitavit.

De domicello capto. — Quidam domicellus de Cobona rediens de Cabeolo, dum transiret per burgum Montis Veneris, prope portam captus fuit cum quinque sociis a quodam pessimo, qui Petrus de Varo vocabatur; et ultra Rhodanum perductus, a mane usque ad nonam in quadam spelunca latuit; sero vero tribus dimissis, cum duobus cæteris ad locum ubi cœperat reversus est. Cumque ligatis tribus ipsos teneret in nemore, invocato Stephani Episcopi auxilio, laxatis miraculose funibus, invitis custodibus evaserunt.

De puero resuscitato.— Accidit etiam, ut in castro quod dicitur Charpey, duo inter se jurgia moverent, et junior cultello percussus est a majore, ita quod juxta guttur collum perforavit; nec his contentus iterato cum ipso gladio, ex parte alia collum et gulam penetravit. Omnis autem vicinitas ipsum habens pro mortuo, nec in eo ullum sentiens anhelitum, mater ipsius ad merita Pontificis confugiens, invocato ejus auxilio puerum vidit paulo post aperientem oculos, qui deinceps paucis diebus sanus factus est.

De puella sanata. — Quædam puella de Visilia, quæ per duos annos et dimidium gressum perdiderat, allata ad tumulum Stephani Episcopi, ibidem Dei beneplacito, antiquo gradui fuit restituta.

De duobus pastoribus captis. — Duo vero pastores civitatis Diensis capti a latronibus, et ad Balmam nigram deducti et retenti, quamvis fortibus et difficilibus ligati forent compedibus, latronibus ipsis præsentibus et dormientibus, interventione suffulti Stephani Episcopi, captionem cum eorum compedibus evaserunt.

De cæco illuminato. — Inter peregrinos venit unus de Lombardia, qui quinquennio lumine oculorum caruerat; et cum in oratione moraretur subtus se-

pulchrum præfati Episcopi, et Missa matutinalis celebraretur, intercessione ejusdem Episcopi gratulatus est coram omni populo visum recepisse.

De muliere sanata. — Nec est prætermittendum, quod cum dictus Episcopus languore non modico ægrotaret, mulier quædam, Bertranda nomine, gravi et diuturna capitis infirmitate oppressa accessit cum lachrymis ad ipsum, humillime supplicans, ut caput ejus manibus suis tangere dignaretur : quod ut tetigit, Divina pietas virtuti Pontificis adjiciens mulierem sanam effecit.

De Converso Durbonis infirmo. — Istud vero miraculum non est tacendum : quod cum dictus Stephanus esset in monasterio Durbonis Cartusiensis Ordinis, et ibi Conversus ejusdem monasterii, homo timens Deum et magnæ religionis, gravi laboraret infirmitate, accedens ad eum Stephanus dixit ei : « Frater, crede quod ex hac infirmitate migrabis ad Dominum; unde rogo te, ut pro me Dominum depreceris, quod si ego in Episcopatu ipso Diensi animæ meæ periculum incursurus sum et æternum præmium amissurus, ut me non permittat in ipso Episcopatu diu manere. » Postmodum decessit Conversus; et dictus Episcopus cœpit eodem die infirmari, et infra duodecim dies suum ultimum clausit in Domino.

Sunt et alia plura miracula, quibus apud fideles suos Divina clementia dictum mirificavit Episcopum et eumdem adhuc mirificare non desinit, Servi sui merita signorum evidentia multipliciter commendando. Illud etiam Sanctitatem vestram, Pater Sanctissime, latere nolumus, quod Bertrandus Diensis episcopus et alii Diensis Ecclesiæ Canonici, nobis in verbo veritatis et animarum suarum periculo, tam super sacramento, quo iis laborantes se asseruerunt dicti Episcopi meritis diversa fuisse remedia præstita consecutos, quam aliis, quæ sunt superius recensita, protestati sunt prædicta omnia, ut dicta sunt superius, se habere. Nos vero dictis ipsorum et famæ publicæ fidem plenariam adhibentes, præsentem Chartam nostrorum roboravimus præsentia sigillorum, rogantes et a Sanctitate vestra, Pater Sanctissime, postulantes humillime, ut præsenti consilium negotio, et auxilium curetis apponere salutare : ne pretiosa Domini margarita in Ecclesia Dei lateat tanquam ignobilis et ignota, et ne tanti lucerna luminis abscondatur sub modio, sed potius gregem Dominicum in viam vitæ dirigat et ad hæreditatis perducat præmium sempiternum. Datum Viennæ, tertio Nonas Maii, anno Domini 1261.

† Joannes Viennensis archiepiscopus.
† G. Valentinensis.
† B. Diensis.
† G. Gratianopolitanus.
† B. Vivariensis.
† Gebennensis.
† H. Mauritanensis. »

Hic pro anno 1231 scriptus est annus 1261, ut recte observat Joannes Columbi

in Appendice ad libr. 4 De Rebus gestis Episcoporum Valentinorum et Diensium, ex quo hanc epistolam excerpsimus. Id autem constat ex nominibus Summi Pontificis et Episcoporum Valentini, Diensis, Gratianopolitani atque Vivariensis.

Pergit autem Joannes Columbus negotium hoc canonizationis his verbis :

« Quid autem Gregorius Pontifex responderit Episcopis provinciæ Viennensis, non invenio. Beatificationem, ut loquimur, concessisse non dubito; atque id respondisse arbitrabar, quod novem ante annis Honorius responderat Molismensibus monachis canonizationem Roberti Abbatis postulantibus : « Licet nobis quædam miracula, quæ post mortem fecit, intimaveritis, de his tamen, quæ in vita fecisse dicitur, fidem plenariam non fecistis. Nos quæsitores de illis damus. Et ne vestris precibus videamur omnino deesse, concedimus vobis, ut eum tanquam Sanctum in ipsius Ecclesia venerantes, ejus apud Deum suffragia fideliter imploretis. » Ut ita sentiam, facit publica Sancti veneratio, quæ ante aliquot sæcula fuit in Ecclesia Diensi, cum tamen neque ipse Gregorius, neque alius quis Romanorum Pontificum legatur illum canonizasse; et singulis sæculis post ejus mortem usque ad annum 1520 actum fuerit a Diensibus, ut ejus canonizatio urgeretur Romæ. Eo anno Joannes de Lotharingia Cardinalis, cum in Valentinum episcopum electus Romam iret, rogatus est a Diensibus agere de ipsius canonizatione; et Gabriel Gay canonicus Diensis illi additus est, qui a Pontifice eam nomine totius Cleri et civitatis Diæ postularet. An Pontifex Joanni Cardinali assensus fuerit, non invenio. Joannes se nihil Romæ non tentaturum promiserat, et fere omnes Chartæ Diensis Ecclesiæ, rerum olim gestarum memores, datæ sunt ignibus ab Hugonottis. » Hactenus Joannes Columbus.

Patet autem ex Instrumento sequenti quod B. Stephanus publice colatur in diœcesi Diensi. Hujus attestationis tenor talis est :

« Nos Sacrista et Canonici ecclesiæ Cathedralis Beatæ Mariæ Diensis, attestamur Reverendis Patribus Ordinis Cartusianorum, et omnibus quorum intererit, festum B. Stephani, ejusdem Ordinis et olim dictæ ecclesiæ Cathedralis episcopi, celebrari die septima mensis Septembris in eadem ecclesia Cathedrali et per totam diœcesim. In quorum fidem subscripsimus, præsentesque sigillo nostro muniri jussimus. Deiæ, tertia mensis Martii, anno Domini 1633. — Cali. Mariel. Joannes Varnier. Janon. »

Porro Stephani corpus per multos annos perstitit incorruptum, donec Calviniano furore ignibus profanis illatum est, quibus in cineres conversum, auro fulgores puriores emisit. Rem narrat Joannes Columbus, lib. 2 De Rebus gestis Episcoporum Diensium, his verbis :

« Sed unum tacere non possum, quod

publicus Scriba posuit in suo Chartulario. Istius Antistitis corpus plures centenos annos adeo frequentibus illustre fuit miraculis, tantaque populorum et Cleri veneratione celebritatem habuit, ut in Episcopum electus deduceretur ante ad preces sub ejus tumulum fundendas, quam Præsulis sedem occuparet. Jacobus de Baternay, anno 1472, die 11 Decembris, viam monstrante Petro Richerii decano, ad Stephani sepulchrum accessit orationis causa : tum ad altare S. Petronii juravit in exemptiones civitatis et Canonicorum collegii; denique sedit in cathedra Pontificia. Marmoream lego fuisse, et retro altare positam. Sed, ut fit, deficientem sensim aliquando Viri memoriam revocavit, quod tumulus apertus est, anno 1557.

« Serpebat hæresis et per incrementa latentia occupabat Diam, neque solitus honor habebatur exuviis Stephani; potius, ut protervus est Calvinismus et procax, non longe contemptu erant cilicium, scapulare, calcei, zona, eremiticus scipio, monimenta et pignora sanctæ inter Cartusianos vitæ, ac in aviis locis procul mortalibus quondam actæ, quæ majorum pietas sepulchro educta proposuerat spectanda plebi. Tetigit alte Monlucium Episcopum effrænis et importuna licentia : qua erat prudentia, et in res sacras veneratione, duxit sancta Viri spolia non diutius permittenda esse degenerum filiorum oculis subsannantibus patrem. Jubet corpori suo reddi, et rursum condi sepulchro.

« Dies erat octava Julii. Humbertus Faucher canonicus jussa Præsulis deferebat. Spectante frequentissimo populo, sepulchralis tollitur lapis : de urbe principes viri caveam intrant : vident insolentis portenti rem, tractantque corpus in media calce integrum succique plenum : Pontificia vestis videtur, tractaturque omnis sincera et incorrupta, alba quoque, casula, mitra, sandalia, post annos a morte Stephani novem et quadraginta supra trecentos. Sed quarto post anno, scilicet Christi primo et sexagesimo post millesimum quinquagesimum, busto in media platea structo imposuerunt Hæretici, cremaveruntque. Impius et Hugonottorum furor desæviit in sacrum corpus flammis edacibus, quod absumere tot sæcula non potuerant.

« Juvat eruere ista omnia ex publicis Tabulis, quæ tum scripta sunt, cum ipsa gerebantur.

« Primo, Spiritus Dermenon tabellio regius ita scripsit de apertione tumuli, quam videbat : « Anno 1557, die 3 mensis Julii, etc., Jacobus Vacherius et Joannes de Croux jussi, aperuerunt conditorium Domini Stephani quondam Diensis episcopi. »

« Secundo, idem Tabellio addit sequentia de corpore S. Stephani, quod in aperto tumulo inventum est : « Aperto tumulo occurrit omnium oculis corpus alba indutum, et casula. Sub hac utrimque pendebat. Capiti, cui inhærebant sui capilli, sacerdotali corona

distincti, imposita erat mitra. Brachiorum alterum alteri superimpositum jacebat. Manus chirothecis opertæ erant. Tertium seu medium dextræ digitum ornabat annulus aureus, cujus splendentis palæ insita erat insignis gemma. Pedes atque tibias muniebant caligæ episcopales. »

« Tertio, pedes, tibias, manus, brachia, pectus, caput, totum denique corpus suis ossibus stetisse, suaque viguisse carne, hinc intelligis, quod carne sua suisque ossibus constabat, cum post annos quatuor combusserunt, ut statim referam.

« Quarto, B. Stephani corpus in media calce repertum est. Dormedon enim scriba regius hæc adjungit : « Toto conditorio quam longum et latum erat, vim maximam calcis, et subjecerant, et superposuerant corpori, pontificalibus induto vestibus. »

« Quinto denique idem corpus, quod calx plurima non potuerat annis omnino 360 et quod excurrit absumere, impositum busto et crematum est anno 1561 in media urbis Diæ platea, ut quæsitori de sacrarum omnium rerum eversione, quem Gratianopolitanum dederat Parlamentum, responsum est anno 1573. Cæteris enim facinus quidem referentibus, sed de tempore tacentibus, unus in hæc verba testatus est cum sacramento : « Anno 1561 incredibilem Chartarum ecclesiasticarum vim in bustum media platea erectum dejecerunt, cum S. Stephani corpore, quod carne sua ossibusque constabat. »

« Cum publicæ Tabulæ sic habeant, doceantque corpus S. Stephani crematum esse anno 1561, et eo ipso anno Episcopus Diensis se ad Concilium Tridentinum viæ cum aliis Francorum Episcopis et Cardinale Lotharingo, Caroli Regis jussu, commiserit, ut Carolus Rex ipse scripsit anno 1567; qua veritate, scriptor Indiculi Sanctorum Lugdunensium, homo alioqui eruditus, sine teste, sine tabulis, unus in quibusdam illius exemplaribus nuper asseruit corpus S. Stephani crematum fuisse Episcopo in lupum verso ?... » Hæc Joannes Columbus.

RASO WIEL

MONACHUS CAPELLÆ

De quo Chronicon Capellæ meminit in hunc modum : « D. Raso Wiel, quem vulgo Cæsarius appellabant, hujus Domus professus, patria Alostensis, a Laurentio Muscheselio susceptus ad Ordinem, a quo etiam plurimum dilectus fuit propter sanctitatem. Erat sacerdos ante Ordinis ingressum, habueratque prius in matrimonio filiam, quæ postea facta est Mater Sororum in Syon juxta Aldenardam. Annis viginti Ordinem tenuit, nunquam ad dexteram vel sinistram vergens. Erat justus et timoratus valde, et calore devotionis succensus, et perpetuus B. Virginis Mariæ amator, quam semper in ore, semper in corde gestabat : in ea tota sua erat voluptas,

totæ suæ deliciæ; per hanc innumeras consolationes, copiosumque gratiæ munus adeptus est.

« Vitæ suæ integrum tempus quod in Ordine exegit, sacræ orationi, vigiliis, lachrymis, meditationibus, quibus carnis incentiva edomabat et mentem sæpe inserebat cœlestibus secretis, insumpsit. Ad cujus agonem Dei Genitrix Maria accurrit dignanter, et suum dilectum prompta revisens, magnum illi in extremis laboribus impendit auxilii et solatii beneficium. Aderant enim nonnulla probabilia indicia præsentis Virginis, propter signum quoddam reverentiæ quod fecit detegens caput suum, et ex hilari claroque vultu morientis, et ex infusa repente in mentibus adstantium reverentia et amore, quibus ad dulcissimam Cœli Reginam movebantur. Sub hoc articulo ille animam exhalans in sinum B. Virginis Patronæ suæ, lætus superna conscendit, die 7 Septembris, anno 1459, relicta sanctitatis opinione. Ejus obitus signatur in Charta anni 1460. »

Unde male refert Georgius Garnefelt, in Indiculo SS. Ordinis Cartusiensis, ejus obitum ad annum 1470.

De Rasone agit Dorlandus in Chronico, lib. 7, cap. 26.

JOANNES DE INGELBY
EPISCOPUS LANDAVENSIS

Vir non minus religione, prudentia, Ordinisque zelo, quam generis splendore clarus; professus Cartusiæ Shenensis. Ex Cartusiæ Hentonensis moderamine, anno 1477 Prior Shenensis eligitur. Tantæ autem erat existimationis, ut Angliæ Visitator renunciatus et per annos viginti Domos Ordinis prudenter sapienterque moderatus, in Antistitem Landavensem consecratus fuerit. Anno 1496, die 2 Septembris, ipse R. Joannes de Ingelby tunc Episcopus visitavit cum Priore Montis gratiæ Domum Londoniarum, et die 28 Octobris ejusdem anni visitavit ipsam Domum Shenensem, quam tunc regebat D. Radulphus Tracy. Ex quibus colligitur ad Episcopatum fuisse promotum circa finem mensis Augusti ejusdem anni ; nam die decima præfati mensis Augusti, supramemorati anni 1496, visitavit Domum de Witham, tuncque agebat Priorem Domus Shene.

Decessit meritis dives, anno 1499, die 7 Septembris. Unde emendandus est Godwinus in Catalogo Episcoporum Landavensium, qui refert Joannem adhuc huic Ecclesiæ præfuisse die 15 Octobris anni 1499. Notandum vero ejus cognomen in Charta Capituli generalis iisdem fere litteris describi, quibus cognomen secundi fundatoris Montis gratiæ scriptum legitur in Charta anni 1409, nempe Inglewiche, ut videre est in eadem Domo. Quamobrem puto nostrum hunc Præsulem duxisse originem ex antiqua et pernobili familia de Ingelby.

FRANCISCUS NOGUER

PRIOR MONTIS HILARIS

Tarraconensis, ex honesta natus familia; relicto cingulo, ad Christi militiam sub D. Brunonis vexillo transvolavit, anno ætatis vigesimo. Post expletum tyrocinium, cum Statutorum regularisque observantiæ tenacissimus esset, Corrector institutus, ita vigilanter hoc perfungebatur officio, ut ne vel minimum quidem errorem præterlabi permitteret absque debita reprehensione. Nec minus strenue se gessit in Procuratoris et Vicarii munere. Promotus etiam ad Prioratum, in hac dignitate tres annos exegit, omnibus propter eximiam illius charitatem, simplicitatem morum, puritatem angelicam et sanctitatem summopere venerabilis.

Tanto devotionis afficiebatur sensu, ut præ teneritudine lachrymas plerumque vix posset continere. Carnem jejuniis spiritui subjiciens, ter in hebdomada solo pane et frigida contentus erat. Porro tantam ex abstinentia percipiebat voluptatem, ut diebus, quibus jejunium observabat strictius, fateretur se cœlestibus perfundi delitiis, divinisque dapibus saginari.

Senio gravatus, negotiorum sollicitudines moleste sustinens appetensque cellulæ sabbathum, Prioratui renunciat. Vix autem annus ab illius absolutione decurrerat, cum, 24 Augusti, febre correptus eam in extremo morbo exhibuit patientiam, ut nullo modo conqueri, nec quicquam de vultus sui tranquillitate remittere visus fuerit. Interim Deo incessanter mente cordeque adhærens, cupiensque dissolvi et esse cum Christo, tandem sui voti factus compos, immortali sui memoria relicta, post transactos in Ordine summa cum sanctimonia quinquaginta annos, naturæ debitum persolvit, anno 1612, die 7 Septembris.

Contigit quadam die cum Franciscus sermones de æternitate misceret, aderat tunc sæcularis Ordinis nostri habitum ambiens, homo fide dignus et doctrina celebris, quamvis propter oculorum debilitatem non fuerit receptus. Cum igitur colloquium habuissent de præmio et gloria quam Deus in illa æterna patria dat diligentibus se, vir Dei tanto illius patriæ flagravit desiderio, ut corpus, quod ex se aggravat animam, spiritum sequeretur, sublatusque fuerit Franciscus in aera usque ad cellæ ostii superliminare. Verum ad se revertens, pudore suffusus ab ipso petiit, ut saltem dum ipse viveret, nemini rem indicaret. Qui venerandi Patris mandato obtemperans, miraculum hoc nisi post mortem illius declaravit.

Aliquando dum Franciscus Sacrosanctum Missæ Mysterium celebraret pro quodam consanguineo suo periculosissime ægrotante, adstitere litanti SS. Cosmas et Damianus, qui se sanitatem restituturos promiserunt. Paulo post juvenis convaluit; qui accepti beneficii

non immemor, postulans habitum Religionis, inter Conversos Montis hilaris annumeratus est.

Ex Mss. hujus Domus.

ANTONIUS MALLOT

CONVERSUS MONTIS HILARIS

Oriundus ex civitate Ausonæ; forma eleganti, acri judicio, moribus religiosis exornatus. Annum agebat ætatis trigesimum sextum, cum prædium del Masriam incolens, jurgium habuit cum pastore quodam contra fas in dicto loco suas oves pascente. Peccantem Antonius, uti erat mansuetissimus, objurgatione levi corripuit. Non resipuit contumax opilio. Unde jure merito excandescens Antonius, una cum aliis Conversis obstinatum hunc comprehendere tentans, audacterque illum aggressus incidit in illius manus armatas pugione, quo percussus est iteratis ictibus in ventriculo. Lethaliter, chirurgo sic judicante, vulneratus septemdecim dies vitam adhuc protraxit, assiduis piisque orationibus Cœlos pulsans, modo Christum invocans, modo Mariam.

Tanto autem desiderio esse cum Cœlitibus tenebatur, ut interdum adstantes rogaret Religiosos, quatenus de æterna patria sermonem miscentes illum recrearent. In his eximiæ devotionis exemplis perseveravit ad extremum usque spiritum. Cum quis de circumstantibus sciscitaretur an mortem imminentem pertimesceret, immutato vultu, summaque cum animi serenitate respondit : mortem istam sibi esse dulciorem super mel et favum. Homicidium multoties libentissime homini scelerato condonavit, Jesu Christi in Cruce affixi pro persecutoribus exorantis vestigia secutus.

Cumque ingravescente morbo ea cum reverentia, quæ Christianum hominem decet, suscepisset Eucharistiæ Sacramentum, Extrema Unctione confortatus ad beatæ immortalitatis iter, visus est explere mortalitatem. Verum ad se reversus post hoc deliquium, circumfusis lectulo monachis ait : « Nolite amplius, Patres, fatigari ; recedite tantisper, et cibo vos reficite, ut brevi temporis intervallo revertentes extremum vale mihi morituro dicatis. » Antonii sermonibus obtemperantes Religiosi, paulo post redeunt, qui dum debita animam agentibus suffragia persolverent, inter orationes eorum expiravit, anno 1612.

Ex Mss. hujus Cartusiæ.

FRANCISCUS PALLAS

PRIOR ARÆ CHRISTI

Ex illustri nobilissimaque apud Valentinos stirpe natus, anno 1590, die 28 Martii, ab infantia propensus ad virtutem apparebat. Anno ætatis suæ sexto rheda conculcatus, non sine miraculo sanatus est, precibus suæ matris voto

Numini dicantis filium periculose ægrotantem. Atque ideo traditur puer Joanni de Ribera, Valentino archipræsuli sanctitate celeberrimo; ad omnem ab ipso pietatem efformatur. Vacabat interim literarum studiis, donec e vivis sublato Pontifice, anno videlicet 1611, 6 Januarii, petiit Salamanticam Juri utrique operam daturus.

Mox in patriam remeans, singularem contraxit amicitiam cum Joanne Garcia Valentiæ canonico, viro prorsus apostolico, cujus concionibus excitatus ad gradiendum per vitæ sanctioris semitas, se se recepit apud eumdem Joannem in summa tunc degentem paupertate. Sub tanti magistri disciplina Franciscus primum cœpit facere, ad exemplum nostri Salvatoris : corpus siquidem suum jejuniis, verberibus, vigiliis, aliisque mortificationibus macerans, in amaritudine recogitabat dies suos. Sustinebat interim a diabolo molestissimas tentationes. Quibus devictis, anno 1615 promotus ad Sacerdotium, secessit in domunculam extra Valentiam, uno comitatus famulo, Vitam anachoreticam victurus.

Ad statum anhelans perfectiorem, vix aliquot menses exegerat in solitudine plane crucifixus mundo, cum divino afflatus Numine, supramemorato anno, Capucinis suum dedit nomen. Magno cum spiritus fervore decurrit palæstram tyrocinii; quo peracto, iterum dæmone tentatus graviter, hanc pugnam patienter admodum tulit. Animum Theologiæ scholasticæ intendens, magnos in ea, sed majores in mystica fecit progressus. Verum cum ingenti solitudinis desiderio flagraret, seque minus idoneum conspiceret ad obeundum concionatoris munus, anno 1626 transiit ad Cartusianos Vallis Christi, a quibus die 7 Septembris donatus fuit Religionis habitu. Vir solitudini, silentio, carnis macerationi jam dudum assuetus, stetit invictus contra dæmonis aggressiones; annoque 1627, in ipsa Beatissimæ Virginis Nativitate, vota sua Domino reddidit.

Ita nuncium remisit sæcularibus, ut ne parentibus quidem suis unquam scriberet literas, nec ullam cum eis haberet necessitudinem. Quamvis etiam impense diligeret Confratres suos, nullam tamen cum aliquo singularem contrahebat amicitiam, pari omnes benevolentia complectens. Declinabat, quantum in se erat, non modo extraneorum sed et domesticorum societatem ; unde cum monachi Franciscum a communibus colloquiis statisque relaxationibus abesse, eorumque consortium prorsus devitare cernerent, ipsum apud Superiores notarunt de singularitate. Cœnobii Prior, cui Francisci perspecta erat virtus, illum in spiritu lenitatis monuit, ut parumper de arctiori silentio remittens, Fratribus faceret sui copiam. Vir obediens adfuit imposterum Spatiamentis, ubi semper eructabat verbum bonum. Ad campanæ pulsum statim properabat ad ecclesiam ; a qua per

annorum quatuordecim spatium nunquam diu noctuque abfuit, quamvis interdum morbis ac negotiis occuparetur.

Omnem moverat lapidem, quo semper præstolaretur in silentio salutare Dei ; atque ideo Superiores obnixe rogaverat, ut ad nullas unquam assumeretur Ordinis dignitates. Verum cum diutius sub modio latere non posset, cogitur capessere moderamen. Nam primus Viæ Cœli Vicarius anno 1640 nominatus, cum ibi aliquamdiu mansisset, reversus est ad Domum Vallis Christi. Paulo post admotus Aræ Christi gubernaculo, in hoc munere perseveravit usque ad annum 1645; quo per generale Capitulum redactus in Ordinem, redux in suæ professionis Domum, ibidem vitæ cursum absolvit, anno 1656, die 7 Septembris, relicta sanctitatis opinione.

Vir enimvero fuit omnibus plane virtutibus ornatissimus. Conversatio ejus semper in Cœlis, ubi luminis voluptatisque divinæ copiam trahebat. Assidua oratio, et in mediis negotiorum tumultibus, dum Priorem ageret, mentis in divina constans defixio, tanto in suas cogitationes imperio, ut raro distraheretur. Summa in Canonicis precibus persolvendis attentio ac reverentia, summa in sacrificando pietas et devotio. Sensus suos accurata custodia, linguam arctissimo silentio frænabat. In sui corporis afflictione prorsus fuit inclemens. Puritatem in se semper expressit angelicam. Unde cum summam apud omnes suæ virtutis excitavisset existimationem, emeritus in sanctitate magister multos erudivit ad scientiam Sanctorum, discretionis spirituum et prophetiæ dono decoratus.

Extat prolixus liber Vitæ ejus in-4° a D. Joachimo Alfaura descriptus Hispanice, ex quo pauca hæc ex multis delibavimus.

ELISABETHA DE LA RUELLE

MONIALIS GOSNAY

Ex hac vita discessit anno 1675, die 7 Septembris ; de cujus obitu Maria Margarita de Brongniart mihi scripsit in hunc modum :

« Harum literarum materiem suppeditat mors pretiosa nostræ Consororis Elisabethæ de la Ruelle, quam Deus nobis præripuit pridie Nativitatis Beatissimæ Virginis pene septuagenariam. Hoc parthenium ingressa est anno ætatis suæ decimo quarto; professionem emisit anno 1623, die Aprilis 23. Bethuniam pro patria, patrem vero habuit mercatorem opulentissimum ejusdem civitatis. Duos etiam habuit fratres Capucinos, unam sororem conjugatam, alteram Ordinis S. Benedicti monialem strictioris Observantiæ. Hæc dicta sint in hujus prolis optimæ educationis argumentum.

« Ambo Elisabethæ parentes morum probitate præcellebant, de qua lucu-

lentum extat testimonium. Cum enim V. P. Guillelmus du Cheure nostri monasterii Vicarius vellet nostri Spatiamenti muros construere, deficiente interdum pecunia, patrem Elisabethæ conveniens dicebat : « Domine, nostrum exhaustum est marsupium, pecuniæ mutuum rogamus. » Audiens hæc vir in suam filiam et in nos pronus, ad sanctius armarium deducebat Guillelmum, cui lubens dabat necessaria. Quod si occuparetur negotiis, vix conspiciebat Patrem, cum ejus petitionem antevertens, eidem tradebat clavem armarii, quo pecuniam sibi numeraret ad libitum. In his et aliis multis occasionibus Dominum de la Ruelle benevolum et beneficum in nos expertæ sumus.

« Eximia pulchritudine Elisabetha prædita, excellenti etiam præstabat ingenio, quo ad difficiliora quæque penetrabat. Latinam callens linguam, ex hujus idiomatis notitia inter orandum concipiebat miræ devotionis ignem. Vix credes quod refero. Venerabilis noster Vicarius, dum idem officium obiret in Cartusia monachorum Gosnay, Latino sermone composuerat Directorium pro Novitiis. Hunc libellum Elisabetha mutuum petens, tam accurate castigateque in vernaculam linguam transtulit, ut nemo melius.

« Eximiis tam animi quam corporis dotibus exornatæ opima conditio poterat in sæculo obvenire ; verum a teneris annis terrena fastidiens, elegit abjecta esse in Domo Domini, ubi ab anno 1621 usque ad diem 7 Septembris 1675 perseveravit. Semper multum fecit suam vocationem, se se posteritati commendavit egregiis virtutum suarum exemplis. Totam se Sponso suo dicavit : ab ipso suo in hoc parthenium introitu ivit absque intermissione de virtute in virtutem, Statutorum observatrix, vitæque interiori summopere dedita. Semper de rebus divinis miscebat sermones, unde rerum spiritualium Quæstoria nuncupabatur. Ejus conversatio erat omnibus suavissima. A quibusdam annis cupiebat dissolvi et esse cum Christo, se seque ad Domini adventum præparabat quotidianis exercitiis.

« Singulariter venerabatur Augustissimum Altaris Sacramentum, et quamvis acutissimis infirmitatum suarum doloribus cruciaretur, raro tamen ab hoc Angelorum Pane abstinebat. In extremis posita Deo gratias agebat maximas, quod semper ejus orationes exaudiisset. Semper sui compos fuit ad ultimum usque vitæ suæ terminum. Ad Deum fortem vivum sitiens expiravit, hydropisi et carcinomate consumpta. Per multos annos surditatem et myopiam patientissime sustinuit, Deum benedicens, qui hæc incommoda immiserat ad ejus virtutis probationem, etc. »

Nec subticendum est quod Elisabetha fuerit Rerum suæ Domus indagatrix ; cujus studio et opera, collaborante etiam V. M. Maria Margarita de Brongniart, copiosam messem Rerum Ordinis nostri ex hoc parthenio collegimus.

VIII DIE SEPTEMBRIS

GUILLELMUS

MONACHUS SIGNIACENSIS

Ex Abbate S. Theodorici factus monachus Signiacensis Ordinis Cisterciensis; fuit celeberrimus pietate et doctrina. Orationi et meditationi ita deditus, ut sæpe raptus in extasim, nullus ei sensus liber remaneret. Qui tam in vita quam post mortem coruscus miraculis, decessit circa annum 1149, die 8 Septembris. Auctor fuit Epistolæ ad Fratres de Monte Dei, falso adscriptæ S. Bernardo.

Consule Volumen nostrum Provinciæ Picardiæ, ubi fuse de eo egimus in Cartusia Montis Dei.

REGINALDUS

MONACHUS PARISIENSIS

De Ordine et de Domo sua optime meritus ob vitam exemplarem et conversationem religiosam, e vivis excessit anno 1333, die 8 Septembris.

Ex Catalogo monachorum Cartusiæ Parisiensis.

JOANNES DU BOSQUIEL

PRIOR TORNACI

Vir genere nobilissimus; qui licet quasi alter Moyses blæsitaret, doctrina tamen et pietate in tantum valuit, ut vix similem in nitore sermonis, in humilitate conversationis, in observantiæ regularis zelo, et in sedulitate sibi commissæ administrationis reperires. Præfuit Tornaci ab anno 1540 usque ad annum 1567, quo spiritum Deo reddidit, die 8 Septembris, relicta sanctitatis opinione. Diu fuit Picardiæ Visitator.

Ex Catalogo Priorum Tornaci.

BERNARDUS CARASSUS

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Natione Vasco, patria Tarbiensis, natus ex parentibus honestis et claris civibus circa annum 1504. In ipsius ætatis crepusculo visus est amasse litteras, quamvis a multis retro sæculis Vascones a Musis plus quam a Marte feriati fuisse dicantur, ob Regum Angliæ et Franciæ perennes discordias quæ vix adhuc eo tempore sopitæ fuerant. Litteris itaque

applicitus primum studiose, deinde et languide iis commodatus, donec sive necessitate urgente, sive ebulliente adolescentia, studiis valedixit et ad castra Francisci Regis perrexit. Militari igitur baltheo accinctus, ubi inter gregarios aliquam Regi navasset operam, ad majora in dies progrediens, post editum suæ generositatis specimen factus est denique cataphractorum dux et strategus.

Verum post periculorum myriades, quæ ferratis corporibus domesticæ sunt et quotidianæ, cum per plateas civitatis Parisinæ (ut ætatis, professionis et vanitatis tempus tunc ferebat) sæculariter discurreret, audivit post noctis conticinium fieri apud Cartusianos pulsum pro nocturna synaxi. Roganti a comitantibus quidnam hoc esset, responsum est hoc sono convocari ad Matutinas monachos Vallis viridis: « Eia vero, inquit, quam vane et stulte noctem istam ducimus, ubi tot Dei servi tot meritorum manipulos sibi congregant! Facessant nunc istæ sæculares ineptiæ, quibus hactenus inservivimus. » Hæc igitur fuere primæ illius conversionis semina, et in Cartusienses affectus præludia; quibus de cætero addictus, nunquam primæ illius invitationis ad Religionem oblivisci potuit.

Juvat tandem pristina repetere litterarum studia, et Minervæ reconciliatus, Martem habere cœpit exosum; et licet ætate jam superadultus, inter promiscuos scholæ neophytos ad capessendam scientiam pergere vereretur, ita tamen brevi temporis spatio Rhetoricæ et Philosophiæ penitissima quæque pervagatus est, ut in Academia Parisiensi etiam Magister in Artibus renunciaretur. Posthæc congruo tempore clericali toga insignitus, ad sacros Ordines promotus est, et Canonicatu in Collegiata D. Benedicti Parisiensis ecclesia donatus : quod sane Beneficium, ad conversionem accedens, in sororis suæ filium suum nepotem dominum a S. Petro postea transtulit.

Memor itaque pristinæ illius invitationis, quam ad conversionem omnimodam a sæculari vita ad Religiosam arripiendam habuerat, statuit ex toto sæculi quisquiliis nuncium remittere et perfectam conversionem aggredi. Et cum præ cæteris Cartusianorum professio ejus animo sederet, ob præcipuam, quam sectatur, quietem et sæculi abdicationem, venit ad Domum Vallis viridis, ut quem primum animo amplexatus fuerat, etiam corpore indueret Cartusiæ Ordinem.

Eo tempore Cartusiam illam, observantiæ suæ perenni viriditate plusquam nominis conspicuam, vir ex Deo V. Joannes Parcevallius, vir simplicitate multa, sed pietate majori, necnon et doctrina (ut ejus scripta testantur) regebat. Ad quem veniens Bernardus, votum aperit de abrenunciatione sæculi. Ad quæ verba mox in risum solutus Prior, perspecta hominis proceriori statura, et corporis macie et pallore deformis, necnon et nativi soli fusco colore, dixit

ei : « Itane, barde ? Certe jam tempus maturum est ad conversionem; sero advenisti. Recede, quia juvenculus es, neque aptus ob ætatem teneriorem. » His verbis pro innata simplicitate usus, cum perseverantem in obsecratione Bernardum attenderet, tum demum serio agere volens cum illo, respondit : « Apage hinc, quia quinquagenarios admittere non solemus ; sæculo tritici tui dedisti optimam farinam, et nobis huc furfuris tui purgamenta afferes ? » Cumque roganti recedentem humerum exhiberet abiens, nec vellet eum omnino admittere, quidam senior monachus qui adfuerat, facta super se manu Domini, dixit Priori : « Pater mi, Pater mi, noli dimittere virum istum, quem misit ad te Dominus : prædico enim tibi, quod aliquando in Ordine in Priorem Generalem promovendus sit. » Verbis fidem adhibuit Prior, et sic admisit ad cellam, inde ad probationem, demum ad professionem ipsum Bernardum ; et ut conjectoris prophetia probaretur, ne frustra putaretur fuisse prolata, quod postea contigit veritatis illius fuit complementum.

Annus conversionis Bernardi a sæculo esse videtur annus 1549, cum esset natus quadraginta quinque circiter annos. Mox ut novitiali colobio per solemnem professionem exutus est, minoribus officiis mancipari cœpit, perspecta viri prudentia, in omnibus solertia, et ingenio ad omnia capaci. Veriti namque Superiores ne ex priori vitæ consuetudine, in qua diutius permanserat figulatus et imbutus, ad novam vitam veniens, aut corporis aut animi aut etiam utriusque dispendium nonnullum pateretur ; non eum ita præcipitanter in strictioris silentii aut solitudinis reclusorium projecerunt, sed pedetentim ipsum ad has Instituti Cartusiensis præcipuas et primarias virtutes pertingere et assuefieri voluerunt : et hoc quidem provide. Sicut enim e tenebris prodeuntes ad repentinam lucem offensionem oculorum incurrunt, ita qui e sæculari vita et e liberiori genio ad nostras solitudines divertunt, plerumque obstupescunt ex conversationis novæ severitate, donec paulatim assuefacti fuerint.

Ea Superiorum providentia circa Bernardum nostrum ipsi minus proficua fuit, ut ipse frequenter suis familiaribus insinuabat : asserere se nunquam nisi valde tenuiter sacram solitudinem degustasse, ad quam si postliminio ex officiorum turbationibus revocaretur, timere ne ærumnosam vitam agere compelleretur. Quod tamen ex humilitate dixisse verisimile est. Qui enim firmo capite pollebat, et orationi ac litterarum studiis non afficiebatur parum, fieri non poterat, ut et solitudini non etiam afficeretur.

Ubi vero in officiis minoribus tyrocinium aliquod exhibuit omnium applausu, Vicarii officio adhuc in florente professione admotus est, ut videas hominem brevi spatio temporis ad optima

quæque idoneum effectum. Licet enim ingenium prudentia conditum e sæculo in claustrum invexisset, licet œconomiæ scientia, et mundialibus artibus non careret, hæc tamen modica sunt ad religiosæ Vitæ sacratiores industrias comparandas, quæ nonnisi in ipsa fornace coquuntur et conflantur. Platones namque et Catones nihili habentur, et ad regimen animarum prorsus inidonei judicantur, nisi figulentur in ipso Cartusiensi conflatorio et ad neophytorum tyrocinium se demittant, ut deinde et ipsi ad efformandos sibi commissorum mores assumantur.

Nec inauspicato igitur Bernardus oneratus officio Vicarii, qui suæ jam periculum fecerat industriæ, quando maturæ ætati adjungens maturos mores brevi compendio ita profecerat, ut eo officio dignissimus haberetur. Quid in illo Vicariatu sigillatim effecerit, cum satis constet, conjicitur tamen ex tenore regiminis quo apud Montem Dei, jam Prior institutus, est usus. Nam quotquot ad professionem admisit, ipsos egregie per se ipsum voluit erudire, ac veros effecit Cartusianos. Circa obedientiam maxime inculcandam sollicitus invigilabat. Quod et optime cessisse visum est, quando postea Antesignanus Ordinis creatus, uncialibus litteris dicebat et scribebat ad laudem monachorum Montis Dei: « Monachi Montis Dei bene possunt præesse, quia et bene noverunt subesse. »

Aliud in quo juniores informabat, erat virtus humilitatis, in qua eos fieri doctissimos volebat; et ne ex qualicumque talento aut superbirent aut insolescerent, in privatis colloquiis et visitationibus, licet multa laudanda in illis animadverteret, nihil omnino ipsis aperiebat. Ratus namque vanitatem cito subrepere et tardius eradicari ex neophytorum animis, nihil vel tantillum prodebat Novitiis, ne pro semine alacritatis præberet fomenta vanitatis.

Exacto autem in Vicariatu Vallis viridis circiter triennio, cum quid reconditum in thesauris haberet, proderet, fama de eo ad aures R. P. Petri Sardeni Ordinis Generalis pervenit; sicque factum est ut ad Prioris onus subeundum in Montem Dei obligaretur anno 1554 per generale Capitulum, cum verbo exhortationis, nimirum ut invigilaret strenue reformationi Domus sibi commissæ. Accessit itaque ad Montem Dei sub finem Junii anni præfati. Cumque adhuc ocreatus esset, et campestri cappa necdum exuta fuisset ingressus, forte conspicatus aliquid, quod minus sonabat disciplinam, statim castigavit transgressionem, ut vel in ipso ingressu zelantissimum Bernardi pro domo Dei animum videas.

In sede igitur Prioris Montis Dei collocatus, nihil antiquius habuit, quam ut officio, ad quod assumptus fuerat, faceret satis; ac primo, quod principale et primum, imo et unicum necessarium censetur, se totum impendens regulari observantiæ qua voce, factis et exem-

plis, qua concionibus editis, ita effecit, ut in brevi disciplinam sartam tectam videret, eamque illæsam conservaret; nec fuit qui toto tempore illius perturbaret Israel. Qui etiam in initio durum ipsum experti fuerant, postea ejus zelo applaudebant et religioni. Hoc enim virtutis genium est, ut vel ab invitis exigat laudem et ab immorigeris venerationem. Ut etiam observantiam illam promoveret in dies, statuit juniores aliquos Ordini aggregatos per se ipsum instantius erudire, ut et senioribus et postea cæteris Ordini incorporandis essent in speculum et exemplum. Quod non improbe cessit. Nam plures eorum ad Ordinis officia promovit, summo bono Domorum quibus præfuere.

Deinde ad reparanda substantiæ temporalis detrimenta, quæ bellicæ clades invexerant, non solum perdita recuperavit, sed et nova comparavit: plura solus molitus, quam omnes illius antecessores, qui eo sæculo regimen tenuerant. Ad decorem etiam domus Dei materialis conversus, quam lateritiam invenerat, ipsam marmoream reliquit. Quod vero miraculum haud vulgare inter cætera censetur, toto illo sui Prioratus duodecennio nulla clade direptam sibi commissam Domum vidit, licet inter hostes domesticos et extraneos, ac potissimum inter Hæreticos limitaneos versaretur; cum tamen ante adventum ejus et mox post illius a Monte Dei recessum Mons ille tantis calamitatibus exinanitus sit, ut mirum videatur, quomodo hactenus stare potuerit: quæ omnia ejus prudentiæ singulari deputabantur adscribebanturque, quamvis Deum imprimis pro se sollicitum agnosceret, qui pro Deo ante omnia, ubique et in omnibus zelabatur.

Anno 1555 Bernardus ascendit ad Capitulum generale, ubi et disertam habuit orationem, et simul Picardiæ Convisitator est renunciatus, cum tamen vere adimpleret munia Visitatoris, ob Franciæ et Belgii diuturnas discordias, quæ primarium Visitatorem arcebant ab ingressu Picardiæ. Provinciam itaque plenarie rexit, assumpto in collegam Franciæ aliquo Priore; necnon et Franciæ Domos, maxime Visitatorum, cum potestate Commissarii quandoque visitavit: ea namque erat Bernardi prudentia, quæ se Picardiæ limitibus non contineret, sed usquequaque diffunderetur.

Quanto autem bono Picardiæ ac emolumento, Convisitatoris officio perfunctus fuerit, liquet ex hoc solo, quod industria ejus plusquam humana, Cartusia Monsterolensis ab interitu et omnimoda exinanitione vindicata fuerit, et Noviomensis et Abbavillæa, si non incrementum, saltem decrementum non habuerint, corrogatis ad earum alimoniam sustentaculis nonnullis, potissimum dum annonæ penuria vigeret, et ab hostibus limitaneis quotidianæ clades inferrentur. Imprimis vero Domus Monsterolensis (quæ ab anno 1547 insigniter exciderat, fere excisa ab hosti-

bus, et quæ eo nomine commendata fuerat Picardiæ Prioribus per Capitulum generale, cum verbo exhortationis, ne sinerent unam Domum suæ Provinciæ exscindi et annulari) Bernardi benevolentiam et sollicitudinem experta est; nam ipse pro dicta Domo apud Majoris Cartusiæ proceres et reliquos Priores plurimum laboravit.

Jam vertebatur annus duodecimus regiminis Bernardi, quo e Monte Dei ascendit ad Capitulum generale anno 1566, tum ut commissæ sibi provinciæ munus obiret, tum etiam ut de novo negotio, quod circa Montis Dei possessiones occurrerat, Diffinitores informaret. At vero Comitiorum proceres, qui ad Diffinitorium congregati fuerant, attendentes gravissimam infirmitatem, qua lecto detinebatur R. P. Sardenus Prior Cartusiæ, qui amplius negotiis Ordinis intendere non valebat, Bernardum concorditer in coadjutorem R. P. Sardeni elegerunt, et nominaverunt his verbis: « Priori Montis Dei ad altiora vocato, etiam assumpto et confirmato in Coadjutorem R. P. Cartusiæ fit *misericordia* ratione Prioratus dictæ Domus, electionem futuri Prioris remittentes Conventui dictæ Domus; quam, si canonica fuerit, in descensu Capituli generalis confirmabunt Priores Domorum Parisiensis et Fontis B. Mariæ, etc. »

Eodem anno R. P. Petro Sardeno ad meliorem vitam translato, R. P. Bernardus Ordinis Præfectus generalis renunciatus est, bono totius Cartusiensis familiæ: sancte etenim et religiose suum honorificavit ministerium per annos viginti, quibus deploratissimis temporibus habenas Ordinis rexit. Norunt omnes quantos labores pro excisis Domibus per Hæreticorum rabiem exantlaverit, quibus animi cruciatibus ob nonnullorum animas Lutherano fermento deceptas discerptus fuerit. Semper se ipso robustior, quotidie vivebat quasi recenter figulatus in claustrali virtutum officina; et ex inconditorum olim militum et cataphractorum stratego se ad regendas terrestrium Angelorum catervas præpositum solerter intuens, studebat virtute potius quam officio cæteris præesse et præire : ratus modicum honoris se decerpere ex officio, si solum Primipilus Ordinis diceretur, et non magis ad virtutum itinera consectanda prodromus haberetur.

Studuit igitur toti Ordini potius prodesse, quam præesse. Morum namque suavitate, vitæ sanctimonia, vigilantia, Statutorum librorumque ecclesiasticorum renovatione, mire Ordinem exornavit. Insuper antiquas exoticasque consuetudines huic sæculo a moribus hominum dissentaneas viriliter expungens, conformes omnium animis et S. Matri Ecclesiæ recudi curavit : nihil interim de pristina priscorum Patrum Vitæ duritia remittens. Ideo inter primos Ordinis Legislatores annumerandus est.

Nam primas Ordinis Consuetudines ediderat recolendæ memoriæ Guigo,

quintus Cartusiæ Prior; quæ licet stylo gravi et imperatorio conscriptæ essent, in multis nihilominus steriles habebantur, donec R. P. Rifferius adjunxit Antiqua Statuta, quibus sterilitati præcedentium Constitutionum utcumque provisum est. Verum cum iis quoque aliquid deesse aut quædam pro ratione temporis mutanda esse sequentis ætatis Priores animadverterent, R. P. Guillelmus Raynaldus Nova Statuta superaddidit; post quæ et R. P. Franciscus Puteanus Tertiam publicavit Compilationem. Quibus omnibus Ordo noster usus est usque ad R. P. Carassi tempora, multis interim perplexitatibus, nodis ac scrupis circa eorum observantiam quotidie increscentibus, ita ut consuetudinaria eorum practica magis, quam ex certa scientia observarent monachi.

Cumque circa eorumdem tenorem in dies quæstiones orirentur, et pro eorum explicatione ad Cartusiam aut Capitulum generale recursus haberetur, multiplicabantur ærumnæ quotidianæ responsoribus. Quibus tandem ut obviaretur, decrevit R. P. Bernardus Novam publicare Collectionem ex præcedentibus omnibus elicitam et in unam consonantiam redactam, ut facilius posset memoriæ commendari, ex qua quid jussum, quid abrogatum, quid mutatum esset, omnibus esset manifestum: quod sane opus per præcedentia Capitula approbatum, novissime anno Domini 1581 evulgatum fuit. Magna vero Statuta, ut vocamus, sive secundam sive tertiam partem selecti Priores simul invicem in Cartusia Majori digesserunt. Primam vero partem solus D. Joannes Michel, tunc Prior Parisiensis, digessit et ordinavit. Totum denique opus Statutorum D. Millesius le Jare, Prior Noviomensis, olim Academiæ Parisiensis Rector, vir doctissimus, egregio stylo condecoravit.

Author etiam fuit Bernardus, ut Solemnitas S. Joseph Patriarchæ per totius Ordinis Domos celebraretur, ea intentione ut, Beatæ Virginis Sponsi precibus, cultores ad sterilem vineam Cartusiæ Christus mitteret excolendam, reddituram fructum in tempore suo. Huic vero devotioni mox benedixit Dominus, et sufficientissimus sacram vestem Cartusiensem ambientium numerus sterilitati providit: quæ quidem damna et illatas ab Hæreticis clades Domibus nostris compensare quodammodo, et miserandis sæculi illius bellorum procellis afflictum Bernardum recreare et consolari videbantur.

Ad illius patientiæ coronidem accessit a nonnullis Hispanis monachis tentatum schisma, cui nascenti malo peritus medicus adhibuit remedium. Quidam enim Hispaniæ Cartusienses Regem Catholicum circumvenerunt perosi familiæ Cartusiensis unionem, qua Hispaniarum Provinciæ Reverendi Patris Cartusiæ Prioris regimini subjacebant; unde opportune importune instantes seditiosi, authores Regi suo fuerunt, ut

Pontificium diploma expostularet, quo Hispanis a Cartusiæ primariæ Prioris dominio segregatis liceret sui Ordinis per Hispanias Caput alterum sibi constituere. Annuit votis eorum Summus Pontifex, nuncio Hispaniæ multum rem promovente.

Rex Christianissimus in hac communi Cartusianorum causa suam authoritatem interponens, litteras ad suum Oratorem in Hispania commorantem direxit, ut negotium ita ageret, ita tractaret, ita conficeret, ut impendens schismatis proxime futuri periculum a familia Cartusiensi averteretur. Scripsit etiam Rex ad Hispaniarum Regem epistolam commendatitiam pro conservanda Ordinis unione, scripsit præterea suo Oratori in Curia Romana versanti, adeo ut Bernardus, divino fretus præsidio Regisque patrocinio, rem ad felicem exitum perduxerit.

Porro quanto cum spiritus fervore et ardore Priores Cataloniæ et Castellæ falsis Fratribus suis se se opposuerint, constanterque pro conservanda R. P. Bernardi authoritate decertaverint, patet ex litteris quas alibi descripsimus, quas Lector videbit in Volumine nostro Notitiarum Domorum Castellæ. Horum Patrum (quorum memoria in benedictione est) zelus laudabilis dum minus a Nuncio Apostolico Hispaniæ probaretur, illeque moleste ferret ita fortiter suis consiliis obstitisse Priores Cartusianos, dum susceptum negotium per fas nefasque absolvere niteretur, morte præoccupatus, Deo rebus nostris favente, Ordinem in antiqua stabilitate et unitate perseverantem reliquit.

Sic Bernardus tantam tamque laboriosam difficilemque provinciam sustinuit, ut sive prospera sive adversa spectes, quæ ipso clavum tenente multa et varia Cartusianæ familiæ acciderunt, electum a Deo esse credas, qui per dubias et turbulentas tempestates, Deo duce, navem Ordinis ad salutis portum dirigeret.

Inter has Pastoralis officii curas et sollicitudines integrum se tamen semper ad pietatis exercitia servabat, quorum tractatione recreabat vires fatigatas. Eam pietatis perpetuam dulcedinem, quam nulla moles negotiorum obtunderet, nulla temporum varietas perturbaret, alebat continuis meditationibus, et psalmodiæ imprimis attentissima recitatione, et modestissima compositione corporis. Ad altare Christi accedens pro immolatione Victimæ salutaris, totus alter a se ipso videbatur : quod etiam fiebat, quando in secreto suæ cellæ Patrem Cœlestem orabat in abscondito. Hæreticos tanto odio prosequebatur, ob amorem Dei, ut nunquam illos ad se intrare sineret, nec ad eos ventitaret. In egenos erat impense munificus, in orphanos, viduas et afflictos summa compassione affectus. Ipse viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascebat alios, et ore pallente jejuniis fame torquebatur aliena; tantasque eleemosynas faciebat in populis, ut fores

monasterii pauperum ac debilium obsiderent examina. Mira erga monachos angustia aliqua pressos in Bernardo pietas elucebat, tantaque in eos commiseratione ferebatur, ut eorum casus et mœrores velut proprios defleret, nihilque relinqueret intentatum, quo eorum sublevaret miserias. Tanta humilitate excelluit, ut cum polleret haud vulgari prudentiæ acumine, et ex sensatorum sensu totius Ordinis sensatissimus haberetur, ipse nihilominus in propriis oculis ita sibi ipsi viluerat, ut solus ipse de se improbe sentiret, qui a cæteris omnibus tanquam vivum virtutis simulachrum attendebatur.

Vertebatur annus 1586 quo venerandus senex extra Cartusiam, monasterii nimirum ambitum, bacillo grandævi corporis invaletudinem sustentando progrediens alicujus necessitatis gratia, ab uno ex sufferratis mulis onerariis casu percutitur. Ex quo semimortuus ad cellam reportatus est. Effœto enim corpore jam fractus, soleæ ferreæ ejusmodi animalis ictum graviorem non sustinens, per multas horas visus est deliquium incurrisse. Ad se tandem reversus, agnovit sibi mortem adesse in januis, quantumlibet medici et chirurgi bene opinarentur de reditu sanitatis : quod sane in virili et vegeto corpore præsumi poterat, sed de sene silicernio vix expectari. Visitatur a suis collachrymantibus, qui et eum de recuperanda sospitate commonent; sed ad has lachrymas et ad hæc verba subridens vir pius et Cœli candidatus, ipsos male sentire indicabat.

Quidni etiam jubilaret in ipso agone sanctus senex, qui meruerat rescire sui exitus diem a Beatissima Virgine Maria, quam post Augustissimam Triadem unice coluerat. Quotidie Missam de ea audiebat post Conventuale Sacrum. Demum cum extremam horam sibi instare cerneret, ejus rosarium inchoavit, dans in mandatis adstanti sibi monacho, ut illud pro se compleret, si advenientis mortis singultu non posset illud per se prosequi. Quod et factum est; nam in medio cursu agens animam, ubi alter perfecit, ipse quoque beatum emisit spiritum inter Deiparæ manus, sibi, ut fertur, apparentis, anno 1586, in pervigilio ejus Nativitatis. Decessit post Completorium; unde juxta morem Ordinis ejus obitus describitur in Kalendariis Domorum die 8 Septembris.

Ejus Vitam tum ex F. Ganneron, tum ex aliis Manuscriptis collegimus.

PETRUS NOGUEZ

CONVERSUS VALLIS CHRISTI

Cathalonus; Cartusianis Vallis Christi nomen dedit, anno 1553, in Vigilia S. Joannis Baptistæ. Excelluit imprimis obedientiæ atque humilitatis virtute; cumque præterea haud vulgari morum gravitate modestiaque exornatus esset, ei demandata fuit pistrinorum cura.

Quæ cum Petrum degere cogeret extra monasterium, ita semper erat sollicitus circa sui custodiam, ut nihil in ipso nisi bene compositum appareret, nihil ex ore illius excideret quod non redoleret pietatem. Suspensam etenim in Deum mentem gerebat, licet exterioribus multum occuparetur : unde verborum parcissimus, si loqui sibi ex necessitate contingeret, statim atque negotium cum aliquo absolverat, a superfluis sermonibus se abstinens recedebat in secretum, orationi vacaturus.

Tanta vitæ sanctimonia promiscuæ plebis venerationem adeo ei conciliaverat, ut nullus auderet proferre verbum, quod aures Petri offenderet; si quid enim audiret minus honestum, reprehendebat æquo liberiores. Singulari devotione Beatissimam Virginem Mariam et Undecim mille Virgines coluit; quarum opem per triginta annorum spatia quotidie inclamans, earum tutelam feliciter expertus est, dum moriens, anno 1591, die 8 Septembris, ab ipsis invitatur ad beatam immortalitatem.

Ex Annalibus Vallis Christi Joachimi Alfaura.

FRANCISCUS DE ASTUDILLO

PRIOR DE MIRAFLORES

Professus hujus eremi; propter insignes suas virtutes diversis vicibus ad varia hujus monasterii admotus officia, his perfunctus est magna cum omnium laude. Tanta etenim ciborum parcitate, sensuum mortificatione, tanta morum disciplina, tanto regularis observantiæ zelo studioque paupertatis semper aliis præluxit, ut omnes in eo sanctitatis spectarent simulachrum. Ita autem fuit addictus orationi rerumque cœlestium contemplationi, ut post Nocturnas preces decantatas ad cellulam reversus nihil fere somno indulgeret, in oratione perseverans. Per quinquennium in hac Domo Prioratum tenuit, quem abdicavit tandem præ solitariæ Vitæ desiderio. Quamdiu autem præfuit, se se liberalem admodum exhibuit erga pauperes. Vicarium agens migravit ad beatam immortalitatem, anno 1615, die 8 Septembris.

Ex Mss. hujus Domus.

BENEDICTUS PELLICANI

MONACHUS BONONIÆ

Nobilis Bononiensis ; a parentibus puer ad omnem institutus pietatem excultusque literarum studiis, factus grandior arma tractavit. Peditum turmæ præpositus, strenuum se gessit ducem non minus morum probitate, quam animi magnitudine clarum. At paulo post tum generis tum virtutis suæ splendori maximas suis vitiis tenebras offundens, eo scelerum pervenit, ut omni flagitiorum genere contaminaverit pri-

mum juventutis florem. In alea, vino, popinis, lupanaribus omne consumens patrimonium, eo usque tandem devenit, ut ad omnem effusus libidinem, nobili quadam puella sub civium oculis abuti non erubesceret.

Quem nec pudor ab infamia, nec generis ac familiæ macula a turpitudine avocabant, Deus qui dives est in misericordia, quandoquidem in eo decreverat ostendere divitias suæ bonitatis, illum pertraxit ad meliorem frugem subitanea morte puellæ, quam deperibat. Hoc inopinato casu perculsus, decrevit probrosæ et inverecundæ vivendi rationi ipsoque etiam sæculo penitus renunciare. Præteritorum igitur criminum gravitatem ante oculos ponens, peccatorum dolore saucius, adiit Cartusianos Bononienses, ut apud eos dignis pœnitentiæ operibus anteactæ vitæ maculas abstergeret. Erat per id temporis hujus monasterii Moderator venerandus Pater Joannes Baptista Capponi, qui cum hominem a vitiis perfecte revocatum atque omnino a priori animadverteret immutatum, habitu Religionis illum donavit, anno 1594, mense Novembri.

Hujus viri conversio, cunctos qui eum perditissimum noverant, in summam rapuit admirationem. Neque id frustra : in ipso etenim probationis anno jam supremum monasticæ perfectionis gradum assecutus videbatur, adeo ut cum Apostolo dicere posset : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia,* quæ *in me vacua non fuit.* In eo elucebat profunda humilitas, mira hominis exterioris compositio, silentii et solitudinis amor, Statutorum ad amussim observantia, studium orationis, singularis erga divinum cultum et Officium devotio, suique ipsius custodia. Vacabat cum volupe rerum cœlestium contemplationi, ubi diu tanquam extaticus perseverabat. Perennes etiam lachrymæ defluebant ab ipsius oculis ob peccatorum memoriam.

Evoluto probationis anno, vota nuncupavit in ipsa Conceptionis Beatissimæ Virginis Solemnitate, assignatis prius Cartusiæ in annuum redditum ducentis libris. Deo igitur consecratus, velut arbor juxta rivos aquarum plantata, virtutum omnium uberrimos dedit fructus, excrevitque usque ad sanctitatis fastigium. Haud alio quam obedientiæ spiritu sibi vivendum præstituens, mortuum se super terram existimabat, propriam habens exosam voluntatem. Ita autem stabilitatis, quam Ordo noster profitetur singulariter, amator erat, ut non solum in eadem Domo, sed in ipsa etiam cella, ubi tyrocinium exegerat, ad obitum usque permanserit. Ibi in virum mutatus alterum, studiosissimus paupertatis sectator nihil possidebat præter Deum. Vix concedebat sibi quæ ad victum, vestitum ac cellæ supellectilem erant necessaria.

Cumque vehemens pro Christo patiendi desiderium in animo gereret, tam profunde illud sibi insculpserat, ut quo-

tidiana illi essent jejunia : solo etenim pane contentus, vel saltem jusculo, aut oleribus, quæ illi cocta subministrabantur hebdomadatim. Iis autem tantum sub vesperam, non ad saturitatem, sed quantum vitæ sat esset ad parcitatem, vescebatur. Lautioribus cibis dimissis, viliores reddebat insipidos aquæ commixtione. Ita gustum maceraverat, ut sæpe sæpius aquam pro jure sumeret. Nec minus in potu parcus, modico vino calido et acido utebatur, quod etiam frigida temperabat. Carnem prolixis et quotidianis flagellationibus asperrimoque cilicio castigans, nunquam per hyemem ad focum visus est accessisse, caloris æstivi etiam patientissimus. Nihil in morbis remittebat de consueta asperitate; ac ita semper abhorruit ab omnibus oblectamentis, ut nunquam in acutissimis doloribus sibi culcitram laneam substerni permiserit. Tanto flagrabat patiendi ardore, ut si materies deesset, digitos suos forficulis scindens, quotidie cæsionem refricaret. Corpus tandem velut spiritus hostem infensissimum aggressus, nihil relinquebat intentatum, quo illud cruciaret perpetuæ mortificationis martyrio.

Inter tot ac pene incredibiles vitæ asperitates quibus Benedictus adversus carnem pugnabat, quam mactabat velut gratam sacrificii hostiam, illud in eo plane erat mirabile, quod semper robusto fuerit et vegeto corpore, quasi inter splendidas epulas et quotidianas delicias fuisset versatus, Deo sic remunerante servi sui jejunia, valetudine longæva. Cumque par esset ad quælibet Instituti nostri pietatis exercitia, studebat imprimis legum monasticarum observantiæ. Singularitatis osor maximus, nihil habebat antiquius quam se ubique Statutis accommodare. Solitam ideo victus austeritatem intermittebat in refectorio festivis diebus, de omnibus appositis sibi promiscue comedens.

Diebus ad spatiandum statis, obedientia duce, se se (quamvis aliunde solitudinis amantissimus nunquam in cellam admitteret sæculares) Confratribus suis adjungebat. Vir autem erat tanta morum suavitate, tanta mansuetudine præditus, ut ad omnes mentis moderationem exhibendam cunctorumque animos ad se alliciendos compositus esse videretur : ita comis, benignus, affabilis, factusque ad omnem humanitatis gratiam, ut se beatos censerent, quibus tunc illius consuetudine ac familiaritate frui liceret. Curabat sermones miscere de bonis, de acquirendis virtutibus ; modo rogabat aliquem Sacræ Paginæ sensum (quamvis illam perfecte intelligeret) sibi exponi. Nihil de generis splendore, nihil de facultatibus, nihil de sæculo proferebat. Omnes provocabat ad virtutis amorem mira verborum efficacia, afflictos solabatur, infirmos confortabat, singulosque erudiebat ad salutis scientiam. Solebat etiam in Spatiamentis, ne devotionis spiritum extingueret, Rosarium vel Defunctorum Officia solus vel cum alio recitare.

Per annos viginti circiter hanc servavit vitæ normam, donec oculorum acie præ senio illius hebetata viribusque corporis deficientibus, ab Officii recitatione et Missæ celebratione abstinuit jussu Superiorum. Intererat nihilominus quotidie Missæ Sacrificio, ibidem sacro Eucharistiæ pabulo reficiendus. In cellulam redux, quinque vel sex horas impendebat orationi; et quamvis esset immunis ab Horis Canonicis, conspiciliorum tamen opera ea legebat, ut pro suo modulo fervori faceret satis. Postquam autem orbatus fuit oculis, easdem, quæ Fratribus Conversis injunguntur, preces persolvens, his alias addebat in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, et pro Fidelibus in Purgatorio detentis. Cæcitatem æquo animo sustinens, lætus Deo gratias agebat, quod se illo sensu, quo toties fuerat usus ad culpam, privasset : nihil molestiæ præ se ferens, quod sibi non liceret amplius obire munia sacerdotis et monachi; aiebatque genis madentibus : « Indignus plane sum, qui hoc Angelorum ministerio fungar. Non hæc mihi in pœnam sed in gratiam contigisse reputo. Fiat Creatoris mei voluntas. »

Incidit tandem in febriculam, quæ attritum pœnitentiæ laboribus corpus sensim conficiens, imminentis mortis fuit præludium. Quando ægrotare cœpit, per visionem Beatissima Virgo illi prædicens obitus sui diem, pollicita est quod proximam suæ Nativitatis sanctissimæ Festivitatem cum Cœlitibus celebraturus esset. Tam fausto exhilaratus nuncio, ad hanc Solemnitatem se præparavit Benedictus, omnibus Sacramentis instructus. Adfuit promissa dies nulla nocte, nullo nubilo obscuranda; modesteque se in lectulo componens, effusus in orationes jaculatorias rogavit sibi legi Christi Passionem. Quæ dum recitaretur, ab Angelo suo Custode monitus extremam instare horam, corde, manibus, totoque corpore erectus divina virtute, quasi obviam Creatori procedens, spiritum emisit, die 8 Septembris, anno 1625, relicta haud vulgaris opinione sanctitatis.

Ex Vita ejus Italice descripta a quodam D. Fulgentio Cerrachoni Cartusiæ Bononiensis Priore.

SANCIUS COTAN

CONVERSUS GRANATÆ

Egregius pictor; electus, ut aiunt, ab utero, sanctus a puero. Vota nuncupavit anno 1604, 8 Septembris, jam quadragenarius. Per totum vitæ suæ spatium ambulans sine querela, se se præbuit non modo irreprehensibilem, sed etiam bonorum operum exemplar. Votorum imprimis memor, fuit illibatæ virginitatis et baptismalis innocentiæ fidelis custos; obedientia reverentiæ plena in Prælatos excelluit; perfectus adeo suæ voluntatis contemptor, ut semper aliis obtemperare gestiret.

Pauperrimus in vestitu ac in supel-

lectili, admirabilem in laboribus assiduitatem cum perpetua in cibo potuque parcimonia ita conjunxit, ut semper et minimum comederit et plurimum laborarit. Multis siquidem monasterium elegantibus ornavit tabellis; et ad omnes natus artes, inter cætera in Domus commodum tubos extruxit lateritios. Modesto tamen semper et honorum fugitante vir ingenio, nihili faciens picturæ tabulas, quas alii mirabantur, de se sentiebat humiliter, nullumque unquam jactantiæ verbum proferre est auditus. Ad viliora monasterii munia se demittens, nulli suam denegabat operam; officiosus semper in omnes, semper, licet occupatus circa plurima, quietus, sui compos, affabilis, pacificus et lætus secundum Sanctorum faciem. Sed quod mirandum magis, pluribus intentus nihil præter injuncta sibi curabat, cæterorum plane inscius : unde silentium nunquam ab illo violatum, arcta cellulæ custodia, e qua non exibat, nisi præeunte obedientia; festivis diebus negotium, oratio ac lectio spiritualium. Labore tandem, mortificatione, senio et hæmorrhagia consumptus, felici morte requievit, anno 1627, die 8 Septembris, relicta sanctitatis opinione.

LAURENTIUS LUCHINI

PRIOR BONONIÆ

Anno 1556, 5 Augusti, Bononiæ nascitur ex antiqua illustrique familia Senatorum; cujus Pater Vincentius, ob subministratum concivibus suis annonæ tempore frumentum non sine ingenti suæ rei domesticæ detrimento, Parens patriæ appellabatur. Laurentius felicissime politioribus litteris excultus, Neapolim, Romam et in Belgium profectus, ibidem negotialem argentariam, proprium familiæ suæ munus, exercuit tanta cum probitatis existimatione et Nobilium indigenarum plausu, ut ipsi puellam nummis centies mille dotatam obtulerint in conjugem. Verum cum audiisset res domesticas a discessu suo ruisse in deterius, parentibus quam sibimet consulere convenientius putans, revertitur Bononiam. Paulo post ad parentum sollicitationem sponsam sibi copulaturus nobilem Cæciliam Bombagi, spretis quæ ipsum manebant divitiis, statuit sæculo valedicere.

Clam igitur e paterna domo fugiens, se se recepit apud Theatinos : ab eis, anno 1602, 2 Februarii, donatus habitu Religionis, nominatusque Franciscus. Post expletum tempus probationis, die 5 Februarii subsequentis anni, emisit professionem, admissus communi omnium calculo. Nihil siquidem eo humilius, nihil modestius apparebat; qui magna etiam pollens doctrina, promotus est statim ad Subdiaconatum. Tanta autem virtute florebat apud illos Patres, ut sanctuarii custodia ei demandata fuerit. Porro cum Sacristæ munus sit infirmos visitare, extrema Christianæ pietatis officia exhibere morientibus,

ipseque a Superioribus delegaretur ad hæc obeunda charitatis ministeria, sicque cogeretur conversari cum sexu promiscuo; ut erat castitatis eximius cultor ac pudicitiæ, ratus hanc virtutem periclitaturam in frequentatione mulierum, sibi proposuit ad Cartusiensium stationem, utpote securiorem castimoniæ asylum, transmigrare.

Susceperunt Bononienses Cartusiani Franciscum libenti animo, rati mutationem hanc fuisse dextera Excelsi factam; non enim levitatis vel inconstantiæ spiritu ductus recesserat a Theatinis, sed afflatus divino Numine. Ne autem a Superioribus præfatæ Congregationis interturbaretur, virgo quædam Bononiensis, Pudentiana nomine, eximiæ admodum sanctitatis, divinitus illustrata, Francisci Confessarium monuit, ne illum a proposito deterreret, cum a Deo vocaretur ad hunc statum vitæ perfectioris. Anno igitur 1607, 1 Februarii, inter Cartusiæ Bononiensis Novitios annumeratus, anno subsequenti, in ipsa Purificationis Solemnitate, per professionem in monachorum Albo describitur, vocatusque fuit Laurentius.

Ubi optata solitudinis quiete se potitum videt, ita tenax erat silentii, ut hominum consortia fugiens, sola Dei præsentia delectaretur. Ut autem in cella perseveraret diuturnius, juxta priscorum Cartusiensium morem, Antiphonariis aliisque hujusmodi libris conscribendis artem et industriam impendebat. Scripsit insuper Quæstiones morales, quæ etiamnum in hoc asservantur monasterio. Porro cum Statutorum esset observantissimus, supra sanctuarii custodiam constitutus, cum omni studio ac diligentia exercuit munus injunctum. Erat accuratissimus in horariis precibus pulsandis, excultus in sacra supellectili, in officio vigilantissimus. Divinum opus tanto habebat in pretio, ut sæpe sæpius refectionem, ne res infectæ remanerent, in vesperam usque procrastinaret.

Admotus deinde officio Procuratoris, quamvis rerum temporalium sollicitudinibus molestissimis occuparetur, nihil tamen remisit de pristino devotionis fervore. Se negotiis non dabat, sed commodabat tantum; adeo ut meliorem sui partem curans, solitus erat furari horas succisivas orationi insumendas. Perfunctus multum utiliter hoc munere per annos aliquot, petiit instantissime a Visitatoribus, ut liceret sibi secedere ad Belriguardi Cartusiam præ solitudinis desiderio. Verum Reverendus Pater, qui jamdudum noverat Laurentium ad maxima quæque Ordinis munia natum, illum præfecit Cartusiæ Pontiniani, anno videlicet 1616. Post quadriennium in utroque statu utiliter transactum, Prior Lucæ renunciatur et post biennium, anno scilicet 1622, Tusciæ Convisitator. Sublato demum ad meliorem vitam V. P. Joanne Baptista Appiano Priore Bononiensi et Visitatore, unanimi monachorum consensu in defuncti locum suffectus, sanctitatis suæ radiis

Domum hanc, Tusciam et Ordinem illustravit.

Inter alias quibus decoratus erat virtutes, præcelluit in eo Angelica quædam hominis exterioris compositio, gravitas morum conjuncta cum insigni humilitate, tantaque suavitas, ut omnium sibi devinciret animos. Summus Ordinis Præses tanti faciebat Laurentium, ut vellet ipsum singulis annis adesse Comitiis generalibus, mire delectatus illius conversatione, cujus consilio in rebus arduis utebatur. Hæc Laurentii urbanitas non solum apud Cartusienses, ubi hospitabatur, singulorum benevolentiam ei conciliabat, verum etiam extraneos trahebat ad illius amorem. Nec mirum, cum et Hæretici Gebennenses Laurentium venerarentur; quotiesque in urbem acatholicam servus Dei, Capituli generalis gratia, peteret, summa cum humanitate excipiebatur, passimque Sanctus ab eisdem vocabatur. Nec frustra : sanctum etenim fecerat illum Dominus in lenitate, qua Christi perfectissimus imitator in subditos, in omnes se mitem corde humilemque exhibebat, ab omni fastu et imperandi austeritate imprimis abhorrens. Omnia omnibus factus, in omnes se vertebat formas ut suorum pacem, quietem ac consolationem procuraret, quorum necessitatibus larga manu promptaque subveniebat : se se demum accommodabat omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret. Vir natura benignissimus, leviores suorum culpas dissimulabat prudenter, ne eorum animos exasperaret intempestiva reprehensione.

Verumtamen vigilantissimus erat circa Statutorum observantiam. Hanc habebat in ore simul et opere. Hujus amorem et studium suis monachis instillabat suaviter, invitos etiam blande compellebat ad regularis observantiæ praxim. Quod si delinquentem deprehenderet, nullum unquam arguebat publice, ne pudore suffunderet; solebatque monachos in Capitulo coadunatos commonere simul, ut singuli, quæ audiebant ab eo, sibi sapienter adjicerent. Horas Canonicas, quæ persolvuntur in choro, tanta religione prosequebatur, ut præscriptas illarum mediationes ac pausas, tam diurno quam nocturno tempore, ne minimum quidem pateretur præteriri. Si quos cerneret paulo plus celeriter ac præcipitanter tanto ministerio incumbentes, ipse cantu contentiori, vel verborum protractione, currentes sistebat. Interdum etiam si cantus discrepantia oriretur ex sinistra parte chori, Laurentius in sua sede stans conjungebat se psallentibus sinistræ illius partis, ad quam nonnunquam accedebat, ut ipse forma gregis factus, sua voce cæteros provocaret ad decantandas Dei laudes juxta modum et ritum Cartusiensem.

Sollicitus etiam multum erat, ut ad campanæ pulsum monachi statim pergerent ad ecclesiam ; et si quem animadverteret minus diligentem, ipse stans ad cellulæ suæ januam benigne

monebat tardiuscule procedentem in templum, ut imposterum citius egrederetur. Exigebatque a singulis, dum per claustrum incedebant, eam corporis compositionem et gravitatem quæ sanctos deceret. Quamobrem ea a nobis violari, aut minus, quam par est, diligenter observari, velut piaculum existimari debere affirmabat. Spatiamentorum diebus, si monachi protraherent recreationem, ad eos accedebat rosarium manu gestans, ut hoc signo cellam repetere illos compelleret.

In minimis fidelis Laurentius quælibet tum Prioris tum Visitatoris munia diligentissime obibat, modo per sermonem, modo per epistolam singulos excitans ad gradiendum per sanctioris vitæ semitas.

Dum autem se se præberet bonorum operum exemplar, contigit ut, annis 1629 et 1630, Bononiensis ager ipsaque civitas dira lue devastarentur. Cumque nullis terminis coercita, longe lateque quacumque sæviens, nosocomiorum ministros sustulisset, nec esset parochus, nec sacerdos, nec vir ecclesiasticus, qui infirmos cœlestibus auxiliis divinisque Sacramentis reficerent aut ulla re possent opitulari; Eminentissimus Cardinalis Spada Summi Pontificis Legatus, supremusque Magistratus urbis, populum ad has redactum angustias non sine ingenti dolore videns, accersivit Laurentium, rogavitque ut sibi monachos aliquot suæ Domus, qui peste correptis inservirent, concederet. Ad hæc Prior de aliena magis quam de propria salute sollicitus, advolutus ad Cardinalis pedes, metu omni mortis postposito, se devovet epidemia correptis. Tanta charitate commotus Cardinalis dicit se non duce sed militibus indigere, subjungitque sufficere duos sacerdotes et Conversum, qui gererent infirmorum curam. Et in suæ in Cartusianos benevolentiæ argumentum promisit Laurentio, quod initum a Magnatibus urbis de collocandis apud Cartusiam infirmis consilium dissiparet.

Redux ad suos pius Pater, convocatis omnibus juxta morem suum, jussit ut gratias Deo persolverent pro servata Domo, divinamque inclamarent opem. Exponensque illis gravissimam urbis calamitatem, se seque prompte ægrotantium ministeriis obtulisse, vix illis voluntatem Cardinalis declaraverat, cum universi ultro se Patri exhibere, ac pro ægrotantibus animas fundere parati conspiciuntur. Exorta inter illos pia contentione, res sorti commissa (excluso tamen venerabili Laurentio ob grave senium et infirmitates) cecidit supra Joannem Mariam Tavaroni Vicarium, quondam Religiosum Societatis Jesu, Dionysium Benedelli monachum sacerdotem, et Hieronymum Baggi Conversum : hos selegit Deus singulari quadam providentia, quippe qui ad hoc eximium charitatis opus exercendum haud vulgari morum probitate digni fuerant. Verum cum sacer hic mo-

nachorum cœtus ardentioris dilectionis facibus æstuans se fraudatum a suo desiderio videret, tanta egit instantia apud Laurentium, ut ipsis acquiescere coactus iterum duxerit sortes. Igitur tribus supranominatis adjuncti fuere per sortem felicissimam, Michael Petrini seu Negriori (Negrettus), Joannes Castelvetri, Lucius Maria Pazelli et Joannes Baptista Hellerini monachi sacerdotes, Fratres Raphael de la Torre, Andreas Montarselli, et Antonius Scala Conversi professi Florentiæ. Hi omnes cum omni studio languentibus ubique Sacramenta ministrarent, spiritualia corporaliaque conferrent subsidia, morientibus adessent, nihilque mortis pericula facientes nullum pietatis prætermitterent officium, charitatis triumpho celebres, eodem morbo correpti fere omnes, voluntariam mortem subierunt. Ex his superstites tantummodo fuere D. Lucius Maria Pazelli et F. Antonius.

Excelluit inter hos Patres Joannis Castelvetri præfati sollicitudo, studium et industria erga ægrotos. Cum enim una cum aliis se huic ministerio consecrasset, omnique destitutos auxilio infirmos cerneret, ipse factus animosior eorum necessitatibus providit; cumque diu perseverasset in his exercitiis, meritis dives ob mores religiosissimos et vitam admodum exemplarem, peste occubuit. Cujus vices supplens V. P. Joannes Baptista Hellerini, qui alias Priorem egerat in Domo Pontiniani, pari vigilantia parique studio curavit peste correptos, eodem morbo sublatus obiit, relicta sanctitatis opinione. Horum obitus signatur in Charta Capituli generalis anni 1631.

Interim Laurentius Luchini filios se se in hæc charitatis officia impendentes invisebat quotidie, eis necessaria quæque subministrans; satagebat insuper iratum Numen orationibus, Sacrificiis et eleemosynis placare. Nec frustra; illæsa siquidem remansit Cartusia servi Dei precibus, sicuti etiam sanctæ Annæ hospitium et reliquæ hujus monasterii grangiæ intactæ fuerunt ab hac lue.

Cum autem eximiæ Bononiensium Patrum charitatis fama per Italiam diffunderetur, Cartusiani Ferrariæ facti Fratrum suorum æmulatores, per litteras V. P. Laurentium Tusciæ Visitatorem instanter rogaverunt, ut liceret sibi ægrotis idem præstare obsequium; cui epistolæ Prior Ferrariæ primus omnium subscripsit, cum viginti Religiosis. Versabatur ibidem per id temporis V. Marcus Mondonelli Prior Venetiarum, qui suum chirographum litteris adjecit.

In extraneos infirmos ita affectus Laurentius noster, paterna plane viscera gerebat erga suos, si morbo tenerentur. Advocabat imprimis medicos peritiores, injungebatque ut ea, qua par erat, diligentia et sedulitate cibi delicatiores ac salubriores infirmis porrigerentur. Eorum cellulas semel saltem singulis diebus perlustrans, ab his si qua forte re indigerent, sollicite quærebat. Ipsos

recreabat piis sermonibus, delegabatque monachos qui morbi tædium et molestias temperarent, illosque spiritualiter solarentur. Rediens e generali Capitulo vel e Visitationibus, post salutatum devotissime Augustissimum Altaris Sacramentum, exceptosque in cellula sua perhumaniter monachos, qui advolabant benignissimo Patri salutem dicturi, ipse nulla interposita mora invisebat ægrotos, quorum morbos mire sua præsentia leniebat : ad adventum siquidem optimi Pastoris reviviscebant languidi. Unde non immerito mœrentium et afflictorum Consolatoris nomen adeptus est.

Porro cum nullus esset qui se absconderet a calore Laurentii charitatis, vir adeo pauperum amator erat, et in eos tam liberalis, ut (cum de Christo Domino dixerit Apostolus : *Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives*) is e regione, cum paupertatis perfectissimus esset sectator, dives fieret, ut pauperes ipsius opibus ditarentur : amplissimas stipes eis erogabat, adeo ut egenorum et calamitosorum esset asylum Cartusia Bononiensis. Imprimis autem eorum, quos palam mendicare prohibebat pudor, sublevabat inopiam; se seque ad viduas, ad orphanos, ad afflictos quosque extendens, velut parens quædam benignissima, cunctos in sinu laxissimo gestare videbatur, cum flentibus flebat, gaudebat cum gaudentibus, omniumque ita portabat onera, ut cum infirmis infirmus, cum mœrentibus mœrens efficeretur.

Dum lues grassabatur, non modo ingentem pecuniam impendit in pauperum usus, verum etiam sacram ecclesiæ supellectilem argenteam, quæ multa erat, deficiente pecunia vendidit : satius existimans Christi membris subvenire, quam materiale templum exornare. Profusam Laurentii liberalitatem Deus sæpe sæpius rei domesticæ multiplicatione remuneravit.

Rogatus aliquando a monialibus parthenonis *Corpus Domini,* ut eis certum vini numerum in publica et gravi egestate largiri dignaretur, cum id illis suppeditare nequiret absque multo suæ Domus incommodo, jussit pro vino eis frumentum tradi. Verum incogitanter scripsit in scheda, ut vinum pro frumento Domus Œconomus illis erogaret. Interim errore statim cognito, id Dei providentia factum non dubitans, quod scripserat imprudens, ex animo ratum habuit. Deus cumulatissime reddidit eleemosynam, dum, cunctis tractus Bononiensis vineis grandine devastatis, a vinetis Cartusianorum hoc malum avertit.

Mandaverat Laurentius bina farinæ onera piscatori cuidam summam patienti penuriam, prædictis vero monialibus calathum variorum florum deferri. At plaustrarius, cui hoc injunctum fuerat, calathum florum porrexit piscatori stupenti ad hoc insolitum munus, farinam vero dedit monialibus. Hæc ut rescivit Prior, probavit hallucinationem; tanta etenim erat Sponsarum Christi

inopia, ut ne frustulum quidem panis tunc haberent, quod ultra ducentis monialibus apponeretur.

Vir in alios ita effusus, sibi soli parcus erat. Jejuniis siquidem addictus, unica refectione, quam sibimet ex residuis monachorum pitantiis colligebat, erat contentus, nusquamque comedebat nisi sub vesperam. Quoties autem in refectorio aderat, manducabat de eis quæ sibi subministrabantur, ne vitæ illius asperitas subditis hanc imitaturis noceret. Statas etiam observabat rigide Ordinis abstinentias, ut illatas divinæ Majestati sæcularium intemperantia injurias elueret.

Sagaci erat ingenio et peracri ad tractanda negotia, ut nec eorum pondere gravaretur, nec obrueretur mole; unde rebus in arduis æquam servabat mentem, et adversa quæque placidissime sustinebat. Audita aliquando nepotis cujusdam sui, in quo familiæ suæ spes omnes nitebantur, præmatura morte, constanter adeo hoc nuncium excepit ac si fortunatum quid accepisset. Hæc animi fortitudo non ex inculta vel agresti mente emanabat: nemo etenim erat Laurentio urbanior, nemo affabilior, qui vivendi austeram rationem multa lenitate condiens, nemini unquam, sed sibi soli durus et rigidus fuit. Tenerrima erat in Deum pietate, in defunctos compassionis sensu, pro quibus frequenter Sacrum offerebat Missæ Sacrificium.

Tandem cum ad omnis sanctitatis perfectionem et consummationem pervenisset, bonus senex Cœlo maturus, anno 1640, profecturus in Galliam scripsit epistolam intimorum animi sensuum fidam testem, quam in Vicarii manibus deposuit, rogans ut, accepto mortis suæ nuncio, illa legeretur præsente Conventu. Bononiam postea reversus, hanc a Vicario redditam sibi, subsequente anno pergens ad generale Capitulum, iterum eidem Vicario tradidit. Demum cum post celebrata Ordinis Comitia Serenissimum Florentiæ Ducem ob quædam negotia convenire necesse haberet, inter calores æstivos direxit iter ad Pisarum Cartusiam; exinde per Lucæ Domum transiens, vix Maggiani Cartusiam ingressus, correptus dyssenteria decubuit, ibidem sepeliendus, sicuti multo ante prædixerat se extra Domum suam esse moriturum.

Mox ut Laurentii morbus divulgatus est, plurima pro ejus incolumitate vota nuncupata sunt. Publica sui doloris argumenta Bononienses cives præbuere : exposita palam fuit Eucharistia in parœcia S. Isaiæ, quam multis sublevarat eleemosynis; id etiam actum est in aliis templis celebribus. Ingens factus est civium concursus, ut Laurentii salutem qua precibus, qua lachrymis impetrarent. Verum summus vitæ et necis Arbiter servum suum remuneraturus, pia felicique morte de luto fæcis et de valle miseriarum eduxit in sortem Sanctorum, anno 1641, in ipsa Solemnitate Beatissimæ Virginis Mariæ, ætatis autem anno 69.

Hunc luxit ut amantissimum patrem non solum Cartusia, sed et tota civitas Bononiensis, ubi diversis in ecclesiis perhonorifice parentatum est, magna cum populi frequentia, communi omnium fletu, tantaque pompa, ut Patrem populi seu patriæ Parentem mortuum dixisses. Hoc lemma appensum est super urbis mœnia in scutis tesserariis : *Domnus Laurentius Luchini Pater Pauperum.*

Ejus Vitam quidam Anonymus Italice descripsit, e qua hæc excerpsimus.

IX DIE SEPTEMBRIS

JOANNES DE GOTTINGEN

PRIOR ARGENTINÆ

Vir religiosissimis moribus exornatus; ab anno 1366 usque ad annum 1374 hujus eremi Moderator. Præfecturæ sarcinam excutiens præ solitudinis desiderio, meritis dives sancte decessit, anno 1382, die 9 Septembris.

Ex Catalogo Priorum Domus Argentinæ.

JOANNES PREVOST

MONACHUS FONTIS B. MARIÆ

Hic dum hospitaretur in Domo Bassævillæ, ab Hæreticis immaniter trucidatus, martyrii palmam assequitur, anno 1562.

De eo meminit Franciscus Ganneron in suo Martyrologio Cartusiensi ad diem 9 Septembris.

JOACHIM A TONGERLOO

PRIOR RUREMUNDÆ

Post direptam ab Hæreticis Cartusiam Ruremundensem et ab eisdem occisos hujus eremi monachos, ipse ab impiis illis habitus immaniter, et per aliquot hebdomadas dira captivitate detentus, tandem evadens satellitum manus, in Cartusia Coloniensi spiritum Deo reddidit, anno 1572, die 9 Septembris. Erat suæ Provinciæ Visitator; vir multum spectabilis ob vitæ meritum et morum innocentiam.

Ejus meminit Arnoldus Havensius in Historia Martyrum Ruremundæ.

TITHELMUS BLARER

VICARIUS ERFORDIÆ

De quo Erfordiæ Chronicon agit his verbis :

Huic devoto Patri mille diabolus struxit insidias ad expugnandam ejus

castitatem. Cubanti aliquando in strato suo more Ordinis, mane quasi hora quinta inimicus humani generis formam mentitus et speciem ancillæ hortulani Domus, cubile introgressus, lecticæ gemens et flens miserabiliter astitit. Ille ad tam inopinatum feminæ ingressum territus, tremens ac stupens, cum indignatione cubili eam exturbare nititur, verbis etiam addens minas nisi cito recederet. At illa, dæmon, inquam, in forma ancillæ, fremens ejulansque rogabat, ut miseræ in angustiis constitutæ parceret: immeritam et sine culpa se ab hero suo hortulano male acceptam et ocyus domo exturbatam queritans, ut ad modicum tempus ipsam confoveret, obnixe et cum lachrymis postulavit.

Atque hæc interim dum lachrymabunda referebat, animi dicti Patris lenire ac mulcere subinde procacis instar mulieris attentans, lecticæ ejus propius paulatim, ipso inscio et inadvertente, adjunxit; ac demum etiam ipsam scandere dum impudenter intendit et adnititur, ille protinus, divina eum protegente gratia, insidiis et periculo animadverso, a lecto exiliens et propere ad exturbandam procacem Superiores evocaturus excurrit. Veniunt illi ; at quam ejiciant aut exturbent, inveniunt nullam. Dum enim vestigia ejus sagacius investigant, non hominis sed pecudis subinde pavimento impressa offendunt. Rei ergo novitate Patres qui convenerant perculsi, veritatem certius expiscaturi protinus hortulanum accersunt ; cumque si ancillam male tractatam domo expulerit inquirunt, negavit ille, asserens quoniam nec duriori quidem verbo eam compellasset. Patres ergo discussa rei veritate, insidias inimici cognoscentes, Dei collaudavere misericordiam et bonitatem, ut qui servos suos non sineret tentari ultra id quod possent sustinere, sed faceret cum tentatione proventum. Obiit anno 1597, 9 Septembris.

DOMINICUS MINGUEZ

CONVERSUS PORTÆ CŒLI

Hujus Vitam describit Joannes Baptista Civera in Historia Portæ Cœli, cap. 32, quam hic damus de verbo ad verbum :

Natus est hic famulus Dei, multa religione ac devotione clarus, in oppido Arnero regionis Soriæ (olim dicta Numantia), ex humilibus parentibus, qui in agrorum cultura et in pascendis pecudibus occupabantur; quo in ministerio adolescens adhuc Dominicus servivit in nostra grangia de Bexis. Deinde propter insignem ejus devotionem ac assiduas petitiones, ad habitum Conversorum receptus est, anno 1572, in Vigilia Conceptionis B. M. V.

Fuit statura procerus ac magni roboris; quapropter nullo labore fatigabatur, ac si oportuisset eum in sudore vultus sui vesci pane suo. Otii osor maximus, continue operabatur aliquid quod bonum esset manibus suis. Ama-

bat ex corde Domus utilitatem, atque honorem ipsius zelabatur totis viribus. Unde cum per aliquot dies Valentiæ eum residere oportuisset, hoc unum habebat solatium, in tectum domus ascendere, et inde versus monasterium Portæ Cœli aspiciens orationes suas recitare. Speciali inclinatione ferebatur ad inserendas arbores, maxime olearum et siliquarum : ex cujus labore non modicum commodum Domui provenit, nam ante ipsius ad Ordinem adventum, opus erat illas emere multa pecunia ; deinde per ejus industriam abundabat etiam ad vendendum. Fuit etiam solertissimus gregium pastor.

Sed quod plus æstimandum est, mira benignitate et clementia præditus fuit ; unde de eo non incongrue dici poterat illud Job : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio ; nam oculus fui cæco, et pes claudo*. Hominibus ac etiam animalibus, in quantum poterat, benefacere semper studuit. Unde ab omnibus vicissim amabatur et summæ venerationi erat, adeo ut, ad distinctionem et differentiam alterius Conversi ejusdem nominis, nonnunquam a sæcularibus Frater Dominicus Sanctus vocaretur. Multis annis ante ejus obitum, dum Pater D. Marcus Brizuela loqueretur (me præsente) cum quibusdam monachis de ipsius virtutibus, dixit : « Qua die F. Dominicus morietur, corruet absque dubio columna hujus Domus. » Et verum illum prædixisse aperte cognoscimus, qui adhuc vivimus.

Erat insuper simplex ac purus velut infans unius diei, absque ulla sinistra suspicione, ac tanto corporis et animi candore, puritate ornatus, ut juxta Confessarii ejus testimonium, illibatum virginitatis florem usque ad obitum conservarit. Et ne dum dormiret ex inadvertentia aliquam sui corporis partem nudam tangere posset, ligabat manus suas quadam lacinia panni, sicut et S. Edmundus (ut refert Surius) et beatus Henricus Suso Dominicanus pariter faciebant.

Quadam vice, dum iret solus ad recognoscendos greges, qui per aliquot milliaria a Domo distabant, vidit procul quamdam mulierem juxta viam sedentem satis ornatam et elegantem, quæ dum appropinquavit, dixit ei subridendo, ut daret sibi manducare et bibere ; et in eodem momento adfuit turpis cogitatio. Quapropter respondit ei indignans : « Non habeo quidquam quod tibi dem. » Et cœpit fugere festinanter, Deo se ex corde commendans ; atque hoc modo liberatus fuit a tentatione. Et solebat postea dicere, quod considerata loci solitudine et minime trita via, ubi mulier illa apparuerat, existimabat dæmonem mulierem mentitum ad ipsum decipiendum se se illi obtulisse.

Virtuti castitatis adjunxit hic religiosus Frater singularem erga B. Virginem Mariam devotionis affectum. Quæ, juxta S. Damasceni sententiam, pura est et purorum amans, Virgo et virginum amans : quapropter si vitia prom-

pto et alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio atque amore complectamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum in nostris cordibus habitantem assumet. Qua de causa creditur purissimam Matrem quandoque invisisse et alloquio consolatam fuisse hunc suum devotissimum. Nam quadam vice, inopinate inter loquendum dixit : se in oratione nocturna vidisse quasdam luces et splendores. Quod cum mihi relatum fuisset ab uno ex audientibus, hujus rei certior fieri desiderans, quam primum solum eum invenire potui, obnixe rogavi, ut ad instructionem meam et ædificationem, quænam illæ fuissent luces quas viderat, declararet.

Tunc ille : « Splendorum quidem illorum vix jam recordor ; sed alterius beneficii, quod a Beatissima Virgine licet indignus habui, recentior in me permanet memoria. Nam cum gravi quadam sollicitudine et afflictione defatigarer, suppliciter B. Virginem orabam, ut me in illa molestia, aliqua consolatione dignaretur. Et dum precibus solitis instarem in cella nostra, nocte quadam post Matutinas, lucerna extincta, subito tanta luce et splendore refulsit illa habitatio, ac si sol ipse ortus in ea fuisset ; unde valde timebam, ne a prætereuntibus insolitus luminis fulgor per ostii rimulas observaretur. Et inter hanc lucem Beatissima Virgo Maria conspicua enituit, vultu blando et benigno cor meum lætificans, ac discussis tenebris molestiæ præteritæ, gaudio inenarrabili et incredibili animam meam perfundens. Atque post moram illa Beatissima disparuit. Et ego remansi solus, sed mutatus in virum alterum, gratias ingentes Deo et piissimæ Matri ejus reddens pro tam singulari beneficio. »

Veritas hujus visionis nititur sola ipsius narratione et fide, quæ apud nos, qui perspectam hominis veritatem et simplicitatem habemus, plenissimum et certissimum habet testimonium. Adde lachrymas copiosas, quas inter narrandum effundebat ; adde pudorem et verecundiam, qua suffundebatur, dum hanc rem referret ; adde denique arctissimum secretum et silentium, quod multoties hujus visionis a me postulabat : ex quibus omnibus hujus rei veritas satis superque confirmata apparet.

Pluribus aliis virtutibus excelluit pius iste vir, quibus præluxit et exemplo fuit iis quibuscum conversatus est per quadraginta quinque annos, quos in Ordine peregit. Sed cum jam sexagesimum tertium ætatis annum ageret, et nonnullis infirmitatibus vexaretur, placuit Deo ut, ardente febre correptus, post dies octo vitam finiret. Sacramenta ecclesiastica antea cum omni devotione accepit ; quæ dum illi ministrarentur, exemplum suæ innocentiæ nobis reliquit. Nam cum Patrem Procuratorem lecto propius accedere jussisset, quasi

de grandi quodam peccato veniam ab eo petiit. Peccatum autem hoc erat, quod nocte præcedente febris ardore defatigatus, pedes aliquantulum extendens ex inadvertentia vasculum fictile aqua plenum projiciens fregerat. Et paulo post summa pace et tranquillitate in Domino quievit, die 9 Septembris, anno 1609. Et quia omnes illum amabant et reverebantur, permulti ex monachis, Conversis et famulis Domus manus ac pedes ejus osculabantur ex devotione, ac pro Reliquiis aliquid ex suis utensilibus postulabant.

Hactenus Joannes Baptista Civera hujus Cartusiæ Vicarius.

GUILLELMUS

MONACHUS PORTUS B. MARIÆ

Post expilationem Cartusiæ Vallis claræ ab Hæreticis factam, cum iterum a Religiosis monasterium inhabitaretur, anno 1569, mense Septembri, Calvinistæ rursus Montis Pavonis regionem, in cujus medio sita est Domus, invadentes ac deprædantes, latrociniis ac rapinis suis atrocissima adjunxere facinora. Nam omnes ecclesias illius regionis, et præcipue Vallem claram cum claustris et universis ædificiis suis una eademque nocte flammis exurendas tradiderunt. Hoc certe ausu sacrilego ingemuit fidelium cordibus infusa pietas: gestiens vero furensque impietas ingentia ædibus sacris injecit incendia.

Sed nec quidem his contenti, in quatuor quos tunc Domi repererunt monachos irruerunt. Quorum tribus in acerba vincula et tetrum carcerem conjectis, quartum, Domnum videlicet Guillelmum, professum Portus B. Mariæ, hospitem Vallis claræ, veneranda canitie præfulgentem, id est octogenarium, vinctum in Ællam flumen projecerunt: qui aquis præfocatus in medio flumine occubuit. Sed tamen, divina id agente Providentia, ad ima penitus demergi non potuit.

Quocirca pius quidam notarius regius, singularis amicus Vallis claræ, qui necessitate potius quam voluntate huic horrendo spectaculo aderat, hæc omnia per Ordinem narravit et scriptis mandavit. Hæreticis a monasterio discedentibus, corpus venerabilis senis ab aquis extractum in cœmeterio Conventus deposuit; alios vero tres monachos qui in vinculis erant, prudenter sane, sæcularibus vestimentis indutos, servandos deduxit Burdegalam.

Ex Historia ms. Ordinis nostri Nicolai Molin.

JOANNES HOVEL

COADJUTOR SELLIONIS

Professus Cartusiæ, anno 1648, die 25 Februarii; vir orationi addictissimus. Inter calculi dolores sancte animam Deo efflavit, anno 1687, die 9 Septembris.

X DIE SEPTEMBRIS

FERDINANDUS DE ZEREZUELA

PRIOR DE COVIS

Frater Illustrissimi archiepiscopi Toletani, domini Joannis de Zerezuela, et celeberrimi domini Alvari de Luna, Castellæ conestabilis; qui cum in ecclesia Toletana Hispaniarum primate Archidiaconatu, una ex quatuor dignitatibus præcipuis Hispaniæ, potiretur, relictis honoribus et quidquid ex fratre suo Archiepiscopo sibi promittebat, Institutum Cartusiense solemniter professus est, anno 1439. Arrepti propositi non immemor, quanto magis elegerat abjectus esse in domo Dei, tanto amplius ascensiones in corde suo mirifice disposuit.

Convisitator fuit et Visitator suæ Provinciæ, et in regimine tam spirituali quam temporali laudatissimus, sequens in omnibus vestigia sui antecessoris Ferdinandi de Turribus. Dum ageret Priorem in Domo de Covis, triticum in civitate defecit. Quapropter ipso ordinante tantum panis porrigebatur, quantum coqui poterat; et eo pervenit coquendi fervor, ut servi labore fracti ligonibus massam revolverent, pane integro singulis accedentibus porrecto, ita ut usque ad miraculum hydria farinæ non deficeret. Ab illo tempore sancitum est, ut hoc monasterium semper haberet provisionem tritici, et ad tempus collectæ novæ messis haberet semper repositas de antiquo ad minus fanecas mille supra ducentas.

Fundationem Cartusiæ de Caçalla, quam antecessor ejus Ferdinandus de Turribus inchoaverat, ipse ardore infatigabili promovit, possessiones illi et fere dimidium bonorum suæ Domus, ipsa tamen consentiente, elargiendo. Demum cum se se bonorum operum exemplar exhibuisset, omnibus charus migravit ad Dominum, anno 1476, die 10 Septembris : uti refert Ms. Cartusiæ de Covis, vel 10 Decembris, juxta Chartam Capituli generalis. Fuit etiam Prior de Paulari et Aniago.

HERMANNUS A PLETTENBERG

PRIOR WESALIÆ

Dilectus a Deo et ab hominibus. Per triginta octo et amplius annos hujus monasterii Prioratum tenuit, Ahod ambidexter; peritissimus etenim erat in utroque regimine : solers et vigilans in

temporalibus (quæ nusquam in Hermanno spiritum devotionis extinxerunt), Martham cum Maria perfecte semper conjunxit usque ad obitum, qui contigit anno 1556, die 10 Septembris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

JOANNES WILSON

PRIOR MONTIS GRATIÆ

Vir eximiæ sanctitatis. Cui (cum jam in Anglia pestilentia hæresis Lutheranæ grassari inciperet, Rexque divortium cum uxore meditaretur) apparens Christus, futura mala toti regno ex hæresi et orituro schismate imminentia detexit, sic eum allocutus : « Gens tua incipit me deserere, Religionem antiquitus vobis traditam ab Apostolis meis abolere, novam impiamque doctrinam introducere. Tu quid ad hæc? » Ille contra : « Pientissime Domine, non habeo quod respondeam; unum superest confugere ad asylum misericordiæ tuæ. » Tum Salvator : « Quid potui vobis facere, quod non feci? Dedi vobis quemadmodum amicus amico solet fibulam auream, hoc est liberam voluntatem, ut se possint emendare si velint; quod si nolint, sentient justitiam meam. Quales illi erga me sunt, talis erga illos ero; nisi convertantur ad me, avertar ab eis. » — « At piissime Domine, subjecit Wilsonus, saltem propitius esto nobis Cartusianis. » Christus autem : « In hoc, inquit, annuo petitioni tuæ. Veniet enim tempus, cum pro qualibet Cartusia, quæ modo in Anglia est, tres erunt. »

Hæc ex litteris V. P. Georgii Transami Prioris Neoportus ad nos scriptis excerpta sunt.

[*In quodam Manuscripto, quæ supra dicta sunt de D. Wilson, ejus prædecessori in Prioratu Montis gratiæ, D. Norton, adscribuntur.*]

Præfuit Joannes Wilson Monti gratiæ usque ad cædem Patrum nostrorum. Cumque Domum suam deserere coactus fuisset, mutato habitu diu in Anglia moratus est, donec regnante piissima et Catholica Regina Maria, Cartusia Shenensis Ordini restitueretur. Tunc enim Wilsonus, qui habitum non animum mutarat, cum pluribus aliis Cartusianum Institutum restauravit sub auspiciis V. P. Mauritii Chancæi, qui cum quibusdam ex exulibus Patribus in Angliam redierat, anno 1555. Sed paucis transactis annis mortua Regina, excidit omnis spes reparandæ Religionis. Quare et Nostri Angliam rursum reliquerunt. Decessit autem Joannes Wilson exul in Cartusia Brugensi, anno 1557 [?], 10 Septembris.

Ex Catalogo Priorum Montis gratiæ.

ROBERTUS MARSHALL

MONACHUS MONTIS GRATIÆ

Post perpessas multas ærumnas ob Sanctæ Sedis Apostolicæ defensionem, sedata paululum per Angliam tempe-

state, cum Cartusiani in restaurato recenter Shenensi monasterio vix se stabilivissent, ibidem diem extremum clausit religiosissimus Pater Robertus Marshall, anno 1557, die 10 Septembris.

Consule Notitias Cartusiarum Provinciæ Angliæ, ubi de eo fusius egimus.

ANDREAS HULLIN

MONACHUS VALLIS SANCTI GEORGII

Professus Cartusiæ Parisiensis. Anno 1567 ex Domo Bassævillæ ad Domum Vallis S. Georgii per Capitulum generale missus, vix anno expleto, ab Hæreticis hoc cœnobium deprædantibus sclopeti ictu percussus in odium Catholicæ Religionis, martyrio coronatur, anno 1568, 10 Septembris.

Ex antiquis Monimentis hujus Domus.

NICOLAUS DUGMER

MONACHUS SHENE

De quo Joannes Suertis Cartusianus Anglus in quodam Manuscripto agit his verbis :

« V. P. Nicolaus Dugmerus narrabat mihi : « Cum junior, inquit, essem, et in Anglia Sacristæ officio fungerer, contigit, ut lavarem corporalia et in horto meo madentia super lavandularum sepes expanderem ad solem. Inter prandendum subiit me cura eorum; exeo, ut videam rectene se haberent. Et ecce video Beatissimam Virginem Mariam horti pulvillo insidentem propter sepes cum Puero Jesu in ulnis, qui lavandularum carpebat gemmas, spargebatque corporalia. Quod cum viderem exclamabam : « Hæc corporalia absque me bene custodiuntur ; mihi licet dormire in utramque aurem. » Et hæc narrans ubertim fundebat lachrymas.

« V. P. Domnus Guillelmus Powellus, Magister meus et præmonstrator in Novitiatu, affirmabat de hoc sancto Patre, quod nunquam in tota vita innocentiam baptismalem aliquo peccato mortali inquinasset. Ipse autem multis annis huic Patri fuerat a Confessionibus. Hic etiam Pater, cum Religiosi monasteriis suis expulsi cum sæcularibus habitarent, nunquam eorum contubernio depravatus est, nec adduci potuit, ut carnes comederet, cilicium deponeret, aut de veteri austeritate aliquid remitteret. Et cum accersitum ad se Commissarii regii examinarent, quid sentiret de Rege supremam in causis ecclesiasticis potestatem sibi vendicante, respondit : « Sentio de eo, quod Deus cum sua Sancta Ecclesia sentit, et mihi persuadeo ipsum non melius sentire de se. » Commissarii hac responsione contenti, Patrem liberum dimiserunt. »

Hactenus Joannes Suertis. Decessit Nicolaus Dugmerus in Cartusia Lovaniensi anno 1578, 10 Septembris. Vixit in Ordine 50 annos laudabiliter.

JOANNES REYT

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Belga nobilissimus, filius Baronis Answanrregt, optimæ indolis adolescens ad omnem bonitatem figulatus fuit. Cujus pater veritus ne malitia Hæreticorum mutaret illius intellectum, voluit ut peregrinatione lustraret Hispanias. Cum autem Joannes Valentiæ moraretur, nummularii litteras, quibus necessaria filio suo subministraret, Baro dirigebat ad D. Hieronymum de la Bloquerie, Belgam, Vallis Christi monachum; qui Joannem natum ad virtutem videns, ad amplexandum Christi jugum adhortatur. Sortitus a puero animam bonam Joannes, piis acquiescens consiliis, anno 1591, Cartusianis dedit nomen suum. Peracto probationis tempore, in ipsa Solemnitate Dominicæ Annunciationis, emisit professionem.

Eluxit in eo comprimis mira quædam animi simplicitas, virtutum prænuncia et prima innocentiæ comes; quæ cum ab eo dolum omnem et simulationem expelleret, nihil sinistrum cogitabat unquam de proximo, nihil in quoquam mali suspicabatur, sed universa candido duntaxat ac simplici oculo noverat intueri. Omnia credebat, quamvis incredibilia. Cumque argueretur nimiæ credulitatis, respondebat, sufficere sibi res a sacerdotibus vel Dei ministris audiisse, ratus eorum labia semper custodire veritatem et ab ore eorum procul exulare mendacium.

Ex illa Christiana simplicitate perfecta illius obedientia exoriebatur, qua nec rem præceptam aliquando discernere, nec præcepti causam examinare, nec præcipientis modum, intentionem, imperium, finem discutere noverat. In eo ullus propriæ voluntatis sensus, quo ea vivere aut vigere agnosceretur, nunquam deprehensus fuit : hoc solum in animo versans, quo pacto voluntati Superiorum obediret. His accedebat perpetua morum honestas, pudicitiæ candor. Quibus cum animi corporisque sui puritatem a peccati labe ad obitum usque conservasset illibatam, tot exornatus virtutibus, perceptis devotissime Sacramentis, ad Principium suum remeavit, sancte mortuus, anno 1623, 10 Septembris.

Ex Annalibus Vallis Christi Joachimi Alfaura.

JOANNES SUBLET

MONACHUS PARISIENSIS

Dominus de la Guichoniere, in Camera Parisiensi rationum fisci Magister, vir probitate morum et insigni devotione præditus; in uxorem duxerat Magdalenam Bochart, filiam Joannis Bochart domini de Champigny, Noroy la Lande, Regii publico de statu consiliarii; sororem Honorati deChampigny Capucini, sanctimonia vitæ miraculisque nominatissimi [et sororem Christo-

phori Bochart, Cartusiani, Prioris Domus Ligeti].

Joannes Sublet ac ejus conjux erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Tantæ virtutis odor ita totam Parisiorum urbem replebat, ut audiret apud omnes veluti vir omnibus numeris absolutus in Christiana perfectione. Inter enim familiæ suæ sollicitudines ita abstractus erat a terrenis, ut orationi rerumque cœlestium contemplationi vacaret non secus ac monachus. Ter per hebdomadam abstinens a cibis omnibus, solo pane et aqua victitabat, variisque corpus suum macerabat mortificationibus. Hunc spiritus fervorem ignemque divini amoris fovebat familiaritas, quam contraxerat cum domino de Berulle Congregationis Oratorii fundatore, dominis du Val et Gallemant, aliisque viris non inferioris notæ.

Junxerat imprimis singularem amicitiam cum domicella Acarie, quæ per monasticam professionem famulatui divino consecrata virgines Carmelitas in Gallia instituit. Mira erga hunc sacrum Ordinem fuit Joannis devotio. Cum enim de illius fundatione in hoc regno ageretur, vir piissimus sanctæ istius Familiæ primitias habere cupiens, propriam domum in prædio de Noyers ita disposuerat, ut locus pro domicilio monialium aptissimus videretur. At divina Providentia rem aliter ordinante, præmeditatum opus imperfectum remansit. Verum enimvero quamvis Joannes fraudatus fuerit a desiderio suo, retributionis debitæ bonæ voluntati non amisit præmium. Hanc etenim consecutus est a Deo mercedem, ut pro terrestri domo, quam Domino præparaverat, ipse Dei vivi templum effectus cœlestem acciperet mansionem ; et qui in nomine Domini Sponsas ejus in castello suo excipere toties gestierat, sorte feliciori introiens in Dei tabernaculum, Cartusianæ Religionis habitu remuneraretur.

Id longe antea R. P. Honoratus de Champigny spiritu prophetiæ illustratus præsagierat : quod quidem accidit modo plane mirabili. Cum enim aliquando domini Bochart cum parentibus suis congregati essent, adfuit etiam prædictus Honoratus, qui de rebus divinis, uti solebat, sermones miscens, conversus ad Joannem Sublet : « Ad meliorem, ait, vitæ statum vocaris a divino Numine, Cartusiensemque vitam profiteberis post uxoris tuæ mortem. » Sexto abhinc anno Magdalena, Joannis conjux, pie persolvit naturæ debitum. Cui cum vir ejus parentasset, rebus domesticis rite dispositis, vaticinii non immemor omnem movet lapidem, quo inter Cartusianos annumeraretur. Ea quippe reverentia Honorati verbum susceperat, ut illius voci, non secus ac Divino cuidam oraculo, arbitraretur se teneri obedire. Id sæpe sæpius testatus est viro Dei, qui Divinæ voluntatis ipsi fuerat interpres.

Porro Bernardus Vassail, Cartusiæ Parisiensis Moderator sapientissimus, dum adhuc in humanis esset, eminenti et solido ad pietatem spiritu Joannem, ea tempestate Cameræ computorum Magistrum, alte imbiberat, Cartusianique rigoris elementa instillaverat discipulo suo. Qui apprime de rebus Instituti nostri a tanto Patre eruditus, cellulam obtinuit a Cartusianis, qui jampridem proselyti sui virtutem noverant. Voti igitur compos factus Joannes, Novitiorum numero coaptatur a V. Adam Ogier Priore. Annum agebat ætatis sexagesimum tertium veneranda canitie senex, cum attritum jam Christi sarcinæ collum novæ rursus observantiis disciplinæ submittere non erubuit, dum induit tyronis habitum die S. Matthæi, anno 1613.

Quam præclarum is in hac eremo novumque cœlestis vitæ Novitiatum instituerit, perinde ac si hoc primum tempore divino se obsequio mancipare cœpisset, haud facile potest referri. Tanta etenim vitæ austeritate cæteris animi virtutibus viam sternere cœpit, ut non humano sed lapideo corpore præditus videretur. Panis et aquæ jejunia juxta primævum Ordinis rigorem observabat ter in hebdomada. Utque fervori suo stimulos adderet, dicebat sæpissime : « Quo professio sublimior est et altior, tanto per hoc illius observantia strictior esse debet ac perfectior. » Rerum cœlestium contemplationi summopere deditus, vix necessarium oculis somnum indulgebat; quem, quoad in Ordine vixit, capiebat ad paucas horas, minime vestibus depositis.

His perpetuam quamdam contraxerat animi in Deum suspensionem, qua intus semper secum habitans, mentis cubiculum, ne per exteriores res evagaretur, occludebat diligentissime. Hinc solitudinis studiosus, raro cum sæcularibus viris colloquebatur. Nihil sibi præter simplicem quamdam rerum præsentium necessitatem usumque absque ulla cordis appositione vendicans, cuncta velut prætereuntia, nullaque ratione ad se spectantia, considerabat.

Quo autem spirituale Joannis ædificium altius firmiusque erigeretur, eo profundiores ipsius humilitas egerat radices, qua veluti purgamentum domus inutilemque plane servum se se existimabat. Ex hac sui ipsius despicientia, ita facile se subjiciebat aliorum regimini, ut tanquam in juvenilem ætatem revolutus, imo in puerilem, veluti modo genitus infans suis obtemperaret Superioribus, quos summa reverentia non secus ac quædam Divinitatis simulachra prosequebatur. Cartusia Vallis viridis, imo tota civitas Parisiensis, cum stupore simul et veneratione contemplabatur sexagenarium senem, paucis abhinc diebus in computorum Camera Magistrum, choro more puerorum inservire, tyronis alacriter viliora obire munia. Candelabra gestantem festivis diebus omnis plebs mirabatur; sed quid dico gestantem? cum jam po-

situs esset super candelabrum ipse lucerna ardens et lucens, ut vel ex tunc humilitatis eximiæ radios circumquaque diffunderet.

Post tam præclara Vitæ monasticæ præludia, absoluto probationis anno, 4 Kalendas Martii, vota professionis emisit communi omnium calculo receptus. Tunc in illo veram fuisse sententiam Patres probarunt, qua dicitur : Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit. Virtutis palæstram per totum vitæ spatium decurrerat Subletius; qui tamen, non secus ac si prima illius elementa non comprehendisset, Evangelicæ perfectioni manum admovit eo studio, eo spiritus fervore, ut coram Domino apparere vacuus erubesceret, sæpe sæpius hora undecima venisse doleret ad laborandum in illius vinea.

Hinc summa exoriebatur humilitas, qua in oculis suis sibi ipsi vilescebat. Hinc odium sui atque abnegatio, quæ hominem Dei ad omnium virtutum certamen provocabat. Hinc sui diffidentia, qua ad potiora Dei dona capessenda disponebatur. Hinc mentis pax et tranquillitas, quæ illum reddebat quietum pacatumque. Hinc assiduum mortificationis studium, quo tenaciter antiquorum Patrum vestigiis insistens, ter in hebdomada nihil præter aquam et panem degustabat; et in illo rigore ad extremum usque spiritum perseverasset, ni Superiores illius ardorem coercuissent, et multiplices abstinentias reduxissent ad unicam singulis septimanis.

Hoc fræno Joannes indiguit, qui jejuniis attritus et annis, aliquando post Matutinas deficiens, jacensque retro cellulæ ostium inventus est. Famulum habuit, qui statutis abstinentiis superaddidit alias; nam plerumque ejus prandii lautiorem melioremque partem sibi vendicans, vix necessaria subministrabat homini jam senectute ac inedia confecto. Id satis superque persentiscens Subletius, nusquam tamen de servi sui furtis conquestus est, ipsumque in flagranti delicto ab alio deprehensum deferri apud Cœnobiarcham impedivit.

Currebat viam Dei mandatorum summa cum animi alacritate, ab incœpto perfectionis itinere pedem nunquam removens, ætate licet fractus et austeræ vitæ laboribus, adeo ut jam maturus gloriæ videretur, cum ad cumulum meriti novum agonem emerito militi, quo illustrior ei exitus pararetur, Christus aperuit, dum illi eripuit luminis usum. Etenim quia Subletius Deo erat acceptus, necesse fuit ut eum probaret tentatio. Quamvis autem cœli lumen non videret, nunquam tamen super oculorum jactura lamentatus, dicebat cum beatissimo Job : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum!* Superabundabat gaudio, immobilis in Dei timore permanens. Sciebat quippe melius esse spiritu videre quam carne, satiusque esse illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere. Unde cæcitatem hanc non ut pœnam sibi accidisse credebat,

qui licet frontis, non tamen amiserat mentis oculos. Cæcitas venerandi senis Solem justitiæ intellectus illius aciei non subtraxerat : qua in rebus divinis contemplandis effectus perspicacior, invictum ab oratione animum minime relaxabat, magis respiciebat ad interna externis licet pereuntibus oculis.

Porro cum tanquam aurum in fornace probatus magis ac magis splendesceret, monachus aliquis Joanni jam ad occasum vitæ vergenti gratulabatur aliquando, quod se se semper omnis exemplar sanctitatis præbuisset. Cui Subletius ad laudes impatiens mox subjunxit. « Tu, Pater, hora tertia huc festinans juventutis tuæ fervorem attulisti; ego vero novissimus adveniens, nihil aliud præter senectutis declivitatem, inutilitatem et teporem asportavi. » Qui anteactæ vitæ cursum eousque tanta sanctitate prosecutus fuerat, ut Apostolicum illud effari posset, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*, pari quoque pietate vitæ finem conclusit, anno 1627, 10 Septembris, repositam sibi gloriæ coronam consecutus.

Præter Dominum de Berulle et alios quorum mentionem jam fecimus, summa etiam necessitudo erat inter R. P. Joannem de la Barrière, Fuliensium Congregationis Institutorem, et Joannem Subletium. Hujus rei argumentum est pretiosissima lipsanotheca, quam præfatus Abbas, in Urbem profectus sui Ordinis stabiliendi causa, a Clemente VIII Pontifice Maximo acceperat : hanc veluti amicitiæ suæ arrhabonem dono dedit Subletio, cum spretis sæculi rebus Cartusianam Vitam sectatus est.

Andreas du Val in Vita domicellæ Acarie, vulgo Mariæ ab Incarnatione, passim meminit Subletii, tantique viri testimonium de sanctimonia celebris istius Carmelitæ profert : quippe qui per triginta annos cum illa conversatus probe noverat quo spiritu illa mulier ageretur, et qui prius in abscondito cellæ Tractatum de amore Dei conscripserat, jure merito ad multiplices discernendos amoris effectus vocari potuit.

Author Vitæ Honorati de Champigny fatis functi anno 1624, 26 Septembris, scripsit perhonorifice de Subletio, quem ea præditum humilitate fuisse testatur, ut indignum se prorsus Sacerdotio existimans, ad illam dignitatem Angelicis humeris formidandam promoveri diu recusaverit.

Subjicimus ea quæ Author Vitæ S. Francisci de Borgia, non ita pridem sermone Latino vulgatæ, narrat de Joanne Subletio.

Nemo ignorat historiam Comitis de Bouchage fratris Ducis, Cardinalis, et magni Prioris de Joyeuse. Neminem latet quomodo fastidiens sæculi delitias et humanam auram, apud Patres Capucinos se se receperit. Unusquisque etiam scit quo pacto ob ejus magnanimitatem et in rebus bellicis peritiam ingentem, atque etiam ob publicam necessitatem, præsertim autem Catholicæ

Religionis quæ ab Hæreticis undique oppugnabatur, coactus fuerit habitum monasticum deponere, quo exercitus Præfectum ageret. Verum pauci cognoscunt, quo pacto in Ordinem, unde exierat, reversus fuerit. Non diffiteor quin per id temporis in alium mutatus fuisset virum : divitiæ siquidem, quibus abundabat, honores, vitæ longe commodioris voluptates illicitæ, in quas præceps ruebat, corruperant mores illius.

Dominus Joannes Sublet, Magister computorum in Camera Parisiensi, Pater domini de Noyers fidissimi et probi Franciæ regni Ministri, tunc erat præpositus domus illius et Cardinalis fratris ejus. Cumque summa morum probitate præditus esset Joannes, satis superque observaverat plane fuisse extinctum in Duce spiritum devotionis et pietatis Christianæ. Aliquando cum Joannes Deum oraret in ecclesia Abbatiæ S. Audoeni Rothomagensis, vidit Ducem magna Nobilium caterva stipatum pertranseuntem insalutato prorsus ab eis Augustissimo Altaris Sacramento. In hoc pretiosissimum et Sacratissimum amoris Divini pignus irreverentia et tantæ Majestatis oblivio non modicum Joannem contristaverunt ; qui statim preces in cœlum vibravit pro Ducis conversione. Sic enim afflatus divino Numine rem aggressus est.

Sub ea tempestate Vita B. Francisci de Borgia in Gallicum sermonem translata vulgaris erat apud multos. Cumque unum exemplar concinne compingi curavisset, ad cubitum Ducis adstans, cunctis e cubiculo egressis, librum de industria heri sui oculis subjecit; qui desiderio videndi tactus, illum instanter petiit a Subletio. Cumque senex prudens aliquandiu Duci denegasset librum, utpote, aiebat, sæcularibus ejus moribus parum convenientem, tandem fassus est se ejus causa Vitam hanc attulisse; quam quidem ei tradens recessit. Interim Dux impatiens, surgens e lecto noctem totam in percurrendo libro transegit. Cujus lectione ita fuit commotus ad pœnitentiam, ut postridie cum Joannem conspexit, in illius collum ruens effusus in lachrymas, dixerit : « Tandem aliquando, mi Pater, Dux Gandiæ vicit alium Ducem. Totum Dei famulatui me addico. » Quod quidem præstitit in Ordinem S. Francisci rediens.

XI DIE SEPTEMBRIS

GAULTERIUS seu GALTERIUS CALNESIUS

MONACHUS CARTUSIÆ

Olim Canonicus Gratianopolitanus; vir admodum Deo charus, qui inter primos Patres Cartusiæ unus ex illis factus laudabiliter admodum diu vixit et obiit. Qui ante conversionem, in Gratianopolitana Ecclesia litteris et honore præclarus, cum offensas confiteretur S. Hugoni seniori Episcopo, sanctus Antistes super caput ejus incumbens, hanc vim lachrymarum infudit, ut, madefactis capillis, deorsum etiam rivuli per confitentis ora defluerent.

Ex Vita S. Hugonis episcopi Gratianopolitani a Patre nostro Guigone descripta. Meminit Gaulterii Ganneronius in suo Martyrologio Cartusiensi ad hanc diem.

PAULUS

PRIOR LUBECÆ

Eximiæ probitatis vir; qui cum ab anno 1443 usque ad annum 1453 Priorem hujus Domus et Visitatorem Saxoniæ egisset, a Capitulo generali anni præfati 1453 suam exauctorationem impetravit his verbis : « Priori Domus Lubeck ad supplicem et devotam sui instantiam propter suæ provectæ ætatis et debilitatis rationabilem allegationem fit *misericordia.* » Absolutus ab officio, ad suorum monachorum preces instantissimas iterum, anno 1457, regimen capessere coactus, tandem pia admodum morte requievit a laboribus suis, anno 1462, die 11 Septembris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

HUGO BLOOT (BOLETUS)

PRIOR MONTIS DEI

Professus Capellæ; Delfis apud Batavos oriundus e nobili prosapia, a teneris annis inter Benedictinos adscriptus est apud Egmondam, nobilissimum totius Hollandiæ cœnobium. Ibi postea propter præstantes mores factus Prior, cum disciplinæ regularis vigorem languescere cerneret, et cœnobium et quod gerebat in eo munus dimittens, ad Cartusianos Capellæ transmigravit; ubi, cum omni genere virtutum floreret, assumptus est ad regimen Montis Dei. De quo Dorlandus noster lib. 7, cap. 29 Chronici Cartusiensis sic loquitur :

« Hic tandem Capellæ ad cellam rediit, vir valde timoratus et bonus, cujus vita omnis erat forma virtutis. De hoc præter alia mihi scriptum est, quod præ cæteris in eo floruerit virtus paupertatis, pro qua sola (ut apprehenderet) a sedibus regalibus Dei Filius noscitur descendisse. Hic Hugo tam ardens erat paupertatis amator, ut vix sellam, vix operculum, vix vel brevem supellectilem visus sit possidere; ita omnia voluit in usus pauperum erogari. Vixit cæcus annis decem. Quam calamitatem tam mansueto animo pertulit, ut alterum Tobiam existimares. Noverat enim damnum externi luminis interioris hominis visu splendidiore vir sapiens compensare. Hic sancto fine potitus quievit in pace. » Hæc Dorlandus.

Mortuus est Hugo anno 1474, die 11 Septembris. Alii referunt ejus obitum ad diem 12 Septembris. De eo etiam meminit Arnoldus Raissius in suo Auctuario ad Molanum.

ANGELUS PARENTANUS

PRIOR PARMÆ

A juventute sua jugum Domini portans in Cartusia Mantuana, de singulis Domibus, ubi postea præfuit, videlicet Mantuæ, Vallis Pisii, Mediolani, Parmæ optime meritus, tandem Parmæ in senectute bona diem clausit extremum, anno 1653, 11 Septembris, anno ætatis suæ 84, Prioratus 51, exactis in Visitatoris officio 15 annis.

Cujus benignitas in subditos, prudentia in negotiis, patientia in adversis, vigilantia ad omnia singularis semper et ubique fuit. Cujus charitas in Religiosos imprimis effulsit aliquando dæmonis astu a quiete seductos; quos ut in sanctam vindicaret libertatem, non solum Superioris potestatem adhibuit, sed et institit supplicationibus : quin etiam toto corpore humi prosternere se se coram pervicacibus non erubuit, ut eos ad meliorem frugem revocaret.

XII DIE SEPTEMBRIS

GERARDUS PATIN

PRIOR PARISIENSIS

Pie admodum et exemplariter hanc Domum et totam Franciæ Provinciam, cujus erat Visitator, gubernavit; erat namque castigatæ admodum conversationis, doctrina, prudentia zeloque celebris, et in tanta existimatione et veneratione apud omnes, ut vocaretur baculus Ordinis et oculus totius Religionis. Hic inter regni turbationes et alias Principum discordias, quasi scopulus in mari radicatus adversa quæque eludebat. Anno 1494 visitans Majorem

Cartusiam exauctoravit R.P. Antonium de Charno. Demum cum per 24 annos præfuisset, sancte in Domino obdormivit, anno 1504, 12 Septembris.

Ex Catalogo Priorum.

JOANNES PARCEVAL

PRIOR PARISIENSIS

Patria Parisinus (non autem Anglus, uti refert Pitseus in Catalogo Scriptorum Angliæ), professus Parisiensis; anno 1535 ex regimine Domus Divionis ad hujus monasterii gubernaculum translatus, recepit ad Ordinem R.P. Bernardum Carasse et R. P. Joannem Michel. Fuit vir verbo et opere potens, multum commendatus ob morum probitatem, devotionem et exemplarem conversationem, quibus sibi suorum amorem conciliabat. Diu etiam Visitatoris officio perfunctus. Decessit in Prioratu, anno 1561, die 12 Septembris.

De Joanne Parceval agunt Pitseus, et Petræus in Bibliotheca Cartusiana, et Franciscus Ganneron in Vita R. P. Bernardi Carasse.

ANTONIUS DE LUCA

CONVERSUS BONONIÆ

Diu in hospitio S. Annæ resedit, ad nutum Prælati semper obediens, humilitate, paupertate, devotione, sui custodia et in pauperes charitate conspicuus. Anno 1615, die 12 Septembris, migrat ad beatam immortalitatem.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

XIII DIE SEPTEMBRIS

JOANNES

PROTOVICARIUS MONIALIUM GOSNAY

Ad hujus parthenii regimen assumptus, ut Instituti Cartusiensis fundamenta super firmam regularis observantiæ petram stabiliret; postquam novam hanc plantationem in charitate, in paupertatis studio cæterisque virtutibus radicatam verbo irrigasset simul et exemplo, ad vitam quietiorem anhelans, ita egit importune apud Patres Ordinis anno 1332 in Capitulo generali congregatos, ut sui voti factus compos reliquum vitæ in solitudine et silentio transegerit. Demum bonorum operum et dierum plenus, in hac Domo feliciter absolvit cursum, anno 1349, die 13 Septembris.

Ex Catalogo Vicariorum hujus parthenii.

JOANNES DE COLONIA

VICARIUS TREVIRENSIS

De quo breve hoc Elogium extat in Catalogo monachorum hujus Domus : « Joannes de Colonia professus et Vicarius hujus Domus, silentii amans, virtutibus aliis præstans, ita ut flos Conventus dictus sit ; obiit peste, anno 1459, 13 Septembris. »

PETRUS BARBA

PROCURATOR DE PAULARI

Anno 1565, die 18 Februarii, in Cartusia Granatensi solemniter professus ; ob eximias animi dotes admotus officio Procuratoris de Paulari, postquam se exemplariter et religiose gessisset, sancte decessit Sacratissimum Nomen Jesu et Mariæ pronuncians, anno 1577, die 13 Septembris, ætatis suæ 33.

De quo Catalogus monachorum hujus Domus meminit his fere verbis : « Primus Granatensis Cartusiæ professus ; a qua ad nostram accedens, institutus est Procurator. Cum autem Toleti demoraretur ob monasterii negotia, die quadam femina coram domui illi adstantibus sic eum est allocuta (Leænam illam putamus fuisse) : « Pater mi, res illa parata est ; veniet ad te hora, quam consignaveris. » Quid illa moverit, ignoramus. An decepta forsan ? an vero aliquid inde lucratura ? nescimus. Offerebat tamen turpi rei occasionem. At ille Dei singulari gratia auxilioque munitus, prudenter se gessit, cavens honori proprio : quem si iracunde defendere vel vindicare voluisset, aspere illam tractans, excandescens forsan illa vel pejora tractaret, vel certa assereret ab illo fuisse commotam et rogatam scortum sibi quærere.

« Declinavit vero jactatum malum : intentum nimis negotiis tunc esse respondens, neque integram illam intelligere ; redire postea, si voluisset, jubens. Quo responso reversura demum internuncia discessit, secundo adventu aliquid lucrari sibi promittens. Decepit vero illam hic optimus vir, nam egressa ab hospitio, parari equum jussit ; exsolutoque debito stabuli stipendio, veluti ab urbe migraturus ab illo discessit, aliud remotissimum quærens. Quo facto, prioris hospitii comites innocentiæ suæ securos reliquit, improbam vero feminam delusam : castitatemque suam sartam tectam relinquens.

« Vixit laudabiliter in Ordine, feliciterque decessit, anno 1577, die 13 Septembris. Per duos dies ante obitum, ea frequentia dulcissimum et Sacratissimum Nomen Jesu et Mariæ repetebat, ut præ dulcedine et devotionis sensu circumstantes monachos flere suaviter compelleret ; et tam dulci crebraque hujus venerandi Nominis repetitione, manifestum erat nihil aliud esse in Petri mente, nihil in corde impressum, quam

quod os inter morbi dolores et ad mortis advenientis aspectum eructabat. Inter has voces pius Pater expiravit. »

HIERONYMUS TOCCAGLIA
PRIOR BELRIGUARDI

Bonam a Deo sortitus animam, omnes probi monachi numeros adimplevit. Primo invitus Prior Belriguardi, deinde Lucæ ordinatus, tanti oneris impatiens abdicavit Præfecturam. Igitur sibi Deoque vacans, cum se se modestiæ, humilitatis, mansuetudinis, charitatis ac mortificationis exemplar exhibuisset, perfectus sui ipsius et mundi contemptor, ad cœlestem patriam meritis dives evolavit, anno 1617, die 13 Septembris, in Domo suæ professionis Bononiæ. Exegerat in Ordine 54 annos.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

XIV DIE SEPTEMBRIS

LAUDUINUS
PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

« Sancti Patris nostri Brunonis fidus cooperator, unusque e primis septem Ordinis ejus candidatis, ac primus in Majori Cartusia factus ejus successor, Ordinem recens institutum multis titulis virtutum ornavit, auxitque præclaris Religionis incrementis. Cumque in dies majora proderet gratiæ, qua plenus erat, lumina, a sancto Brunone in Calabriam evocatus, dum rediret verus obedientiæ filius, interceptus a satellitibus Guiberti pseudopontificis, ejus jussu tenebricosum in carcerem apud Ravennam tractus est, duris nexibus vinctus : ubi cum nec minis, nec blanditiis, nec ullis vexationibus a veri Christi Vicarii obedientia abduci potuisset, pro justitia et unitate Ecclesiæ, Schismatis strenuus insectator, et Communionis Catholicæ assertor acerrimus, ipso in carcere vinculis pressus et maceratus inedia, puro exhalato spiritu, de tenebris obstrusi ergastuli, beatissima functus morte, ad perpetuæ lucis palatia transmigravit; atque in monasterio Sancti Andreæ ad pedem montis, quem Serapin (al. Siraptis) vocant, illachrymantibus quibusque piis sepultus est. »

Hæc excerpta sunt e Martyrologio Gallicano Andreæ Saussayi, quem emendavimus, dum refert Lauduinum pergentem in Calabriam captum fuisse. Constat enim ex epistolis D. Brunonis, qui Fratribus in Cartusia existentibus scribit, redeunte ad ipsos a se Lauduino, se propter graves et crebras infirmitates suas voluisse ipsum secum detinere, sed coactionem nullam facere

voluisse, etc. Ergo perrexit et pervenit in Calabriam anno 1100, circa mensem Septembrem ; apud S. Brunonem aliquandiu mansit, in reditu captus fuit. Decessit anno 1100, non die 31 Martii, uti refert Martyrologium Germanicum, sed 14 Septembris, prout notatur in antiquo Kalendario Cartusiæ SS. Stephani et Brunonis, sic : « 14 die mensis Septembris obiit Frater Lauduinus Prior Cartusiæ. »

Erat autem Lauduinus natione Tuscus de civitate Luca, vir magnæ litteraturæ magnæque virtutis, et rigidæ adeo abstinentiæ, ut gravi languoris infirmitate attritus, nihil unquam de jejuniis remittere voluerit. Is cum audiisset persecutorem suum Guibertum, Deo vindicante, animam absque pœnitentia efflavisse, tanto lachrymarum imbre eum prosecutus est, ut a multis argueretur, quod plangeret eum a cujus tyrannide Christus suam Ecclesiam liberasset ; sed Samuelis et Davidis in eo spiritum Saulis et Absalonis reprobum interitum illachrymantium non agnoscebant.

De eo agunt Chronicon Majoris Cartusiæ, Dorlandus et alii Rerum nostrarum Scriptores.

MICHAEL DURENTONIS

PRIOR GLANDERII

Ob vitæ meritum admotus regimini Domorum Caturci, Sanctæ Crucis, Pratimollis, Portus Beatæ Mariæ et Glanderii, cum mallet subesse quam præesse, tandem ad suas instantissimas preces absolutus, vitæ residuum in solitudine transegit ; decessitque in provecta admodum ætate, meritis dives et bonorum operum plenus, anno 1471, die 14 Septembris.

ANNA SMYERS

PRIORISSA BRUGIS

Vitæ admodum exemplaris, pia, devota, multumque sollicita super sibi commissum gregem ; cum per annos aliquot Priorissæ munus exercuisset, abdicata dignitate, in cellulæ sacro otio vitæ periodum absolvit, anno 1570, die 14 Septembris, non autem 14 Februarii, uti male signatur in Charta Capituli generalis.

Ex Catal. Priorissarum hujus Domus.

JOANNES DE PALENTIA

RECTOR DE PAULARI

Hujus mentio fit in Elogiis Virorum sanctitate illustrium Domus de Paulari. Sic autem de eo agitur :

« Joannes de Palentia Navarræ oriundus, die Ascensionis Domini, anno 1538, apud nos professus, vixit 44 annos, Procuratoris, Vicarii Rectorisque munera pro tempore agens : magnus observantiæ zelator et ex primoribus

tutantibus sacrosanctam carnis abstinentiam. Ita corpus suum spiritui subjiciebat, ut nusquam a choro discederet, nisi gravissima coactus infirmitate. Infracto erat animo ad Dei laudes. Morbos sustinebat admirabili patientia, sibique adeo erat austerus, ut dum ægrotaret, nullum sibi ad quietem locum aptiorem credebat quam ecclesiam. Unde a lecto abhorrens, jungebat se psallentibus.

Diuturna molestaque correptus febre quartana, tacitus illam tulit, adeo ut non nisi post multum temporis ipsius ægritudo aliis innotuerit. Dixit ipse postea, nescio quo casu, quartanæ frigoris rigore ac tremore sæpe sæpius, dum choro interesset, defecisse; cui tamen pro virili resistens, nusquam diurnas sive nocturnas interrupit Horas præ psallendi desiderio. Jugi carnem suam mortificatione macerans, vestitus semper somnum cepit, cujus quidem fuit parcissimus. Vix enim quiescere poterat, qui toto per vitæ spatium pediculorum morsu diu noctuque cruciatus molestissimum passus est martyrium: ita enim bestiolarum numerus excrevit, ut fuerit opus verri scopula.

Subjicio unum velut singulare, in ejus observantiæ testimonium, quod venerandus hic Pater, anno 1577, pridie festum Corporis Christi zelo regularis observantiæ gessit. Vicarii munere fungebatur, cum casu utriusque Provinciæ Priores hanc Domum adventarunt; quibus horam pulsationis ad Vesperas prævenientibus, consensu aliorum ex Nostris, majoris devotionis excitandæ gratia, tunc a sacrario SS. Eucharistiæ Sacramentum in altare majus palam conspiciendum extraxerunt. Adveniens autem ille Pater, novitate hac visa, etiam si majoris devotionis causa factum cognovisset compellereturque ab adstantibus, nullatenus Vesperas inchoari permisit, donec in sacrariam custodiam seu sacrum vasculum reponeretur: asserens irritam esse, imo Deo ingratam devotionem, quæ Statuta nostra violaret. Spiritum Deo reddidit Joannes anno 1580, die 14 Septembris.

ONUFRIUS GRANOLLAC

PROCURATOR SCALÆ DEI

Nobilis Catalanus; ingenii præstantis adolescens, anno ætatis 21 Cartusiense Institutum amplectitur, anno 1586 die 21 Januarii. Tres fratres habuit, Joannem, Franciscum et Michaelem, unamque sororem nomine Margaritam: non solum Scalæ Dei benefactores, verum etiam in totum Ordinem ita affectos, ut nullam ipsi aliquod obsequium præstandi occasionem prætermitterent. Joannes, qui Lugduni manebat, ob collata Majori Cartusiæ bona plenum cum psalteriis Monachatum et Missam de B. Maria per universam Cartusiensem familiam consecutus est. Franciscus Barcinonensis et Michael Valentinus cives, ad instantiam Onufrii, Missam

de B. Maria per totum Ordinem a R. P. Bernardo Carasse obtinuerunt: quod quidem suffragium in Hispaniæ Provinciis in filiorum gratiam matri concessum fuit.

V. P. Ludovicus Telm Prior Eborensis, anno 1587, die 4 Novembris, luculentum de religiosa Onufrii conversatione testimonium perhibet, scribens illum ita Martham cum Maria conjunxisse, ut rebus externis licet occupatus, nihil tamen de pietatis et orationis exercitiis remitteret, semper sui compos suamque secum circumferens solitudinem: habet namque pietas suum etiam in triviis secretum. E vivis excessit anno 1587, die 14 Septembris.

Ex Libro Hispanico fundationum Cartusiarum Hispaniæ Joseph de Valles.

LUDOVICUS DE BAZEMONT

PRIOR VALLIS PROFUNDÆ

Nobilis adolescens, vix decimum octavum annum attigerat, cum Cartusianis Parisiensibus nomen dedit. Post vota professionis ad Vicarii Saletarum officium assumptus, inde S. Crucis in Jaresio Prior instituitur. Anno 1587, R. P. Hieronymus Marchant, Prior Cartusiæ Lugdunensis, in summum electus Ordinis Anstistitem, præfecit Ludovicum huic novellæ plantationi. Qui, anno 1589, ex hac Lugdunensi Domo translatus ad Vallis profundæ regimen, ibidem semper pene solus (deserta quippe destructaque tumultibus bellicis Domus erat) permansit usque ad annum 1602, quo Bassævillæ Prior per Capitulum generale ordinatus, ad amicam solitudinem anhelans, *misericordiam* consecutus est circa annum 1604, et ad suæ professionis Domum rediit. Ibidem omni genere virtutum effulsit. In eo siquidem candor admirabilis, morum facilitas, modestia, fervor, regularis observantiæ zelus, mira in omnes affabilitas bonitasque excellebant, quibus venerandus senex sibi conciliabat omnium animos.

Accidit aliquando ut, dum pergeret ad Ordinis Comitia, iter faciens per præruptos Majoris Cartusiæ montes, præceps cum equo in ima rupium laberetur. Tam miserando casu nunciato Patribus, R. P. Hieronymus Marchant, Cartusiæ Prior, de Ludovici sepultura sollicitus (ipsum etenim putabat extinctum), submisit homines, qui corpus e præcipitio extraherent. Verum non sine stupore reperiunt Patrem illæsum et divini pensum Officii persolventem. Vident et equum stantem incolumemque tanto lapsu minime offensum. Extractus e præcipitio Ludovicus, sistit se Reverendo Patri cæterisque Comitiorum Patribus. Hominem redivivum omnes mirantur; cui summus Ordinis Antistes gratulabundus ait, multas divinæ Bonitati gratias ipsum debere pro impertito tali beneficio. Belle subridens Ludovicus, respondit: « Numquid durius mecum agere Deus potuit? Nam

ex altiori loco in profundiorem non poterat me dare præcipitem. » Ad hæc verba R. Pater vultum ad severitatem componens, corripuit jocularem Ludovici cavillationem, cui in delicti piaculum injunxit ut Psalterium recitaret.

Postquam autem, ut diximus, a rerum temporalium curis fuit expeditus, redux Parisios diu Antiquioris officium exercuit. Tanta autem mansuetudine præditus erat, ut de nemine malum cogitans, omnes Novitios facillime admitteret, neminem repelleret e gremio Religionis. Detractionis osor maximus, nusquam alienam famam dente maledico carpere auditus est. Tanta paupertas in cellæ utensilibus apparebat, ut præter Vitas Sanctorum et rosarium nihil Ludovicus possideret. Tanto in rebus agendis venerandus senex judicio pollebat, ut D. Augustinus Joyeulx, Cartusiæ Prior, illum sæpissime consuleret, illius adhæreret consiliis. Tantus mentis candor, tanta devotio inter sacrificandum, tanta elucebat in eo pietas, ut ob multiplicem ejus virtutem omnium fere monachorum exciperet Confessiones.

Tandem fidelis servus postquam sexaginta sex annos in Dei famulatu summo cum spiritus fervore ac innocentia transegisset, casu e lectulo decidens, extremum contraxit morbum, quem patienter admodum tulit. Die Exaltationis S. Crucis, Sacerdos hebdomadarius adiit pium senem, benedictionem illius percepturus ; quem ægrotus, occasum vitæ suæ divinitus præsentiens, rogavit, ut dum Sacra perageret, vivorumque faceret memoriam, sui non oblivisceretur, « Quia in illo, ait, temporis momento, in summis constituar angustiis. » Discedit sacerdos Missam celebraturus conventualem ; vixque inter Canonem ad verba *Benedictus qui venit in nomine Domini* Conventus pervenerat, cum Frater Conversus Ludovici curam habens, advolans pulsat sacristiæ fores, mœstusque venerandum senem in extremis positum esse renunciat. Redux in cubiculum, ipsum animam sanctissime exhalantem reperit, anno 1630, 14 Septembris.

Subsequenti nocte Ludovicus amico cuidam suo juxta Vallis profundæ Cartusiam habitanti se visendum in somnis præbuit ; illum admonuit se jam Cœlitum gloria donatum Divino conspectu potiri, postquam paucis admodum horis in purgatoriis ignibus detentus fuisset, subjungens hæc verba Apostoli ad Corinthios : *Sic tamen quasi per ignem.* Vir ille expergefactus, diluculo accurrit ad Cartusiam Vallis profundæ, ut de Ludovico inquireret ; visionemque menti suæ firmiter impressam, illaque divi Pauli verba *Sic tamen quasi per ignem,* litterarum quamvis nescius, monachis manifestat. Illi vero quid Ludovico acciderat ignorantes, quid responsi darent non habuerunt ; donec paucis post diebus, morte illius denunciata, quid sibi vellet visio edocti, piissimum hunc Patrem Sanctorum cœtui,

quorum in terris perfectus fuerat imitator, aggregatum intellexerunt.

JOANNES RITHOVIUS

MONACHUS RUREMUNDÆ

Ante ingressum Ordinis Canonicus Antverpiensis ; cellæ et solitudini addictissimus, velut alter Martinus nunquam invictum ab oratione animum relaxabat. Cibi adeo parcus fuit, ut non nisi semel in die tota vita corpus reficeret. Per 40 annos religiosissime conversatus, obiit anno 1631, 14 Septembris.

XV DIE SEPTEMBRIS

OSWALDUS DE CORDA

PRIOR SCOTIÆ

Natione Anglus, non Scotus, ut quidam putavere. Dum juvenis studiorum causa Parisiis ageret, intimam contraxit amicitiam cum sanctissimo viro et præstantissimo illius ætatis Theologo Joanne Gersone ; cujus pia conversatione et exemplis provocatus, serio cogitavit de vitæ perfectioris ineundo statu. Itaque non multo post profectus in Germaniam, habitum suscepit Religionis in Cartusia Horti Christi. Cum ibi virtutum omni genere floreret, harum fragrantia R. Pater excitatus, Oswaldum Cartusiæ Majoris Vicarium præfecit. Id munus obivit magno cum regularis observantiæ zelo; ipseque lucerna lucens et ardens vitæ suæ sanctimonia illustrabat, dum sub annum 1429 mittitur in Scotiam, ibidem primum acturus Priorem in Domo quam Rex non ita pridem erexerat. Ibi vigiliis, jejuniis et orationibus irrigans hanc novam Cartusiam, cum eam stabilisset supra firmam petram disciplinæ regularis, ad cœlestem patriam laborum mercedem recepturus evocatur, anno 1434, die 15 Septembris : ut constat ex Charta Capituli generalis, ubi obitus ejus notatur ad hanc diem.

De Oswaldo scribunt perhonorifice Boethius in Historia Scotorum, Dempsterus in suo Apparatu et in suo Menologio Scotico, ad diem 24 Martii; Bostius, Sutor, etc.

JOANNES

PRIOR S. MICHAELIS IN HULL

Laudatissimæ vitæ et conversationis multum religiosæ; qui hanc Domum per quadraginta fere annos sapientissi-

me rexit; suæ etiam Provinciæ Visitator. Multoties regiminis onus abdicare voluit; verum ob senectutem et gravissimas infirmitates tantummodo exoneratus officio Visitatoris, coactus est usque ad obitum perseverare in officio Prioris. Tandem meritis dives et plenus dierum e vivis excessit, anno 1460, 15 Septembris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

HIERONYMUS ANGLESOLA

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Valentiæ ex illustri d'Anglesola prosapia oriundus. Uxore, ex qua duos liberos habuerat, orbatus non sine ingenti sensu doloris, soli Deo imposterum placere desiderans, tota mente se dedidit suæ salutis negotio. Cumque filios honesto conjugio copulasset, a publico abstinens per triginta annos, pietatis ac devotionis operibus vacavit: adjunctus tribus aliis viris non minus virtute quam generis splendore conspicuis, Gaspare Beneyto videlicet, Ludovico Costa, et Gaspare Ribort. Fervebant hi quatuor studio et amore perfectionis Christianæ, Deumque sine intermissione orabant, ut eis sanctissimam ejus voluntatem notam faceret. Quorum votis et obsecrationibus Deo annuente, Gaspar Beneyto in quamdam villam secedens, Sacerdotio initiatus, eadem, qua vixerat, sanctitate suum cursum feliciter absolvit. Ludovicus Costa inter Cartusianos Portæ Cœli adscriptus, ibidem haud minori luce bonorum operum emicuit. Gaspar Ribort et Hieronymus Anglesola in eamdem Portæ Cœli Domum se se recipientes, constructis ibidem suis sumptibus duabus cellulis, in habitu sæculari aliquandiu vixerunt, donec Gaspar Ribort cœlesti Numine afflatus, hac in eremo vota professionis emittens, ad supremam vitæ metam pia morte pervenit.

Porro cum Hieronymus ætate provectum infirmaque affectum valetudine se cerneret, Deum instanter et assidue deprecabatur, ut gratiæ illius lumine illustratus, quid sibi magis expediret, aggrederetur. Cogebatur etenim solum vertere, ob loci, in quo morabatur, inclementiam, ob jejunia, quibus se sentiebat imparem, ob cibos difficiles ad concoquendum. Verum cum interius impelleretur ad Vitam solitariam et ad gradiendum obedientia duce per Christianæ perfectionis semitas, quo se verteret nescius, ad Beatissimam Virginem Mariam quam impense diligebat confugiens, eamque obsecrans ut ex hac animi anxietate liberaret, per noctem Cœli Reginam conspexit ea forma, ut ipse postea referebat, qua depingitur in majori Vallis Christi claustro, grande pallium extendens super Cartusianos. Hæc Sacratissima Virgo blande Hieronymum hortabatur, ut se se his monachis adjungeret. Tali visione senex

inflammatus, Beatissimæ Virgini gratias agens maximas, monitis illius acquievit.

Nec mora : cum Domum Vallis Christi Cartusia Portæ Cœli crederet salubriorem, jam annum agens sexagesimum postulat monasticam vestem; qua donatus a Joachim Amigo, qui tunc præerat Vallis Christi cœnobio, inter Novitios adscribitur, anno 1593, die 31 Martii. Cumque tamdiu Vitam duxisset Cartusiensem sub habitu sæculari, exceptus jam in gremio Religionis, a primæva virtute non desciscens, sed extendens se semper ad anteriora, speculum omnis perfectionis apparuit. Tandem cum octennium in hac eremo transegisset, sancte diem extremum clausit, anno 1601, mense Septembri.

Ex Annalibus Vallis Christi Joachim Alfaura.

XVI DIE SEPTEMBRIS

JOANNES TORNERIUS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

De quo agunt Dorlandus, lib. 4, cap. 20; Sutor, pagina 552; Bzovius in Annal. tom. 14. Canisius in suo Martyrologio ejus obitum signat ad 30 Septembris. Decessisse autem constat anno 1347, non die 25 Septembris, uti refert Georgius Garnefelt in Notis ad Cartusiense Chronicon, sed die 16 Septembris, ut videre est in Charta Capituli generalis anni 1348, ubi ejus obitus notatur in hunc modum : « Item D. Joannes Tornerii monachus Cartusiæ et sacerdos, qui habet Tricenarium et associationem cum primo Anniversario, et obiit 16 Kal. Octobris. »

De eo meminit Author Chronici Majoris Cartusiæ, cap. 19, cujus verba refero : « Dominus Joannes Tornerii, monachus dictæ Domus, homo valde idoneus et magnæ sanctitatis et meriti, ad officium fuit Sacerdotale promotus. Qui cum, ut moris est, primam Missam in Conventu celebrare deberet, Sacrista dictæ Domus videns ipsum nimium tarde ad ecclesiam venire pro Missa celebranda, ad ejus cellam accessit, ac ipsam aperiens evocavit. Cum ecce ! tota illa cella intus igneo splendore rutilabat, sicut solis radius in centro positus totum suum lumen emittit in virtute sua. Dictus vero monachus, cum evocatus ad dictum Sacristam accessisset, velut flamma ignis totus ardere videbatur. Ob hoc dictus Sacrista nimium attonitus atque stupefactus, cum ad ecclesiam remearet, oculosque versus cellam illam reduceret, ecce (mirabile dictu!) quatuor cereos in

aere super quatuor angulos dictæ cellæ ardentes respexit.

« Hoc miraculum de isto sancto viro sub isto Priore (R. P. Claro) evenit. Sed aliud non minus isto, sub D. Joanne Birelli, inferius in vicesimo primo loco descripto, Deus per ipsum operatus est. Quod idcirco in isto loco pono, ut sanctitas illius legentibus seriatim ostendatur. Cum enim iste devotus monachus sub dicto Priore fuisset Procurator constitutus (utpote qui in activa et contemplativa vita valde idoneus habebatur), quidam rusticus dictæ Domui convicinus, ad dictum Procuratorem accessit, secum deferens quædam Instrumenta quarumdam terrarum quas emerat : ut forte ipsum super præmissis consuleret, sive (ut potius dicitur) dicta Instrumenta custodiret. Tunc casu dictus Procurator dicto rustico dicit, quatenus certa ad ignem ligna deferret : erat enim hyems et magnum frigus. Cumque ligna detulisset et super ignem ardentem projecisset, casu dicta Instrumenta ex oblivione cum dictis lignis jactavit : ad dictum Procuratorem immediate accedens, de negotiis suis cum ipso tractaturus.

« Longi vero temporis spatio elapso, cum dictus rusticus dicta Instrumenta quæreret, nec inveniret, demum recordatus est ipsa cum lignis in ignem projecisse : ob hoc flens et ejulans, seque nimiis clamoribus dilanians, desperato homini similis videbatur. Dictus vero pius Procurator, misericordia et compassione commotus, eum confidere jussit in Deo, ab ipsoque parum segregatus orationi se dedit. Statimque dictum rusticum advocans : « Vade, inquit, et Instrumenta tua, ubi projecisti, require. » Dictus vero rusticus ad dictum ignem valde ardentem accessit, dictaque Instrumenta in medio sine aliqua reperit læsione flammarum. Tunc dictus Procurator, humanam timens gloriam captare, ipsum rusticum exoravit, ut nulli hoc miraculum intimaret. Ipse vero (Deo forte inspirante, qui in Sanctis suis mirabilis vult videri) nequaquam sibi in reticendo miraculum prædictum obedivit. »

ALPHONSUS MARTINEZ

VICARIUS DE PAULARI

Procuratoris et Vicarii functus officio; Christi bonus odor factus apud omnes ob virtutum suarum fragrantiam, obiit anno 1557, die 16 Septembris, magna probitatis opinione collecta.

Ex Manuscriptis.

MARGARITA DE HOUCHIN

PRIORISSA GOSNAY

Postquam Cellerariæ munus laudabiliter obivisset, anno 1537 in hujus monasterii Priorissam eligitur. De qua illud memorabile narratur.

Cum infantulus die quadam ipsi sanguine affinis, involutus pannis, ut illi benediceret, eidem Margaritæ fuisset oblatus, in ulnas eum accipiens, præ dolore lachrymans circumstantibus spiritu prophetiæ plena dixit : « Iste puer erit in ruinam et dedecus suæ familiæ. » Cujus quidem vaticinii veritatem infelix exitus confirmavit.

Singularem exhibuit Margarita patientiam in variis molestisque sua diuturnitate morbis. Unde cum propter crebras infirmitates divinis Officiis interesse non posset, per octennium integrum ad sedem suam in ecclesia bajulabatur. Interim instabat religiosissima Mater, quæ se credebat ad omnia prorsus inutilem, ut ab officio Priorissæ absolveretur; cujus votis annuit tandem aliquando generale Capitulum, anno 1553. Reliquum vitæ in oratione cæterisque pietatis exercitiis transigens, requievit a laboribus, mortua anno 1563, die 15, vel juxta alios 16 Septembris. Vixit in Ordine 54 annos.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart et Elizabeth de la Ruelle, Monialium hujus Domus.

MATTHIAS BARRANTES

MONACHUS DE PAULARI

Ejus vita fuit mera oratio et meditatio Dominicæ Passionis, cui intentus erat medias inter exteriorum rerum occupationes. Emicabat etiam in eo paupertatis, obedientiæ, silentii ac humilitatis amor ingens; quarum virtutum præsidio potissimum utebatur ad pacem animi conservandam, in qua perseverans usque in finem, pie fatis cessit, anno 1633, die 16 Septembris.

Ex Manuscriptis.

NICOLAUS MESSENICH

PRIOR DULMANIÆ

Professus et Procurator Coloniæ, vir prudens et religiosus; anno 1618 hujus Cartusiæ Prior institutus, naturæ debitum persolvit anno 1635, die 16 Septembris. De quo Petræus noster in quadam epistola sic loquitur : « Paucis ante diebus apud nos (Coloniæ videlicet) quam pientissime in Domino obdormivit admodum venerabilis, industrius atque omnibus æque charus Pater D. Nicolaus Messenich, qui mihi in Prioratu Dulmaniæ immediate succedens, ab illo tempore summa cum laude ibidem præfuit. Actus vero in exilium, ad Trevirenses nostros se contulerat. Unde Coloniam ad professionis suæ Domum rediens, et animi mœrore contabescens, eo quod et Domum suam spoliatam et Fratres suos varie dispersos inconsolabili dolore lugeret, vitam cum morte commutavit : vel potius ad hanc votis omnibus anhelare visus est, ut vitam sempiternam cum Christo et

Sanctis omnibus adipisceretur. » Hæc ille.

Consule Volumen nostrum Notitiarum Domorum Provinciæ Rheni, ubi plura de exilio Nicolai diximus.

AUGUSTINUS BONNET

MONACHUS LIGETI

Nobili ortus stemmate; infans adhuc suxit hæreticæ pravitatis venenum. Juvenis secutus castra, contraxit inde solita vitia et labes, voluptatum illecebris delinitus. Verum in virum mutatus alterum divina aspirante gratia, quo mundanam altius gloriam calcet, Institutum Cartusiense amplectitur. In hanc Ligeti adscriptus Familiam, tanto studio virtutibus, quæ Religioni nostræ propriæ sunt, cœpit incumbere, ut dum singulari austeritate et abstinentia præter communem modum in se ipsum desæviret, mortem suam præmaturaverit. Vix enim duodecim annos in Ordine traduxerat, cum jejuniis carnisque mortificationibus attritus, animam in manus Creatoris efflavit, anno 1653, die 16 Septembris. Mira in Augustino erga Beatissimam Virginem Mariam devotio eluxit. Summa etiam in eo apparebat humilitas, in illius vultu hilaritas, in verbis suavitas : ob quas virtutes omnibus gratus, universos suorum disciplina morum et modestia ædificabat.

Ex Manuscriptis.

XVII DIE SEPTEMBRIS

MONACHI MARTYRES DANTISCI

De his Erasmus hujus Cartusiæ monachus antiquior per suas Litteras notitiam suggessit talibus verbis : « Audivi quidem ante 57 annos a meo Magistro Domum nostram olim a Tartaris devastatam, et omnes Patres mactatos : nec impossibile quidem, nam vicini nostri monasterii Olivensis tertio, ab uno ad omnes, ab illis trucidati sunt. Insuper cum tunc temporis foderemus hortulos nostros, invenimus subinde spicula ferrea hujusce formæ..., quibus ista gens barbara in hunc usque diem utitur. Dolendum summopere, quod nostri prædecessores talia non ad posteritatem transmiserint. Si tamen forte aliquid notaverunt, in alienatione Domus deperiit. » Hæc ille.

Porro Olivense monasterium, uno ab urbe Dantiscana milliario distans, a Samborio Pomeraniæ duce, anno 1178 (ut habet Mathias de Michovia, Chron. Polon. lib. 3, cap. 27), vel anno 1180

(ut vult Bucelinus, Germaniæ Sacræ part. 2), non autem 1333 (ut male quidam autumant), conditum est. Incertum est autem his, qui de Rebus Cistertiensibus scripserunt, quo tempore isti monachi occisi sunt. De quibus sic meminit Menologium Cistertiense ad 17 Septembris : « In Prussia, passio S. Casimiri abbatis monasterii Olivensis, Ordinis Cistertiensis, qui simul cum multis aliis monachis nostri Instituti coronam martyrii promeruit. » Hæc ibi; sed a quo trucidati sunt, non notat.

Lego autem apud Scriptores Rerum Polonicarum, Abbatiam Olivensem bis fuisse destructam. Primo, circa annum 1250, uti refert Mathias de Michovia, lib. 3, cap. 44 : « Sub hoc tempore (inquit) monasterium de Oliva in horreis, equis et pecoribus extreme damnatum est. » Secundo, circa annum 1433; de qua destructione meminit Martinus Cromerus, De Origine et Rebus gestis Polonorum, lib. 20 : « Olivense quoque (ait) monasterium paulo post direptum et incensum est. » Eadem quoque verba habet Salomon Neugebaverus, Historiæ Polon. lib. 5. Sed nullus de mactatione monachorum loquitur. Utraque vero destructio non a Tartaris, sed ab exercitu Fratrum Teutonicorum, sive Cruciferorum facta est. Nec etiam Chrysostomus Henriquez, in suis ad Menologium Cistertiense Notis, dicit a quibus monachi passi sunt.

Anno vero 1433, vel circa, eodem tempore quo præfata Abbatia direpta est Poloni et Lithuani, qui Cruciferos fugaverant, ad Gedanum castra moverunt, quatriduoque in ejus urbis conspectu stativa habuerunt : quo tempore, omne hoc territorium pervastatum tam ab ipsis Polonis quam a Cruciferis, et munitio portus lignea destructa. Neque templis, monasteriis et rebus sacris utrique pepercerunt, prout narrant præfati Scriptores. Itaque præfatam Olivensis monasterii destructionem seu direptionem, ejusque monachorum ac proinde nostrorum Cartusianorum necem, non ad aliud tempus esse referendam arbitror.

HERMANNUS DE APPELDORN

PRIOR COLONIÆ

De quo Chronicon Cartusiæ Coloniensis sic agit : « Natus est Troiæ Clivorum, ex nobilibus et opulentis patre Gelmaro, matre Mechtilde, anno 1408, 21 Octobris, magna cura enutritus et informatus ad pietatem. Ab infantia usque ad decrepitam senectam singulari Dei munere ita specialiter fuit præservatus, ut pie credendum sit (quemadmodum et fide dignis potest testimoniis comprobari) nulla ipsum unquam mortalis criminis labe animam suam deturpasse. Siquidem disciplinis humanioribus in patria delibutis, cum Coloniam fuisset missus pro sublimioribus studiis tractandis, sic se habuit caute et

circumspecte, ut semper manserit corpore animoque castus. Hinc summopere cavit consortia studiosorum; ipsisque ad ludos aliaque mundi solatia confluentibus, ille cum puero Jesu ad templum se conferebat.

« Cumque annum ætatis 22 attigisset, jamque summa apud omnes esset expectatione, multaque excellentis ingenii dedisset argumenta, spes omnes sæculi abrupit, et ut D. Hieronymi verbis utar, « In salo naviculæ funem magis præcidit quam solvit »; sicque se in securissimum Religionis portum intulit, nosterque factus est Coloniæ, anno Salutis 1431, 26 Januarii.

« Porro in Ordine ita exemplariter et religiose vixit, ut cunctis esset speculum et norma vitæ. Quo factum, ut tam propter morum maturitatem quam insignem prudentiam, vix quadriennio in Ordine expleto, Prior fuerit ordinatus Domus Trevirensis, anno 1435, mansitque biennio in ista functione. Post biennium rediens ad Domum suæ professionis, ibidem Procuratoris egit officium; iterumque, anno 1439, præfectus Domui Trevirensi, perduravit in hoc munere annis 18 : velut alter Joseph prospere ac prudenter agens, ita ut Deus illi benedixerit in omnibus suis negotiis, sitque adhuc suavis memoria illius apud Trevirenses. Tandem anno 1457 electus in Priorem Coloniensem, in temporalibus exercitatissimus Domum provide gubernavit, suoque exemplo ac doctrina promovit regularem disciplinam. Postremo cum, anno 1472, excurrisset ad visitandas Domos superiores Provinciæ, veniens Confluentiam, ibidem morbo correptus, spiritum Deo reddidit, die 17 Septembris. »

MATTHÆUS BLANCHARDI

PRIOR GLANDERII

Cujus regimen faustum fuit ac prosperum huic Cartusiæ in utroque statu, nam et alumnos habuit Matthæus sibi similes, et ad omnem observantiam regularem institutos. Ipse etenim constitutus Aquitaniæ Visitator, zelo summa discretione condito præcelluit. Inter cæteras virtutes quibus præditus fuit, laudatur multum ob innatam cum illo erga pauperes misericordiam. Diem extremum clausit anno 1498, 17 Septembris.

JOANNES BIEST

VICARIUS BRUXELLÆ

Sacerdos sæcularis Gerardi Montensis; vota monastica nuncupans anno 1461, 19 Januarii, per viginti novem annos Vicarium egit. Demum post multas patientiæ comparatas sibi coronas, decessit anno 1504, die 17 Septembris.

Ex Chronico Cartusiæ Bruxellensis.

FRANCISCUS A PUTEO

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Juris utriusque Doctor præstantissimus, tam divinis quam humanis excultus litteris, subtilis ingenio, in rebus agendis peritissimus, versatissimus in practica Juris. Officialis cum fuisset Episcoporum Valentiæ et Gratianopolis, annum agens ætatis quinquagesimum, in Majori Cartusia, quam multis antea beneficiis affecerat, se Dei famulatui consecravit. Evoluto suæ probationis tempore, voluit Reverendissimus Antistes Gratianopolitanus Missam conventualem professionis sui quondam Officialis celebrare, votaque alterius Augustini cum B. Ambrosio suscipere, illum exuere ac induere novum hominem. Idem Præsul tanto etiam amore Franciscum prosecutus est, ut possessiones quasdam amplas, ut scilicet earum fructus quotannis perciperet, quoad viveret, assignaverit.

Cum vero horridum illud Cartusiæ desertum paucos annos incoluisset suisque virtutibus illustrasset, ad hujus eremi totiusque Ordinis moderamen evehitur. Cui grandi sarcinæ diligenter respondere, atque Ordinem prorsus in sua integritate conservare satagens, se in omnibus sollicitum Pastoremque pium exhibere studuit, suasque oviculas cum omni charitate fovere et in pace ac tranquillitate gubernare. Quapropter ab eis et amari promeruit ac honorari. At quoniam Majoris Cartusiæ Cœnobiarcha, non tantum Domus illius sed totius quoque Cartusiensis familiæ Moderator, Ordinis negotia curare habet, sic omnium curam gessit strenue, ut mirum videre queat, quo pacto unus tanta moliri potuerit, quanta ab eo effecta conspiciuntur.

Siquidem ut aliqua delibemus, Domum SS. Stephani et Brunonis, in qua Patriarcha noster S. Bruno felix migravit ad Christum, alienis manibus longissimo tempore occupatam, mira diligentia atque industria recuperare, Cartusianoque Ordini aggregare et conjungere studuit. Ipsius quoque diligentia, B. P. Bruno, cui multa devotione addictus erat, multis antea sæculis neglectus, in Sanctorum numerum per Apostolicam Sedem adscriptus est. Domus Majoris Cartusiæ fortuito incendio magna ex parte consumpta, tempore R. P. Antonii Dellieux, anno 1474, longe melius quam antea fuerat, Francisci sollicitudine ac Ordinis impensis restaurata fuit. Nam Ordinatio facta fuerat de centesima parte reddituum Domorum danda Majori Cartusiæ pro ejusdem reædificatione. Insuper magno labore ex diversis Capitulorum generalium Ordinationibus, abjectis superfluis, pœnis multis vel sublatis vel in mitiores commutatis, collegit Statutorum Tertiam Compilationem.

Alia denique permulta partim pro Majori Domo, partim pro toto Ordine ab eo decenter (opitulantibus Patribus,

qui cum eo victitarunt) effecta sunt. Una ergo manu vir laboriosissimus domestica faciebat opera, altera vero tenebat gladium : utraque pro dextera, ut alter Aod, utebatur. Cæterum postquam filios sanctis moribus informasset atque ad sublimia evexisset pietatis, relictis, quæ adhuc in libris et epistolis ejus conspicua sunt, egregiis doctrinæ, fidei, prudentiæ pastoralisque sollicitudinis monimentis, quietis beatæ in somnum concessit, anno 1521.

Erat Franciscus patria Sambonisius Segusianus seu Lugdunensis. Anno 1500, 8 Januarii, paulo ante ingressum suum in Ordinem fecit quamdam fundationem, ut ipse scripsit in Repertorio Cartulariorum Cartusiæ sub finem. Per Chartam Capituli generalis ejusdem anni 1500, injungitur Missa de Beata per totum Ordinem celebranda pro honorabili domino Francisco de Puteo, utriusque Juris Doctore et Officiali Gratianopolitano. Post peracta præfati anni Ordinis Comitia, Franciscus sæculo valedicens Cartusianis nomen dedit. Electus est anno 1503 in summum Ordinis Antistitem. In Charta anni 1522, notatur ejus obitus ad diem 17 Septembris. Verum in calce Chartæ anni præcedentis Domus Cartusiæ, legitur quod sequitur : « Hoc anno 1521 et 15 Septembris, R. P. Franciscus de Puteo, Prior Cartusiæ, sub quo fuit hæc ultima Charta Capituli generalis, vita præsenti defunctus est. » Opinor ergo propter Octavas Nativitatis B. Virginis Mariæ diem anniversarium obitus ejus translatum ad diem 17 ejusdem mensis.

De Francisco scribunt Sutor, Petræus, Nicolaus Molin, Gallia Christiana et alii.

THOMAS SYNDERTON

MONACHUS SHENE

Pro Fidei Catholicæ defensione pulsus e patria, postquam quinquaginta annos (multas ærumnas passus) exegisset in Ordine, meritis dives numerum dierum feliciter implevit, anno 1570, die 17 Septembris.

Ex Catalogo Monachorum Shene.

JOANNES BAILLET

SCRIBA CAPITULI GENERALIS

Antissiodorensem patriam ævo jam maturus relinquens, in primaria Ordinis Domo vota professionis emisit, anno 1595, die 4 Junii. Ubi cum aliquamdiu durasset gratus omnibus alloquiò, conversatione, virtutum denique pulchritudine, R. Patri ac demum Comitiis Instituti creatus est a secretis, anno 1601. Hoc elogio cohonestatus, quod ante ipsum nullus fuerit similis, qui sic prompte et facile Superiorum mentem caperet, iisque aliqua sympathia conso-

naret. Etenim vel solis nutibus ita cujusque desiderio uniebatur, ut revera nemo literarum clarius oculis apices usurpare potuisset.

Cæterum cum hoc etiam reproborum facultas censeatur, sicut et scientia literarum, qua non parum pollebat; valde illi fuit peculiare, quod nihil unquam de pietatis solitæ exercitiis remiserit, etsi versaretur inter negotiorum undas, totus in Deo; ita modestus et gravis, moribus suavis; ita facundus et eloquens, ut non amœnius aqua manalis, quam ab ejus ore verba fluerent, melliti gurgitis unda, profluentia Tulliano torrente derivata. Pia tamen omnia et omni fragrantia religione ad sopiendas vel extinguendas discordiarum flammas, ad efferos homines emolliendos, ita ut Æsculapius ipse haud celerius unquam medicinam adhibuisset, quam ille animis infudisset concordiam.

Et quia taciturnitas omnium rerum gerendarum vinculum est et prima lex Scribarum : ut potius cingulum ab Orione stellato quis detraxisset, quam ab ejus ore verbum arcanum. Ideo dignus habitus est, qui magna negotia tractaret, vertice et humeris sustineret. Nam qui secretum novit tenere, magni viri vocabulo censendus venit. De literis quas R. Patris nomine tam ad monachos, quam ad Reges, Principes et alios Magnates scripsit, vix possum aliquid eructare congruum. Hoc tamen asseverando dixisse me non pigeat, in tanto pretio nonnullas habitas, ut quidam Principes, Reguli, Proceres ac viri Consulares eas in archivorum et scriniorum suorum penetralibus asservari voluerint; quia erat diffusa gratia in labiis ejus, et non erat unquam inventus dolus in ore ejus.

Igitur vir humilis et castus, benignus et doctus, re et nomine Cartusianus, tandem beato fine, anno 1607, 17 Septembris, Cœlum intravit ex Domo Sylvæ benedictæ, ubi animam egit : dysenteria funditus exhaustus, quam Lugduni, tum intemperie aeris in omnes sæviente ac medicorum operam superante, toto pectore perbiberat.

Ex Ms. Francisci Ganneron.

FRANCISCUS BELLI

PRIOR CASULARUM

Vir non solum generis, sed etiam virtutum splendore clarus, professus Cartusiæ Mediolanensis; admotus regimini Cartusiarum Casularum, Petræ Castri et Astensis, Lombardiæque propinquioris Visitator, omnibus exemplar honestatis et religiositatis prætulit. Qui cum magnæ esset non solum apud domesticos sed etiam extraneos existimationis, suffectus in locum Reverendissimi et facundissimi Panigarolle Astensis episcopi, hanc recusavit dignitatem præ solitudinis amore. Demum anno ætatis suæ 82, in Cartusia Medio-

lanensi, omnibus charus, sancte decessit, anno 1626, 17 Septembris.

De eo agit Nicolaus Molin in sua Historia Cartusiana et Theophilus Raynaudus in suo Brunone Stylita, puncto 10, § 5.

THOMAS ANJOU

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Anno 1624, die 21 Decembris, in oppido de Murviadiro nascitur ex honestis pacificisque parentibus. Iis gratiæ donis Deus Thomæ matrem cumulaverat, ut mulier Dominum timens, jugi intenta orationi addictaque operibus mortificationis, mira cum patientia adversos quosque casus sustineret. Sollicita erat imprimis circa liberorum educationem, quibus instillabat devotionis lac et pietatis. Puer Thomas tum ex parentum virtute, quæ filiis haud mediocriter prodesse solet, tum ex optima institutione, quæ quasi altera natura est, prioris magistra, tum denique ex cœlesti benedictione, qua ex matris utero segregatus fuerat : tam præclara fundamenta jecit, ut singularis in ipsius vultu modestia, in moribus venustas, in verbis suavitas eluceret, quæ futuram illius præsagiebant sanctitatem.

Humanioribus literis jam operam dederat, cum adolescens venit Valentiam Philosophiæ cursum confecturus. Nec minus erat in illo studium virtutis. Porro cum formosus esset aspectu ac eximia oris specie, intelligeretque corporis pulchritudinem damnum plerumque inferre animæ puritati, vigilabat ut florem virginitatis servaret illibatum. Fremebat interim Satanas, acerbaque in eum odia exercens, quem occulto tentationum obscenarum bello molestissimo non potuerat debellare, externo libidinis stimulo prosternere cogitat. Quamobrem per noctem suscitat impudicam quamdam mulierem, quæ ad eum accedens verbis ac gestibus provocat ad turpem copulam. At strenuus castitatis athleta protinus hanc a se repellens, nobile de tartareo tentatore trophæum revexit.

Verum cum Valentiæ se securum non crederet, timeretque ne cœlestem thesaurum, quem gestabat in vase fictili, Stygii illi latrunculi raperent ; tutiori loco curans reponendum, rogat parentes suos, ut cum bona eorum venia migret in aliam mansionem. At iterum diabolus juvenem nostrum aggreditur. Traditam sibi aliquando epistolam deferebat in domum quamdam ; cumque nihil sinistrum suspicaretur, in hanc ingressus occurrit duabus mulieribus, quæ elegantiori forma illius captæ, januis clausis, blandis sermonibus ad turpia pelliciunt, ruunt in ipsius amplexum. In his constitutus angustiis Divinam Thomas implorat opem, mulieresque a cœpto scelere revocare nititur ; at illæ acrius urgentes, eumque vi rapientes ut in turpem copulam con-

sentiret, impetum faciunt in eum et in terram dejiciunt. Verum blanditias minasque parvipendens, altius inclamans, hac arte delusit luxuriosas; tartareisque machinis novo spiritus stratagemate debellatis, tanquam alter Joseph fugiens, victor evasit.

His nobilitatus triumphis ibat Thomas quotidie de virtute in virtutem. Tunc fuit orationi et mortificationi addictior; utque non in incertum curreret, ducem et magistrum vitæ spiritualis venerabilem quemdam sacerdotem præstituit sibi, cui perfectissime in omnibus obtemperabat. Cumque presbyter ille Thomam mentalis orationis praxim edoceret, discipulusque juxta præscriptam sibi regulam huic exercitio vacare niteretur, Spiritus, qui ubi vult spirat, ita juvenis mentem divina prorsus luce illustrabat, ut ille, dignus qui fieret aliorum magister, ad contemplationis apicem conscendens, profunde a se ipso abalienatus conspiceretur. Solitarius incedebat, fugiebat amicorum consortia, corpus macerabat jejuniis asperioribusque flagellis cædebat usque ad sanguinis effusionem.

Per id temporis, anno videlicet 1640, adfuit professioni Joannis Baptistæ Periz, quam ille emisit in Cartusia Vallis Christi. Hoc spectaculo ad præstantius vitæ genus ineundum provocatus Thomas, Deo intus fortiter inspirante, per literas petit inscribi in Patrum Vallis Christi familia. Votis illius annuere Patres; haud vulgarem etenim animadverterant in eo morum maturitatem, quamvis nondum attigisset sextum decimum ætatis annum. Exceptus igitur est communi suffragiorum calculo, habituque donatus, die 29 Novembris anni 1640. In ipso tyrocinii tempore, prioris vitæ laudem tanta posterioris gloria accumulavit, ut de eo illud Ecclesiastici posset enunciari : *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Quidquid enim virtutis ad perfecti Cartusiani constitutionem excogitari poterat necessarium, id totum in Thomæ vita, moribus, conversatione intueri licebat ; adeo ut Petrus Benavente, magister ejus spiritualis, vir sanctitate celebris, frequenter diceret discipulum suum non natum fuisse ex muliere, sed potius Angelum de Cœlo delapsum, cujus virtutes humanæ mentis intelligentiam excedebant. Emisit professionem anno subsequenti, die S. Andreæ festo. Jamque factus emeritus miles, tanto cum spiritus fervore cucurrerat, ut sanctitatis consummationem comprehendisse videretur.

Id autem imprimis, Dei dono, cum eo actum est, ut qui ab ipsa ineunte ætate castitatis hostem severioris abstinentiæ armis sibi subjugaverat, nunquam deinceps reluctantem, sed subjectum semper habuerit, primumque virginitatis florem, quem a nativitate tulerat, perpetuum et incorruptum usque ad mortem servaverit. Quo fiebat, ut nullos non modo sponte insurgentes carnis motus pateretur, sed nec impu-

dicas cogitationes persentisceret, quibuscum iniret pugnam. At quanquam non haberet sævientem in pudicitiam hostem, haud tamen certam sibi pacem pollicebatur, quod ea negligeret, quibus is, si quando insolesceret, valeret reprimi. Quapropter tam severam oculis adhibebat custodiam, ut cum Valentiæ moraretur sacros Ordines suscipiendi causa, in nullius mulieris vultum oculos unquam conjecerit, quamvis monachorum Vallis Christi quasdam affines alloqui coactus fuisset.

His adjiciebat frequentes disciplinas, jejunia, perpetuamque carnis suæ mortificationem: licet aliunde non indigeret tam acre bellum corpori suo indicere. Juxta enim V. P. Francisci Pallas testimonium, ea puritate mentis et corporis Thomas exornatus erat, ut Franciscus ejus excipiens Confessiones, non hominem sed Angelum audire crederet. Hæc puritas in illius verbis, in ejus vultu, in ejus actibus mirabiliter elucebat, adeo ut qui semel Thomam viderant, tanquam philtro et illice puritatis ejus illecti, illum amarent, illum tanquam Angelum Dei venerarentur.

Præter præscriptas per Statuta nostra mortificationes, multas etiam alias superaddidit, quo Crucem Domini nostri Jesu Christi portaret in suo corpore. Cumque supervacanea sit plerumque carnis castigatio, nisi et accedat maceratio mentis, inde sollicitus erat vel minima animi vitia resecare. Quamobrem ad alterum ac perfectius mortificationis genus assurgens, cum esset ex ignea hominis constitutione proclivis ad iram, ita studuit vel minimos et leves iræ motus cohibere, ut, divina opitulante gratia, ad eum mentis statum pervenerit, qui ab omni prorsus iræ perturbatione vacaret, nulla moveretur injuria. Assiduo labore suique ipsius custodia eam morum mansuetudinem sibi comparaverat, ut non modo domuerat exiguos iræ motus, sed lætus tranquillusque illata sibi ab aliis convitia excusaret.

Cultor erat eximius solitudinis Thomas noster; quapropter omnem tum Fratrum tum sæcularium hominum conversationem fugiens, rarissime e cellula exibat. Quod si interdum ex necessitate egredi cogeretur, antea cogitabat an expediret. Nonnunquam cum pedem unum extulerat e cella, statim illum referebat, ratus satius esse ut ibidem remaneret. Abstinebat etiam a Spatiamentis, raroque monachos invisebat. Pergebat ad ecclesiam vix audito campanæ pulsu. Cumque ex natura laboraret somnolentia, adeo ut interdum vix posset oculos aperire, statim atque templum fuerat ingressus, dixisses ex oculis illius crassum humorem effluxisse; soporemque omnem ita protinus Thomas excutiebat, ut divinas laudes voce suavissima decantans, nunquam in ecclesia vel minime dormitans appareret.

Orationem, tanquam virtutum omnium columen, tam individuam assum-

pserat sibi comitem, ut in ea diu noctuque versaretur. A Deo raptus suaviter, per contemplationis donum absorbebatur in Divinitatis abysso. In hoc exercitio perseverabat per septem horas; imo huic vacabat semper, mentem ad superna gerens erectam. Deum habebat ubique præsentem, nullumque tempus effluere patiebatur, quin illum cogitaret. Ex hac continua divinæ Majestatis contemplatione exclamabat: « Vivo ego, non jam ego, sed vitam spero longe præstantiorem; unde morior quia non morior », has voces ex beatissima Theresa sibi vendicans.

Cum autem per alas contemplationis volaret sicut aquila, timens ne diabolus se transfigurans in Angelum lucis expanderet rete super Thabor, pectus suum viris sanctioribus patefaciebat. Per id temporis florebat juxta civitatem Valentinam, apud monasterium S. Joannis de Ribera, vir pietate celeberrimus Didacus de S. Sacramento, in Theologia mystica peritissimus. Huic aliquando Thomas scribens indicabat cordis sui desiderium studiumque in virtute proficiendi; subjungebat autem animi sui anxietatem, metumque ne in vacuum Dei gratiam reciperet. Cui Didacus inter alia respondit : « Oculos nostros, utpote judices minus idoneos in propria causa, cæcutire; ideoque singulare Dei esse donum alterius judicio credere, sibi diffidere. » Literisque imponens coronidem, sic ait : « Charissime, quis poterit discooperire cineres, quibus tegit Deus amorem quem operatur in talibus præliis? O felices pugnæ! quarum innumeræ sunt coronæ, et quibus non coronabuntur nisi qui legitime certaverint. Macte animo! Adhæresce constanter Jesu Salvatori nostro: Ipsum aspice tanquam vitæ Librum et spera in eo semper. »

Ad has scintillas exardescens, quotidie magis ac magis Thomas æmulabatur charismata meliora. Cumque nihil in mente præter Deum haberet, nihil præter ipsum cogitare vel amare studeret ; ex hac hominis interioris compositione, tanta morum honestas, modestia gravitasque in eo elucebant, ut qui Thomam intuebantur, Angelum videre crederent. Fulgor etiam ex ejus vultu emanabat, quem aliquando ferre non sustinens vir gravitate spectatissimus, Thomam vocavit hominem Deo circumdatum. Unde in magna erat existimatione apud eos qui per id temporis audiebant ut sancti. Mater Francisca Lopez, omni genere virtutum exornata divinisque cohonestata favoribus, Thomam tanquam filium diligebat : cui aliquando in amicitiæ tesseram dedit rosarium, quo Thomas in extremis constitutus dæmonem debellavit. Nullus Thomam videre poterat vel alloqui, qui non raperetur in illius amorem ac venerationem.

Humanæ vero laudis osor maximus suisque in oculis sibi vilescens, instantissime petiit licentiam secedendi in Domum Viæ Cœli, utpote remotiorem, ubi

soli Deo cognitus imposterum suam salutem operaretur. Verum cum hæc Domus novella vagiret adhuc in cunis, et ob incolarum paucitatem ibidem observantia regularis vigere non posset, Superiorum consiliis Thomas acquiescens et à mente desistens, perseveravit in hoc monasterio.

Interim ad ultimam vitæ metam properans, anno 1650, die 3 Septembris, levi morbo corripitur. Quo ingravescente, in ipsa Sanctæ Crucis Exaltatione, vitæ noxas Confessione expians, Sacro Corpore Domini reficitur; moxque Extremæ Unctionis Sacramento inunctus, omni studio ac devotione se parat ad Domini adventum. Singulari pietatis sensu proferebat psalmorum versiculos; modo Beatissimæ Virginis Mariæ opem, modo Sanctorum inclamabat; per fidei, spei et charitatis actus in Deum ferebatur ardentius, novam vultus hilaritatem ac serenitatem præ se ferens. Rogabat etiam adstantes monachos et Conversos, ut preces funderent, debitaque post mortem illius persolverent cito citius suffragia. Quem cum obsecrarent circumfusi Patres, ut eorum vicissim in Paradiso memor esset, id ex animo præstiturum eis pollicebatur.

Sub ea tempestate jam de salute ægroti conclamantes monachi, Salvatoris nostri Passionem recitant, contestatamque Fidei Christianæ denunciationem propria Thomæ manu descriptam. His attentissimas præbens aures, accepit Fidei protestationem tanquam scutum quo mortem intrepidus exciperet. Subjunxerunt etiam agonizantium consuetas orationes. Tunc magnam sanguinis copiam, quem medici cohibuerunt, e naribus effundens, ita viribus defecit, ut non sine miraculo vitam protraheret. Advenit Hieronymus Thomæ pater ultima filio suo mœstus exhibiturus officia charitatis. Quem videns vir plane carni et sanguini mortuus consolatus est forti constantique animo; nullo sensu teneriori ad afflicti patris aspectum motus, dicebat Divinæ voluntati esse obtemperandum.

Per totam illam diem, sextam decimam videlicet Septembris, frequentes producebat actus amoris, summoque Christum, Sacratissimam Virginem Cœlitesque videndi desiderio flagrabat. Interim duobus Religiosis Hymnum *Te Deum laudamus, etc.* recitantibus, ipsis se adjungens eosdem versiculos repetebat. Tunc petiit quemdam codicem, in quo collegerat varios Scripturæ Sacræ locos animam agenti accommodatos. Hos perlegens et mente revolvens, consideransque suum corpus mox sepulturæ tradendum; nesciusque an amore vel odio dignus esset, an anima videret dies æternitatis quæ bearet, aut quæ cruciaret; cumque se crederet solum, remotis ut putabat arbitris, Salvatorem suum sic alloquebatur: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi*, sed *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*. Cumque his dictis statim profunde tacuisset, nonnulli cir-

cumstantium rogaverunt quid animo versaret. Quibus respondit : « Cogito Jesu Christi perfectiones omnimodas. » Hæc verba lachrymas ex adstantium oculis elicuerunt : unusquisque etenim pretiosam in conspectu Domini mortem hanc videre desiderabat.

Divulgato per circumvicinam regionem Thomæ morbi rumore, multi ad Cartusiam confluxerunt ; inter quos, Archidiaconus Segorbiensis adveniens Thomam adhortatur ad pie sancteque mortem obeundam. Cujus tranquillitatem et summam pacem admirans, ait : « Libenter centum annos transigerem apud Cartusianos, modo novissima mea fierent morti hujus Religiosi similia. »

Illucescebat dies septima decima præfati mensis : qua Salvator noster Beatissimaque Virgo Maria cœlestibus delitiis illustrationibusque pectus ægroti permulcebant, suique tantam faciebant copiam, ut jam plane iis impar esset. Sub horam septimam matutinam iterum doloribus mortis circumdatus, in extrema vitæ linea constitutus videbatur. Itaque legitur Christi Passio, cui animum intendens, varios amoris aliarumque virtutum actus elicit. Aderat tunc monachus, qui credens Thomam ad Judicis adventum expavescere, ut illius animum erigeret, Deum tanquam misericordiarum Patrem ei proponebat ; dicebatque spem omnem suam in illo collocandam, cui servierat in spiritu ; ipsumque aiebat brevi experturum Deum tot bonorum operum remuneratorem. Interrupit loquentem vir Dei his verbis : « Ne dicas velim me divino Numini fuisse famulatum, qui in ejus cultu tarditatem accuso, et qui me servum prorsus inutilem fuisse non diffiteor. » Altiora nempe quam rudis et e vulgo quispiam de divinæ Majestatis amplitudine et justitia sapiebat.

Sub horam octavam Thomas a sensibus iterum alienus, pallida facie, oculis exanimis, compressis dentibus, visus est labentem Cœlo sacratissimam Virginum turbam conspicari. Cumque sine loquela esset, Franciscus de Alçamora, qui aderat morienti, ad se reversum illum conspiciens, devotionisque actus ferventissime iterantem, interrogavit num vellet invisere Dei Genitricem et aliarum Virginum agmen. Cui respondit : « Heu ! Pater mi, aditum Cœli sanctæ Virgines mihi prohibuerunt, dicentes me nondum sat esse ad felicitatem hanc paratum, nihilque inquinatum in Cœlos intrare. » Franciscus statim quærit ab eo, quisnam hæc ipsi declarasset. Cui Thomas ait : « Illæ sic mihi affirmaverunt. » His dictis, qui antea lectulo stabat affixus et immobilis, cum factus robustior se in utrumque latus verteret, Infirmarius sciscitatur ab eo, quidnam ei acciderat. Cui ille, cum diu subticuisset, tandem fassus est se usque ad portas Cœli fuisse deductum, quas ingredi fuerat prohibitus, eo quod nævulis et sordibus, levissimis licet, macularetur.

Post secundam horam pomeridianam adstanti monacho dixit se ab aliquo vocari. Interroganti autem quisnam esset, respondit se a Jesu Salvatore nostro esse accersitum. Tunc Religiosus dixit ei : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Verum non exaudita fuit statim illius oratio : purgandus adhuc quippe erat et in camino ægritudinis probandus, donec stannum et scoriam penitus abjiciens, tanquam aurum purissimum Deo præsentaretur.

Vesperis expletis, plerique Patres ad illius cellulam confluxere ; verum hac multitudine illius halitum intercludente, unusquisque ad illius instantiam recessit. Cumque Pater Franciscus de Alçamora interrogasset, num vellet cum eo Hymnum *Amor Jesu dulcissime, etc.* canere ; id sibi gratissimum fore Thomas significans, tanta cum vocis suavitate aures circumstantium permulsit, ut Angelum dixisses canere, non hominem semimortuum : qui, cygnum imitatus, quo plus vitæ metam attingebat, tanto magis canorus in morte videbatur. Ad dulce melos acciti Patres, se se conjunxere modulanti. Cumque Litanias Beatissimæ Virginis adjecissent, ipseque respondisset *Ora pro me,* paulo post rapitur in extasim ; ex qua redux ita gaudio perfusus et amore succensus apparuit, ut e lectulo exilire contendens dixerit : « Sufficit mihi ; superabundo gaudio. Totus ardeo charitate, cujus non valeo sustinere faces ; hæc flamma me comburit. »

Mira gestiebat lætitia, cum, invalescente morbo et viribus paulatim defluentibus, extremum vale dicit circumfusæ monachorum turbæ, rogans illos ut in supremo se agone luctantem juvarent, statasque, quibus profectura de suo corpore anima comitari solet, funderent preces. Mox singulos lachrymantes amplectens, se se componit ad placidissimum mortis somnum, Dei Genitricis ejusque Filii conspectu recreatus. Sed ut lætis Deus tristia solet admiscere, ne constanti rerum prosperarum cursu insolescamus, ecce conspiciendum se dedit diabolus, vultu plane lurido horridoque, et magnis conatibus hoc sibi agere sumpsit, ut pia et ultima interturbaret exercitia. Salutis illius desperationem molitur ; at imbelli ictu irritoque conatu. Lusit enim Thomas veteratorem diabolum, Stygias larvas cum suis terriculamentis longe jussit facessere : Jesu et Mariæ nomen et opem inclamans, armatusque salutifero Crucis vexillo, quod manu gestabat Fideique professionem, appensumque ad collum habens rosarium Matris Franciscæ Lopez, cui devotissimus erat, victor evasit. Paulo post felicissima anima, abruptis corporeæ concretionis vinculis, inter comprecantium monachorum lachrymas et gaudium, identidem repetens *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum,* in cœlestem patriam evolat, anno 1650, die

17 Septembris, ætatis anno 26 et novem mensibus.

Vix mortuus fuerat, cum Religiosi defuncti cadaver venerantes, ruunt in oscula pedum ac manuum, et præ devotionis impetu unusquisque certatim sibi vestium præscindit particulas. Fama vero de ipsius obitu diffusa, multi petierunt illius reliquias, quorum devotioni satisfacere coacti Patres frustula vestium et ciliciorum ejus indulserunt.

Cæterum ut innotesceret animam illam in Beatorum spirituum consessum receptam fuisse, Deus ejus gloriam statim post Thomæ mortem declaravit in hunc modum.

Vix excesserat e vivis, cum Isabellæ Joannæ Gallindo matri suæ ipsam consolaturus apparuit, quemadmodum ipse positus in extremis patri suo promiserat. Hæc piissima mulier afflicta graviter, multum erat anxia de filii morbo. Quod cum Thomam minime lateret, dixit suo parenti, se matris suæ dolorem abstersurum post depositam corporis sarcinam. Stetit promissis ; dum enim mœsta mulier effunderet in conspectu Domini cor suum, subito tanta spirituali lætitia se sensit perfusam, ut dixerit exclamans : « Filius meus Thomas modo defunctus est; jam nullo mihi opus est solatio, cum ipse meam omnem excusserit tristitiam. » Illa tempus signavit, quo mœroris extrema gaudium occupaverat; rebusque circumspectis, omnibus patuit Isabellam in ipso fere mortis filii sui momento fuisse consolatione lenitam.

Alias eadem mulier dum in cubiculo esset, conspexit lucem instar solis radiantem; cujus fulgore Thomam filium suum mirabili quodammodo adesse sibi intelligens, tantum ex illius præsentia concepit gaudium, ut extra se rapta corruerit in terram. Strepitus cadentis corporis cubiculo circumvicinos advocavit; verum statim disparuit illud lumen.

Mariana Anjou ejus amita, mulier magnis exornata virtutibus, dum aliquando in ecclesia secum reputaret quodnam beatitudinis præmium suus nepos fuisset adeptus, audivit vocem sibi distincte dicentem : « Cave ne hoc curiosius scire desideres, ne inani gloria movearis. »

Thomas etiam se se Antonio Martino de Altarriba, professo Vallis Christi tuncque Aræ Christi Priori, præbuit conspiciendum. Hic in una chori cathedra illum vidit. Cumque jam ad meliorem vitam Thomam sublatum fuisse cognosceret, sibi fingere non poterat eum esse, qui ante suos oculos versabatur ; utque fieret certior visionis, accessit ad locum, ubi Thomas apparebat. Cumque comprobasset rei veritatem, illum interrogavit, an Thomas esset ; tuncque eum lumine circumfusum, cœlesti gloria effulgentem conspexit. Post exhibitas eidem Martino gratias pro præstitis sibi tunc Novitio beneficiis, statim defunctus evanescens, se se recepit ad cœlestem patriam.

Præterea monachis Aræ Christi ad nocturnam synaxim convenientibus, unus eorum vidit Thomam cum cæteris chorum ingredientem, Augustissimumque Altaris Sacramentum magna cum veneratione salutantem. Cumque se juxta Ordinis morem Priori inclinasset, transiit ad dexteram chori partem, ubi cum aliis divinas laudes canens, adstantes insolito spirituali gaudio replevit: adeo ut Angelicis choris interesse unusquisque crederet. Adauctus eis videbatur psallentium numerus, adeo cantu personabat ecclesia. Per totas preces Matutinas mansit in sede strenue suaviterque canens. Cumque absolutis Laudibus subjectum fuisset ab hebdomadario Cantore *Benedicamus Domino*, vocem Thomas extollens, dixit : « Hic est domus Dei, et erit in perpetuum. » Sicque disparuit. Postridie Fratres loquebantur ad invicem, quomodo Dei servus matutinalibus Officiis interfuisset; singularique se perfusum lætitia fuisse unusquisque testabatur. His patet quanto cum fervore spiritus divinæ laudes persolvendæ sunt, cum hic vir beatus non solum vivens sed mortuus etiam chorum frequentaret.

Ejus Vitam de verbo ad verbum transtulimus ex Hispanico D. Joachim Alfaura.

EDMUNDUS BRUIANT

MONACHUS FONTIS B. MARIÆ

Patria Calvomontanus, professus Fontis Beatæ Mariæ; postquam per 25 circiter annos exemplariter officium Sacristæ exercuisset in Domo Luviniaci, ibidem vitæ cursum absolvit, die 17 Septembris, anno 1653, relicta religiosæ et sanctæ vitæ fragrantia.

JOSEPH DE MORLANEZ

PRIOR AULÆ DEI

Aragonius ; Ordinem Cartusiensem sectatus in Domo Aulæ Dei, sui generis nobilitatem obscuravit eximiarum virtutum suarum splendore. Quapropter a Consodalibus in Priorem Aulæ Dei electus anno 1656, præfuit usque ad annum 1661, quo ad instantissimas preces suas fuit absolutus. Verum, anno 1665, admotus regimini de Fontibus, præ solitudinis desiderio exoneratus ab hac sarcina anno 1667, e vivis excessit anno 1673, die 17 Septembris, magna cum opinione sanctitatis; cui magno cum apparatu a Nobilibus Cæsaraugustanis parentatum est.

Conditus ex singulari Dei providentia et eximiis naturæ ac gratiæ dotibus instructus est V. P. Josephus Morlanez, ut in sacro Cartusiensium Ordine novum sidus eniteret. Genus ab utroque

parente habuit antiquum, perillustre majorum meritis, et muneribus in toto Aragoniæ regno celeberrimum. Natus Cæsaraugustæ, 8 Octobris, anno Salutis 1624, ex Jacobo Morlanez Regi a consiliis, in auditorio Regis consilii Aragonensis, consobrino Comitis de Montoro; et ex Magdalena Gomez de las Cuevas, consobrina Comitis a S. Clemente.

Postridie quam natus est, in sacra lustratione accepit Josephi nomen, quo se postea morum integritate dignissimum exhibuit; et ad ejus quidem præclaram institutionem, nihil passi sunt desiderari parentes nobiles ac pii. Eum enim in omni quæ deceret disciplina, literis præsertim humanioribus, in quibus excelluit, studioque Legum Salmanticæ voluerunt multum ac diu exercitari. Hauserat ab iisdem, una cum vita et sanguine, sinceræ et solidæ pietatis sensus, quæ plurimum emicuit in prima infantia. Semel atque iterum mendicos et nudos homines suis vestibus induit; sæpius erogavit quæ sibi erant opus. Qua ætate solent appeti ardentius honores, delitiæ, hominumque gratia, fugiebat isthæc omnia. Oderat cœtus publicos, et jam tum incredibili quodam amore solitudinis capiebatur.

Anno ætatis 23, suscepit propositum arctioris vitæ inter Cartusienses degendæ; illudque, nihil inflexus fortunæ arridentis lenocinio, amicorum precibus atque etiam ipsius matris lachrymis, executus est pridie festi S. Andreæ, 29 Novembris, anno 1648 : quo die habitu monastico donatus est in Regio cœnobio Aulæ Dei.

Toto tyrocinii tempore probationem difficillimam expertus est a doloribus acutissimis morbisque plurimis, quos insanabiles futuros asserebant Doctores medici, nisi alio cibo uteretur, aliamque iniret vitæ rationem. Accedebant ad medicorum judicium adhortationes D. Augustini Morlanez in Asseensi ecclesia canonici; qui, cum ex Josephi secessu jam familiæ caput existeret, omni ope fratrem infirmum revocare a proposito nitebatur. Quo validius impugnatus est, eo restitit constantius; ac superato tandem omni obice, vota professionis emisit, 24 Aprilis, anno 1659. Solus ad templum præ valetudine progredi cum non posset, ivit innixus sociorum brachiis; et tamen, quod miraculo proximum est, ceremonias omnes obiit labore nullo.

Constantiæ fructum retulit incredibilem morum sanctitatem, et munditiem tantam, ut vel eo teste cui totis viginti quatuor annis arcana cordis aperuit, vixerit immunis ab omni graviori aut spontanea noxa. Virtutum imprimis, ad quas votis astringuntur Religiosi, studio se se applicuit. Ad solum Præsulis nutum paratus erat obsequi. Brevissimis et attritis vestibus semper usus est : post primam quam in ingressu Religionis habuit, non aliam ex eo novam et recentem admisit. Cum erat e cella migrandum, pro omni supellectile de-

ferebat Christi e Cruce pendentis effigiem, et emortui hominis caput: nempe contigerant ei duo hæc pœnitentiæ incitamenta, veluti hæreditatis titulo, a magistro quondam suo V. P. Antonio Arinno, viro sanctitate conspicuo. Fidem superabat diligentia illius in observanda castitate. Argumento est votum speciale de non defigendo unquam obtutu in ullius hominis ne Religiosi quidem vultum, et crudelis in se ipsum animadversio, si quando sibi videretur aliquid minus considerate dixisse aut fecisse.

Splendidius effulgebant tot ac tam eximiæ virtutes, quam ut liceret Josepho privatim diu et sibi soli vivere. Electus est Prior Aulæ Dei, 6 Decembris, qui sacer est divo Nicolao, anno Christi 1656, ab illius in Religionem ingressu 6 et ætatis 31. Concionem habuit ad suos, cum Prioratus possessionem iniit, jam tum indicem gravitatis, modestiæ, diligentiæ, severitatis in se ipsum, charitatis in omnes. Hanc autem provinciam gessit ad annum 1661, cum initio Julii exauctoratus est, annuente ejus lachrymis, quantum conjici tum potuit, admodum V. P. D. Simone de Billy, Priore Villænovæ juxta Avenionem et Visitatore Provinciæ, cui Convisitator assistebat plurimum venerandus P. D. Josephus Illa, Prior Montis hilaris et Cataloniæ Convisitator.

Reipsa adducti sunt Visitatores ut id petenti non denegarent, tum quod significasset se a Romano Pontifice expectare immunitatem officiorum Ordinis. Quare absolutum a Prioratu instituerunt Cæsaraugustæ Procuratorem. Sub Octobris finem, eodem anno, accepit Roma Literas, quibus ad tres duntaxat annos (neque enim plures multis precibus obtinere potuerat) eximebatur ab omni munere; statimque, ut Literarum beneficio potiri liceret, impetravit a V. P. Jacobo de Villa Roja, Priore Aulæ Dei, Cataloniæ Visitatore. Sed vix elapso triennio, designatus est a R. Patre Vicarius Conceptionis, mense Decembri, anno 1664, et ab eodem sub initium anni sequentis datus est in collegam venerandi admodum et religiosissimi Patris D. Antonii Gascon, Prioris Conceptionis, delegati ad visitandas Domos de Miraflores et de Aniago.

Hoc ipso anno in generalibus Ordinis Comitiis nominatus Prior Cartusiæ de Fontibus et Cataloniæ Convisitator, Domum suam ad angustias præ inopia redactam restaurare primus instituit; postquam persoluta sunt ei a Cartusianis Aulæ Dei quinque millia nummorum, quorum a 30 annis reditum annuum vigesimo fœnore expendebant. Ubi primum constitutus est Convisitator, mirum quam gratum in omni Provincia sanctimoniæ odorem sparserit, quam mira ubique ediderit virtutum omnium exempla, et quam acres admoverit præsertim junioribus aculeos dictis factisve.

Adfuit ter generalibus Comitiis et in novissimis creatus est Diffinitor. Sed

iterum conversus ad petendam immunitatem ab officiis, exoravit, frustra renitente Nuntio Apostolico, et ægre ferentibus R. Patre nostro cæterisque Prioribus ac Patribus in Capitulo anno 1670 congregatis. Ratam nihilominus fecerunt vel inviti concessionem Supremi Pontificis, et liberum miserunt Domum Aulæ Dei : ubi soli Deo vacare, omnia æque ferventer obire ac si Novitius esset, renovare duodecim vota olim a se nuncupata, quibus ad arctiorem disciplinam se astrinxerat. Continebant illa egregias totidem subigendi animi rationes ; quæ tamen non susceperat sine manifesto divini Numinis instinctu, gravibus momentis, Majorum facultate, ac consilio amici pii ac prudentis quicum sua omnia communicabat. Sanctos et eruditos viros, libros, Auctoresque interrogaverat diligenti inquisitione, num fas esset vitæ cursum sibi contrahere voluntaria animi et corporis castigatione, jejuniis, orationibus, vigiliis. Nactus aliquando laudatissimos Auctores, qui id assererent licitum esse cuipiam, hoc pacto vitæ annos quindecim demere, insuetam præ se tulit animi lætitiam, et ab illo tempore magis ac magis desævire in corpusculum cœpit.

Venerat Cæsaraugustam extremo Junio 1669 Serenissimus Princeps D. Joannes Austriacus, Philippi IV filius, prorex Aragoniæ, vicarius generalis regnorum omnium et adjacentium insularum. Fama hominis virtute ac doctrina inclyti obscura esse diu non potuit. Solebat Princeps adire sæpius, piæ oblectationis ergo, Cartusienses Aulæ Dei, non amplius leucis duabus ab urbe dissitos, interesse divinis Officiis, et familiariter cum illis colloqui. Et cum aliquando plurium horarum sermonem habuisset cum V. Josepho in Prioris cella, ita permotus est, ut vitam ad illius consilia in posterum componere statuerit : quapropter enixe flagitavit a R. Patre Generali facultatem accersendi Josephum cum libuisset. Quam ubi concessit summus Cartusiensium Præfectus perhumaniter et prolixe, ut decebat, continuo Princeps cellam ad morem nostrum in secretiori palatii parte adornari, lectulum, mensam, cæteramque supellectilem diligenter collocari curavit. Altero quoque mense Josephum ad se vocabat, misso sacerdote cum Confessarii rheda, qui eum deduceret.

In aula Joannis Austriaci tam solitarius erat quam in Aula Dei Josephus, tam frugalitatis ac disciplinæ rigidus custos. Veniebat ad eum Princeps sine comitatu, clavem cellæ penes se habens ; habebat et ille, de quo dixi, sacerdos, ut introduceret facilius, si quando veniebant, socios Cartusienses. De victu tenuissimo pactus erat cum Principe. Non secus ac in Cartusia media nocte surgebat ad recitationem Horarum, reliquam noctem orationi impendere solitus. Peragebat quotidie Sacrum, Christi Corpus ministrabat Joanni, ejus peccata in Confessione excipiebat, an-

nuente R. P. Augustino Antolinez jam tum Pacis Augustæ episcopo. Vix advenerat Cæsaraugustam, cum dimitti cupiebat; nec plures quam duodecim aut quindecim ad summum dies aberat a cœnobio. Quoties abeundi veniam rogabat, toties ægre concedebat Princeps. Certe suprema vice, cum denuntiasset futurum ut non reverteretur, se se invicem tenerrime et cum lachrymis amplexi sunt.

Vexabantur forte tunc temporis diversis morborum generibus socii amplius viginti; circa quos omni modo curandos dum suam collocat operam, ipse corripitur et lecto se dat 14 Septembris. Dies duos, quibus superstes fuit, integros peramanter transegit. Die 15 accepit Corpus Christi ex devotione, 16 per modum Viatici et 17 quæ Dominica erat, eademque consecrata Nomini Beatæ Virginis Mariæ (quam coluerat impense, cui se manciparat, cujusque sub auspiciis duodecim illa vota arctiora ediderat), dum peragebatur solenne Sacrum in ejus honorem, hora ferme decima, vultu hilari ac placide conversis in cœlum oculis, animam egit.

Erant certi homines, qui ad singulas horas Serenissimum Principem de Patris valetudine maxime anxium admonerent quo res esset loco. Suos, statim atque noverat male habere, miserat medicos. Ut vero mortuum intellexit, graviter commotus dedit certissima doloris amorisque indicia. Ferunt, qui aderant, conquestum esse, quod dies hæc 17 Septembris esset sibi fatalis, qua patrem Philippum Regem, et jam Patrem alterum (sic enim eum vocitabat) amisisset.

Ut amori erga Josephum suo indulgere per dignitatem illiusve exequiis assistere non licuit, commisit hanc curam Duci de Hijar et compluribus : adessent suo loco et nomine. Ducebat cœtum Dux ipse, sequebatur Comes a S. Clemente defuncti avunculus, et alii Nobiles viri suo quisque ordine, qui pedes illius omnes deosculati sunt summa cum reverentia. Majori cum pompa persolutæ iterum illi exequiæ jussu Serenissimi Principis Cæsaraugustæ in cœnobio S. Augustini, quas ipse cum suis cohonestavit, celebrante illustri ac R. Patre Augustino Antolinez, Principis Confessario, Pacis Augustæ episcopo, qui fuerat cum Josepho arctissime conjunctus.

Valde credibile est mortis tempus ipsi revelatum fuisse : quippe et Joanni Austriaco indicaverat eo, qui supradictus, modo. Et scripta sua omnia collegerat in fasciculos plures; alia destinarat flammis, alia Principi, alia V. P. D. Antonio Gascon Cataloniæ Visitatori sibi amicissimo, antequam decumberet; reperta quoque non pauca de rebus mysticis, de oratione, virtutum exercitiis; repertæ conciones, doctæ, vehementes, e quibus sat amplum volumen, ut de operibus asceticis, conficeretur.

Profecto si ex vitæ præsentis ratione

fas est conjicere quæ futura sit uniuscujusque hominis conditio in altera, conjecturas habemus graves, ex quibus certo asseverare possumus V. Josephi Morlanez animam statim a morte Sanctorum cœtui adscriptam esse : egregia videlicet virtutum omnium specimina, ac præ cæteris summam animi demissionem, de se ipso sensum humilem ; exactam Statutorum observationem, silentii amorem, castitatem integerrimam; in alios, in egenos, afflictos, morbo laborantes, et in Deum ipsum ardentem pietatem; nimiam in se duritiem, quæ crescebat in dies votorum duodecim eo pertinentium executione; paupertatem denique supra quam potest dici rigidam ac severam.

Etsi enim cum Superiorum facultate uti ad arbitrium posset annuo trecentorum ducatorum censu, quem ei debebat Antistes Cæsaraugustanus ex concessione Philippi IV, eam tamen pecuniam sibi nunquam attribuit, sed ultro cessit Conventui, ac paucis post professionem annis, scripto etiam publico liberaliter transtulit ad Cartusiam Aulæ Dei. Qua primum vice in Gallias venit Capituli generalis causa, non est passus sibi comitem adjungi, nec ullum e Fratribus, nec servum etiam, qui in necessariis subministraret; vixque ab illo impetrari potuit, ut ad victum vestitumque ea secum deferret, quibus sine gravi incommodo non erat cariturus.

Præter hæc et alia argumenta id genus multa, auxit etiam Deus opinionem nostram de felicitate Josephi prodigiis et revelationibus non dubiis, e quibus paucas adjungo.

Quo tempore excessit e vivis, ejus animus in Cœlum evolare visus est a viro quodam sanctissimo, inter Discalceatos Carmelitas Fratre Laico, qui degebat in eremo Cardonensi, leucas quinque supra triginta distante ab Aula Dei. Rem ad Præsidem suum confestim detulit vir sanctus, et aliquanto post compertum hoc ipso die et momento obiisse Josephum : quod brevi a Carmelitis Cæsaraugustæ divulgatum est in solatium multorum, quibus sui desiderium Pater reliquerat. Ad mortem perstitit in hac eremo pius Carmelita, notissimus suarum cum Deo communicationum fama et auctoritate.

Revelatum itidem fuit moniali sanctissimæ, cui adhuc trienni datus a Deo rationis usus constanter dicitur, Cœlo receptam esse post mortem religiosissimi Patris animam. Vivit etiamnum Virgo illa Deo tam chara, in monasterio quod abest ab Aula Dei leucas nonaginta. Rem omnem, quemadmodum narrata a nobis est, indicavit gravissimus testis, qui ab ipsa moniali acceperat.

Declaravit et alia singulares Dei gratias experiri, quæ nec Josephum, nec matrem ejus noverat : sibi in oratione versanti ostensum hominem, qui Cœlum ascenderet triplici corona ornatus. Sciscitanti quid esset rei, responsum est esse Josephi Morlanez animum una corona donatum, propter generosum

mundi et divitiarum, quibus affluebat domus sua, contemptum; altera, propter ardorem charitatis in omnes sanos pariter et infirmos, divites et egenos; tertia denique, in vicem constantiæ admirabilis, qua perseveravit, imo profecit ad extremum vitæ finem. Sensit ea, cui Deus arcana hæc patefecerat, suarum partium Confessario cuncta pandere. Atque is, ut erat Divinæ gloriæ desiderio accensus, idemque admodum prudens, arbitratus est totum id aperiendum, non prodito tamen nomine ejus cui Deus revelarat, Magdalenæ Gomez, Josephi Morlanez parenti.

Tam gravibus tamque præclaris testimoniis ea sane fides adhibenda, quam pietas et recta ratio suadent. Sed quod præcipuum ac palmare est : sic omni virtutum genere V. P. Josephus excelluit, ut dubitari merito non possit, quin immortali corona sit donandus, quicumque ad illius exemplum vitam suam moresque composuerit.

Ubi primum V. Josephi obitum accepi, statim V. D. Antonio Gascon Cataloniæ Visitatori subsequentes litteras misi :

« Venerande admodum Pater,

Imperat mihi scriptionem tristis nuncius V. P. D. Josephi Morlanez, digni trium Nestorum ætatem vivere, si ita Deo visum. Doluit, ut opinor, vestra plurimum V. Paternitas tantum virum præreptum sibi, Hispaniæ ac Ordini, cujus animæ virtutibus omnigenis exornatæ erat conglutinata. Sed redonatum Cœlo, nobile pignus illud ac depositum, quod Deus Cartusiensi familiæ commodarat. Occidit sol ille, Religionis decus, sanctitatis exemplar ; occidit, imo abiit, et alis tot bonorum operum subnixus, evolavit ad superas illas et beatas sedes, futurus omnium nostrum intercessor. Non ita pridem Reverendissimus Pater noster Generalis mihi scripsit de pretiosa illius in conspectu Domini morte, refertque Magnates venerabundos una cum plebe certatim confluxisse ad ejus exequias summaque cum devotione defuncti pedes fuisse deosculatos ; subjungitque : *Le V. Père D. Gascon vous écrira le reste.*

« Ne igitur ea quæ processerunt ex calamo summi Cartusiensium Præfecti facias irrita, rogo atque iterum rogo V. Paternitatem vestram, arcanorum illius consciam, ut, cum per otium licuerit, notitias fusiores de vita, obitu, cæterisque gratiæ dotibus quas Deus liberali manu in religiosissimo Patre congesserat, subjungere mihi dignetur. Ne longius, quod mei moris est, tædiosis fatigem verbis V. Paternitatem vestram, plura hac vice non addam. Tu precibus et votis filium juva quotidie tui memorem, precantem tibi vitam tranquillam, placidam senectutem, et post longævos annos dies æternitatis. Vale. E Cartusia S. Juliani, die 8 Decembris, 1673. Vester obsequentissimus, etc. F. Leo Le Vasseur. »

Submisit nobis tandem aliquando V. D. Gascon Vitam Josephi a D. Bru-

none de Solis, professo de Paulari, Hispano sermone descriptam; cui subsequentia D. Antonius adjecit his verbis :

« Addidi ego duo argumenta pietatis, quæ nuper didicimus a matre ejus adhuc superstite, quæ quidem illustris domina virtutum splendore Cæsaraugustam nostram irradiat.

« Magistra pietate, primis didicit elementis Josephus noster quod charitas Christiana primatum teneat et regina virtutum declametur. Supremo ergo insidet throno, et beati sunt illi qui ejus jugiter circumstant solio majestatis, quoniam nusquam degeneris actibus ab ipso virtutum culmine deficient; scriptum quippe est: *Charitas nusquam excidit*. Occidit igitur aliquando ferventi juveni nostro Josepho paupercułus puer algoris sævitia tremens. Ipse vero qua indutus erat viscera misericordiæ, revocat e trivio egenum ad secretum domus locum, ne tuba caneret ante se ipsum eleemosynam facturus. Mendiculus quidem amictus erat tantum simplici diploide et femoralibus, subucula nempe ex lino carebat; idcirco durius, rigente hyeme, stupebat frigore. Spoliat se intima veste Josephus et superinduit nudo. Arte factum dissimulat (est enim ingeniosus amor erga Deum et homines), ne si externis vestimentis ornaret pauperem, humilitatis virtutem vento elationis exponeret. Silentio quippe pressit opus charitatis, quod mendicus postmodum manifestum fecit.

« Ipsa charitas Christi, cujus sacræ accessionis augmento in dies Josephus noster ardebat introrsus, alterum suggessit ei haud absimile pietatis facinus. Eadem quippe pueritiæ ætate, obvius aliquando astitit pauper, sæviente hyeme, algidus et male accinctus; unde subtili vento percussus, necessitudinis spectaculum referebat. Quid protinus opus facto Joseph? Discingit se ocyus fascia coccinea qua erat accinctus, commodat pauperi, et frigoris penuriam rubro charitatis spolio depellit: jam puerulus Joseph Christum in misero intuens, qui dixit : *Nudus eram et cooperuistis me*. »

Hactenus additiones D. Gascon ad Vitam Josephi Morlanez.

XVIII DIE SEPTEMBRIS

JOANNES ANDREAS

CONVERSUS CAPELLÆ

Janitor hujus monasterii, vitæ admodum venerabilis. Nam sicut scriptum est, *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus,* ita patuit in hoc homine : quandoquidem in ejus vultu, oculis et verbis quædam relucebat gratia, quæ puritatem animæ

ipsius et mentis candorem intuentibus indicaret. Exactis in Ordine 55 annis, plenus dierum obdormivit in Domino, die 18 Septembris, anno 1501.

Ex Chronico Domus Capellæ.

FERDINANDUS DE CABRERA

PRIOR DE CAÇALLA

Alumnus de Covis; anno 1563 huic admotus officio, decessit anno 1565, mense Septembri, postquam in Ordine vixisset 41 annos laudabiliter. Celebratur ejus memoria potissimum eo quod religiose multis in officiis inservierit.

Ex Catalogo Priorum de Caçalla.

ANTONIUS LASNIER

CONVERSUS VALLIS S. GEORGII

Anno 1568, die 10 Septembris, ab Hæreticis hoc monasterium deprædantibus in odium Catholicæ Fidei sclopeti ictu vulneratus, die 18 ejusdem mensis occubuit.

Ex antiquis Monimentis hujus Cartusiæ.

JOANNES OSTERHUT

VICARIUS COLONIÆ

Vir singulari devotione et pietate decoratus, qui per Chartam Capituli generalis Elogio cohonestatur brevi quidem sed non incelebri, quod in Ordine quadraginta quinque annos laudabiliter et exemplariter fuerit conversatus. Ad vitam immortalem migravit, anno 1589, die 18 Septembris.

Ex Chronico Cartusiæ Coloniensis.

GARCIAS GUNDISALVI

CONVERSUS DE PAULARI

Oriundus ex oppido de Colmenar de Orcia nuncupato Toletani regni; veritus mundi pericula, cum divinis se obsequiis mancipare decrevisset, ad Domum de Paulari confugiens, anno 1558, inter Conversos adscribitur. Evoluto autem tempore probationis, in ipsa S. Joannis Baptistæ Solennitate vota monastica nuncupavit. Ab ipsis suæ conversionis incunabulis omni studio incumbens religiosæ perfectioni, velut prudens architectus, Evangelicam sanctæ paupertatis petram eo sane pretiosiorem superædificat, quo illa universas hujus mundi opes, ditiones, regna, imperia non modo splendore ac dignitate antecellit, verum etiam præ se arbitratur ut stercora. Hinc eximius Dei servus ut se legitimum divi Brunonis et priscorum Patrum (qui Pauperes vulgo nominabantur) filium non nomine tantum sed re vera ostenderet, altissimam rerum paupertatem velut pretiosissimam Religionis gemmam, quantum potuit, per totum vitæ spatium sectatus est.

Etenim cum animum ab omni rerum cupiditate non modo liberum sed et alienum gereret, rebus quoque non ad voluntatem aut voluptatem, sed ad necessitatem duntaxat, ac veluti vi quadam adductus, utebatur. Habitus enim, dummodo corpus tegeret atque inserviret honestati, non quis melior, sed potius quis deterior et obsoletior esset, ab eo quærebatur ; neque statim lacerum mutare, sed multis segmentis reconcinnatum ad extremam usque vetustatem gestare consueverat. Multo sane iis paupertate felicior, qui (cum pauperes ac nudi a natura geniti sint, et rursus nudos et pauperes ad eam illos regredi oporteat) brevem hunc vitæ cursum, quem inter utramque paupertatem facilem ac pacatum possidere valent, multarum rerum quæstu perturbatum, ac velut atra tempestate jactatum sibi esse malunt : præsertim cum illud in divitiis maximum sit, quod supervacaneæ sint, agnoscere.

Sic igitur Garcias amore paupertatis afficiebatur, ut nec quicquam penitus illius animum oblectaret, nisi in eo intueretur vestigia paupertatis. Nihil in cella præter unicam scutellam, et stragulum sparteum quo lectuli stramentum cooperiebat, possedit. Nec minus in victu quam in supellectili vestibusque studiosus fuit paupertatis ; nam semper abstinuit a cibis lautioribus. Cumque interdum aliquid tantisper delicatioris escæ subministraretur, hoc recusabat dicens : « Auferte ista a me ; non enim possum consumere tempus in illis præparandis, nec illis ullatenus indigeo. »

Porro verus hic paupertatis amor tam perfectam illi mentis obedientiam paraverat, ut nullum tam durum ac difficile illi a Superioribus opus injungeretur, quod summa alacritate ac studio non perficeret. Non tarda, non cunctabunda, non oculata, non querula ; sed velox, moræ nescia, cæca atque hilaris hujus viri erat obedientia : ita ut voluntate, nedum voce Prælati percepta, aures auditui, linguam voci, manus operi pararet. Quoties Domus aliqua indigebat Garciæ industria, ipse, obedientia duce, lubens vertebat solum. Haud cunctabatur, quando, accepta Capituli generalis ordinatione, ipsi alio erat migrandum ; non crastinum quærebat iter adornaturus, sed, ut alter Bias, omnia secum portans onustusque thesauro paupertatis, e vestigio discedebat. Plurima hujus rei exempla suppetunt, quæ, uno duntaxat excepto, prætermittimus, quod quidem excerpsimus ex Manuscripto hujus Domus. Cujus ipsissima verba sunt :

« Præceptum fuit in hac Domo Religiosos aliquot seu Conversos in nostram Granatensem proficisci ad illam novam plantationem conservandam, inter quos nominatus fuit F. Garcias ; signatoque die profectionis, ut omnia ad illam essent illis parata, egregio huic Converso non fuit molestus dies venturus proficiscendi, quia pro tunc et ad

statim paratus erat. Hoc patet : siquidem advento die prædicto, exiit primo mane, ut solitus erat, ad laborandum. Congregatis vero in porticu Domus omnibus ad Granatensem profecturis, solus desiderabatur F. Garcias. Quærebant igitur per Domum et cellam, non curantes quod pro tunc ad opus exiisset ; et certe fastidio erant, quia detinebantur, et ignorabant utrum paratus esset, eo quod non appareret. Denique jam eum laborantem invenerunt ; querentesque quod sua culpa detentio esset, majorque fieret, quia nihil paratum habebat, ipse religiosissimus vir nullum dans responsum, primo occurrenti sibi dixit : « Accipe et redde hanc clavem nostræ cellæ ; nihil enim indigeo, nisi ut tolutarem mulam ascendam. » Et sic hac nuditate profectus est, absque ulla alia præparatione, nec cum veste altera, nec aliquo alio ultra id quo indutus erat. Et similiter in omni occasione faciebat, quando ex præcepto agebat iter ; ita ut nec secum sumeret quo vesceretur, nec quo operiretur (etiam si essent pluviæ), ut posset ab inclementiis cœli et temporis defendi. »

Semper autem memor homini vescendum esse pane suo in sudore vultus sui, Garcias otii osor maximus ita strenue ac assidue laborabat, ut mancipii Domus nomen mereretur. Sustinebat diei pondus tanquam mercenarius qui sibi victum compararet ex labore, mittensque manum semper ad fortia, spirituali superabundabat gaudio. Ex his virtutibus pullulabant mira mansuetudo, modestia singularis, summa humilitas, eximiaque charitas : quibus dives, cum 47 annos in magna tranquillitate et pace Garcias exegisset, a Domino remunerandus abiit in Cœlum, die 18 Septembris, anno 1606.

Ex Manuscripto Cartusiæ de Paulari.

LAURENTIUS VASQUEZ

MONACHUS DE MIRAFLORES

Ex honesta civitatis antiquissimæ Civitatensis stirpe progenitus, pia sollicitudine parentum educatus in timore Domini, vitam cum omni pietate traduxit. Cum autem aliquando Religiosum quemdam prædicatorem publice multa dicentem in laudem Instituti Cartusiensis audiisset, hujus Vitæ desiderio statim succensus, omnem movit lapidem, quo inter hos Patres annumeraretur. Verum cum literis operam daret in Academia Salmanticensi, nullumque ibi occurreret Ordinis nostri monasterium, spem penitus abjiciens migrare statuit ad Benedictinos. Jam iter faciebat cum hujus Familiæ monacho sacerdote Novitii cucullo vestiendus, cum Cartusiam civitati Burgensi adjacere intelligens, sopitos primæ vocationis ignes sensit recalescere. A mente igitur desistens deflectit ad Cartusianos ; atque ut hanc esse dexteræ Excelsi mutationem nemo dubitaret, vix Religionis nostræ stadiodromon ingressus, eum virtutis cursum instituit,

quo non ignaviter aut incerta meta curreret, sed Apostoli exemplo, novæ vitæ curriculum ab ipsa corporis et sensuum castigatione exordiretur.

Per quinquaginta fere annos nunquam per noctem vestes et cucullam magnam neque calceos deposuit; cumque corpori, jejuniis et macerationibus fesso, brevem quietem indulgeret, haud tamen in lecto de more paleis strato unquam decubare visus, sed in dura tabula indutus tantillum somni capiebat : adeo ut dum in extremis esset, Sacro inungendus Oleo, circumstantes animam agentis calceamenta detraxerint. Hinc fœda vermiculorum examina Laurentium diu noctuque exedentes, amplam patientiæ segetem ipsi subministrabant. Tam severa abstinentiæ lege carnem perstringebat gustusque delicias persequebatur, ut familiaria illi essent jejunia, vinumque gustaverit nunquam, donec annum ætatis quadragesimum agens, ob naturæ defectum modico uti coactus fuerit. Laurentii supellex, cellæ utensilia, vestes, et ea omnia quæ suo usui deservirent, supremam inopiam prædicabant. In cujus argumentum per quinquaginta duos annos, eamdem, qua indutus fuerat in die suæ professionis, gessit vestem.

Ab omni rerum cupiditate sic alienus, orationi erat addictissimus, divinisque assiduus Officiis. Quadam nocte dum Matutinæ preces decantarentur, contigit ut fractus senio jejuniisque exhaustus defecerit. Detulere duo Fratres in cellam senem inter brachia exceptum; qui cum ab eis vestibus spoliandum se cerneret, ipsis resistens, gratiasque rependens pro exhibito charitatis officio, illos remisit ad ecclesiam. Verum alter eorum in cella Laurentii clam remanens, audivit illum sic objurgantem corpus suum : « Heu! miserabilis bellua, de te vindicabor, libensque, si mihi daretur, te lacerarem ungulis et in fornacem ardentem dejicerem. Num ignoras quod *Non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis?* Si vis degustare nucleum, nucem frange; non enim dulcia meruit, qui non gustavit amara. »

Demum ad meriti cumulum per quinquennium orbatus oculis, cæcitatem patientissime sustinuit, Deum benedicens. Et in abrepto proposito ad extremum usque spiritum per 53 annos sancte perseverans, repositam sibi coronam recepit, anno 1615, die 18 Septembris.

Ex Manuscripto Cartusiæ de Miraflores, ubi præterea commendatur ob silentii amorem, et in eadem Domo stabilitatem.

HIERONYMUS SEBASTIANUS

MONACHUS AULÆ DEI

Alumnus hujus monasterii; qui per triginta annos in Domo de Fontibus egit Procuratorem. Vir austeræ admodum vitæ, cibi parcissimus, cultor egre-

gius paupertatis, qui quanto plus suis in oculis vilescebat, tanto magis erat apud omnes in veneratione. Præcellebat in eo haud vulgaris charitas in pauperes : ipsos siquidem, præsertim pueros, suis propriis expediculabat manibus, eorum resarciebat vestimenta, ipsisque materna prorsus ubera exhibens, illos corporaliter simul et spiritualiter reficiebat. Decessit in senectute bona, anno 1645, 18 Septembris, relicta sanctitatis opinione. Post cujus mortem ejus vultus tanquam facies Angeli apparuit.

Ex Ms. hujus Domus.

XIX DIE SEPTEMBRIS

GUILLELMUS

ARCHIEPISCOPUS ARELATENSIS

Ex Priore Montis rivii ad Archiepiscopatum Arelatensem evectus, non solum verbo sed etiam virtutum suarum exemplis commissæ sibi plebi præluxit. Legationis Apostolicæ officio functus est sub annum 12 Pontificatus Innocentii II. Eodem tempore, Bernardo Arausicensi episcopo et Arnaldo sacrista præsentibus, querelam inter Canonicos Arelatenses et Monachos Massilienses, pro quibusdam ecclesiis ab Abbate injuste detentis, composuit, anno 1141. In Indiculo Cartusianorum sanctitate illustrium Guillelmus vocatur Præsul justitiæ operibus et sanctitate illustris.

AMBLARUS

EPISCOPUS DINIENSIS

Relictis infulis, summa cum humilitate Cartusianam Vitam in monasterio Excubiarum professus est. De quo Petrus Gassendus et post eum Sammarthani in Gallia Christiana his verbis mentionem faciunt : « Amblarus memoratur in Tabulario Venciensis Ecclesiæ, anno 1247 ; de quo ad Martyrologii Diniensis marginem reperies verba ista sub 13 Kalendas Octobris : *Eodem die V. P. Amblarus hujus Ecclesiæ episcopus obiit.* Fertur autem idem esse ac is, cujus nomen inter documenta Cartusiæ Montis rivi vix legitur, necnon nomen Archipræsulis Aquensis, cum quo simul et Benedicto Massiliæ ac Fulcone Reiensi episcopis, primarium altare cœnobii illius benedixit, anno 1252, quarto Nonas Octobris. »

Notat porro Gassendus in *Catalogo Diniensium Episcoporum* Amblarum, abdicata dignitate Pontificia, Cartusianorum vestem induisse, anno 1256, in Excubiarum Domo ; cui Domui et nonnullis aliis, nempe Durbonensi ac Cartusiæ Pratibajonis, plurimum benefecit. In hac igitur eremo sanctus Antistes,

jejuniis, rerum cœlestium contemplationi, cæterisque, quæ Cartusianum decent, exercitiis intentus, vitam admodum religiosam duxit. Spirituque prophetiæ afflatus, etiam futura prænunciavit, nominatim vero R. P. Bernardi de Turre summi Cartusiensis Ordinis Præfecti obitum, anno 1257.

Amblari Vitam manuscriptam, quæ periit temporum injuria, elucubravit Laicardus Ordinis nostri professus, in qua refert ipsum dono prophetiæ claruisse.

HENRICUS POLETI

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Vir facundiæ et scientiæ singularis necnon et multæ pietatis, qui in activa vita vix similem habuit. Ex regimine Cartusiæ Parisiensis anno 1341 ad totius Ordinis Præfecturam evectus, ex bona et exemplari sua conversatione omnes in sui amorem rapuit et admirationem. Verum cum contra omnes sapere, desipere sit : dum quamdam consuetudinem in Ordine, quam putabat honestam, contra sanctam Ordinis antiquam rusticitatem introducere vellet, Ordoque sive generale Capitulum eidem recusaret consentire ; cum hanc eremum et totum Ordinem sapienter religioseque gubernasset, ab ipso Capitulo *misericordiam* petens ipsam obtinuit, anno 1346.

Porro cum Cartusiæ monachi tanto Moderatore orbari moleste ferrent, illum iterato in Priorem elegerunt. At Henricus eorum electioni haud consentiens, rediit ad Domum suæ professionis (Vallis viridis scilicet), ubi in pristinam restitutus dignitatem, cum usque in finem perseverasset, tandem pie mortuus est, anno 1353 (vel 1360) die 19 Septembris, uti probavimus in Catalogo Priorum Domus Parisiensis, et ut patet ex Charta Capituli generalis et ex Kalendario Parci. Decessit ab omni regiminis sarcina exoneratus, ut conjicere est ex Kalendario Parisiensi.

De Henrico agunt Chronicon Majoris Cartusiæ et cæteri Rerum Cartusiensium Scriptores.

GEORGIUS ZENTGRAFF

PRIOR SEIZ

Natione Germanus ; professus de Paulari, ibidem Vicarius ac Rector, postea Prior Tukelhausen, Erfordiæ et Seiz, et Alemaniæ superioris Convisitator ; vir exemplaris admodum conversationis, regularis observantiæ zelator præcipuus, spiritualibusque multum addictus exercitiis. Ex Urbe rediens, quo perrexerat negotiorum Domus suæ gratia, Venetiis pie moritur, anno 1575, die 19 Septembris.

Ex Manuscriptis.

ANTONIUS PANADES

MONACHUS SCALÆ DEI

Catalanus ; a teneris annis insigni morum modestia præditus, juventutem traduxit in monialium quarumdam famulatu, quarum adhortationibus ad omnem se se formans virtutem, anno 1566, die 20 Septembris, adscribitur inter Cartusianos. Quamvis autem ætate parum provectus esset, animi tamen maturitate velut senior apparens, omnium sibi demerebatur amorem ac venerationem. S. Antonium abbatem colebat singulari devotione, cujus sacellum dictum de Montalt cum Superioris sui licentia reædificavit decentius. Procuratorem primo, deinde Vicarium agens, sanctioris vitæ exemplis Domum hanc multum illustravit. Tandem de ea optime meritus morte decessit religiosissima, anno 1614, 19 Septembris.

Ex Libro fundationum Joseph de Valles.

XX DIE SEPTEMBRIS

JOANNES DE CERESIO

FUNDATOR ECCLESIÆ CARTUSIÆ PARISIENSIS

Quondam Thesaurarius Ecclesiæ Lexoviensis ac Clericus Philippi Quinti cognomento Longi. Ab avunculo suo venerandæ memoriæ domino Andrea Porcheron testamentariæ procurationi, anno 1310, præpositus, cum ingentes divitias in pauperes erogandas et ad alia Christianæ pietatis opera relictas, partim negligentia partim avaritia in proprios usus converteret, executioni minime mandabat juxta testantis voluntatem. Aliquando diu post Andreæ obitum accidit, ut dormitanti phantasma seu spiritus assisterit ipsius negligentiam dure increpans, quod cum suæ conscientiæ detrimento tamdiu retinuerat defunctorum facultates ; insuper et jubens, ut quam citius extremæ avunculi sui voluntati faceret satis : sin autem obtemperaret, brevi sisteret se ante Divinum tribunal, ad quod tanquam reus vocabatur.

Hac visione ita exterrefactus fuit magister Joannes de Ceresio, ut per semihoram omni sensu, actione usuque rationis fuerit destitutus ; ita ut, sicut ipse postea testabatur, utrum vivus vel mortuus esset, penitus ignoraret. Interea videre sibi visus est Angelum templum quoddam nondum absolutum sibi demonstrantem. At Joannes per id temporis visionem minime poterat intelligere : Angelus etenim ei ne verbum quidem locutus disparuit. Quadrante

circiter elapso, Ceresius in extrema parte scamni apertis oculis stupefactus in cubiculo suo se reperit, cogitavitque num hæc sibi per visum aut per quietem accidissent. At rem diligentius perpendens, Divinam revelationem sibi fuisse factam intellexit. Ex quibus tantam tristitiam animique anxietatem concepit per octiduum, ut familiares ejus quantum a se mutatus esset mirarentur, ipseque quid sibi faciendum plane ignoraret.

Interim cum singulis diebus animi relaxandi causa per agros spatiaretur, accidit mane Sabbati, ut ex urbe egressus, Sacro in Ecclesia Dominæ nostræ de Campis interesset ; quo peracto, ut se se ab anxietate tristitiaque liberaret, Abbatiam S. Germani de Pratis lustrare sibi proposuit. Per viam cogitabundus imprudens tendit ad Cartusiam ; a quonam illuc deductus sit, stupet et miratur. Cumque ignotus neminem nosceret cujus colloquio potiretur, per septa monasterii ambulat, opifices alloquitur, inter confabulandum contemplatur ecclesiam ; attentiusque structuram illius considerans, illam esse, quæ sibi divinitus demonstrata fuerat, perspexit. Unde supra modum exhilaratus, satis intellexit se Divino nutu ad hanc eremum deductum, ut hæreditarias facultates ad Ecclesiam Vallis viridis perficiendam impenderet. Nemini tamen visionem et animi propositum declaravit.

Redux in domum suam cum decubuisset, per noctem de basilica cogitat; dumque talia animo volveret, sopore depressus obdormivit. At Angelus, qui jam apparuerat, adstitit iterum dicens: « Per hanc evades ultionem summi Judicis ; operare ergo in ea, nec cesset manus tua, quia magna erit retributio tua. » Ad hanc vocem expergefactus, accedit ad Angelum illius pedes deosculaturus ; at divinus ille Nuncius statim disparuit. Tunc Joannes in genua provolutus, Jesu Christo Salvatori nostro immensas gratias egit, cujus Numen sibi propitium expertus ita fuerat, ut qui, exigentibus peccatorum suorum demeritis, attraxerat Divinam in se vindictam, benignum nihilominus videret erga se Deum, qui suavi increpatione peccatorem in misericordia corripiens, voluntatem suam significaverat Angeli ministerio. Igitur Domino vota vovens, se suasque opes ad incœpti operis consummationem pollicitus est.

Illucescente die ad Cartusiam reversus, monachis convocatis visionem suam exponit, simulque firmiter statuisse affirmat incœpto monasterii ædificio procurare, nullique parcere operæ donec res deliberata felicem sortiretur effectum. Subjunxit insuper ipsos divino Numini acceptissimos esse, uti per revelationem acceperat. Tunc multos conduxit operarios, et nihil impensis, nihil sibi ipsi, nihil manuum labori (quod mirandum sane in homine jam ætate fracto et sacris Ordinibus initiato) parcens, ita insudavit institit que, ut

brevi omnis architectura cæmentariorum perfecta fuerit, et ut tectum et alia omnia huic templo necessaria elaborarentur. Licentiam a Philippo Quinto Rege, aliunde in Cartusianos Parisienses benefico, obtinuit, qua Cartusienses in sylvis regiis struem lignorum prosciderunt ad consummandum opus. Verum cum quidam in Cartusianos minus benevoli de sylvarum devastatione apud Regem conquesti fuissent, Philippus, cognita rei veritate, præfatam licentiam non modo confirmavit, sed etiam regia plane munificentia præcedentem majore adauxit.

Post ecclesiæ dedicationem, anno 1325, 6 Kal. Julii factam, magister Joannes de Ceresio exultans in Deo suo et in ejus laudes effusus, Domum hanc multis aliis locupletavit bonis, ibique residuum annorum suorum cum magno spiritus fervore et vitæ austeritate in Dei famulatu consumens, meritis dives, sanctissime decessit, anno 1327, die Dominica 20 Septembris. Cujus corpus in medio præfatæ ecclesiæ depositum est, insculpta super tumulum ejus effigie.

Hæc excerpsimus ex antiquo Ms. Gallico Cartusiæ Parisiensis.

BERTRANDUS CHALUP

PRIOR TOLOSÆ

Petragoris in Aquitania natus; parentes habuit spectatissimos Præsides et multos viros Consulares, eosque Regi Christianissimo Francorum maxime fideles. Liberalibus literis et artibus Tolosæ excultus, cum esset ad præclara promovendus officia, sæculo valedicens, inter Novitios Majoris Cartusiæ adscriptus ibidem vota professionis emisit, anno 1580, 6 Octobris, R. P. Bernardo Carasse Ordinis clavum tenente. Adeo pietati et monasticæ observationi se se dedit, ut etiamnum juvenis, ipsis etiam senibus admirandus, nec ab omnibus imitandus evaserit. Visum est autem Reverendo Patri hunc electæ stirpis surculum inserere Cartusiæ Mediolanensi, ut in Italico viridario fructus optimos, quorum jam in Cartusia ferax videbatur, ederet. Nec fefellit eum spes; tantos enim edidit et tam suaves, ut omnium, potissimum autem Agricolæ sui desideria in se converterit.

Paucis siquidem exactis illic annis a Priore suo in Vicarium assumptus, posteaque super candelabrum Italiæ lucerna ardens et lucens collocatus, et a Capitulo generali Domus SS. Stephani et Brunonis in Calabria Prior, Lombardiæque remotioris Visitator ordinatus fuit.

Quibus in officiis et curis, quantum et quid egerit, quos pertulerit labores, quot modis per dyscolos et invidos intus et foris fuerit agitatus, quoties et quam fortiter pro domo Israel apud Cartusiam et Romanam Curiam murum opposuerit, quot negotia peregit, quot legationes ad diversas Domos, ad

Cardinales et ad Summum Pontificem obierit, longius est enarrare : cum certum sit in tuendis monasterii sui ac totius Ordinis juribus ac rebus, in omni observatione monastica in se primum exprimenda et in aliis vel imprimenda vel imponenda, in omni protervia comprimenda, in omni demum temporali ac spiritali fructu suis producendo et malo avertendo, nullius unquam ante ipsum in Italia vigilantiam, zelum, sollicitudinem, prudentiam et fortitudinem majorem extitisse. Ad Protectorem Ordinis et Summum Pontificem per novatores sæpe citatus, varie tentatus, secreto per delegatos ab ipsis in Domo sua præsens et absens discussus, semper in moribus, in officio, in rebus gestis, in omni denique vitæ suæ modo integer, immaculatus et ubique collaudatus evasit; et nullius unquam invidia et accusatio ullam ei labem, maculam, aut parvam quantumlibet notam induxit.

Erat corpore (ut eum omnimode, si possum, exprimam) moderate alto et oppleto, capite magno, fronte lata, oculis vivacibus, rubicundus genis, gravis incessu, verbis serius, parcus sermone, conversatione hilaris, magnus animo, sibi rigidus, asper malis, bonis mansuetus, Regulæ zelator, veteris observator Instituti, osor novitatis, simplicitatis amator, Cartusiæ columen, Ordinis columna, justus et tenax propositi vir ; quem a justitiæ, veritatis ac observantiæ tramite non suorum ardor nova vel prava jubentium, non vultus instantis Magnatis vel tyranni mente dejecit solida. Quem Dominus, nostri author Ordinis, posuit in Italia pro Matre Cartusia et Cartusiæ Patre velut arcem munitam ; cui murus ferreus et antemurale ad continendos suos et repellendos invasores; cui arma justitiæ, amor pacis, patientiæ facies ænea, constantia cordis adamantina, et omni spiritali copia refertum armamentarium ad tuendum se et avertendos hostes. Apud Principes regius, contra superbos terribilis, ad subjectos pronus, magnus in omnium oculis et æstimatione, omni demum honore et veneratione dignissimus.

Veritati obsequens, nihil per excessum dico : certus quod longe minora veritate dico; qui omnia quidem ejus gesta non didici, sed pauca hæc, quæ vel lata toto nostro Ordine fama illius sparsit, vel omni prosequenda encomio ejus apud nos vita et conversatio me docuit.

Hinc fuit quod Summus Pontifex eum in amore, Protector in veneratione, Reverendus Pater in magna existimatione haberet. Hinc est quod in extremis et toto velut disjunctis orbe Calabris constitutus, ad visitandam primo Tolosanam Domum ac Caturcensem, Burdegalensem quoque fundandam, utrasque a Domo sua remotissimas, ab extrema scilicet Italiæ ora ad istas Galliæ finitimas, anno supra millesimum ac sexcentesimum sexto, delegatus fuit. Et

Tolosæ talem se gessit, tam suaviter et fortiter egit, tam prudenter, religiose ac serio de dilectione Dei, de observatione mandati, de perfectione propositi, de accretione monasterii et fundatione templi dixit, delineavit, collocutus est, scripsit et varie pertractavit, ut tam ipse quam assumptus ejus collega Domnus Ambrosius de Gasq, indelebilem omnibus miræ opinionis et dilectionis notam impresserint.

Apud Burdegalam vero sic modeste, graviter et sapienter se habuit, ut destinatam per filium et collegam suum prædictum Ambrosium Cartusiam primo velut lapide statuerit, cum possessa per affines hujus destinata fundationi bona ratione et oratione recuperaverit et Ordini bracteam velut auri sponte venientem adjunxerit, ipsos iratos demulserit et fundatori Patri conciliaverit, negotia composuerit, et Fundatorem ipsum in sua quondam bona, non suo quidem sed Ordinis nomine, nullo suorum qui primas Burdegalæ dignitates obibant resistente, velut postliminio reduxerit.

Hinc iterum est quod post decennium a Visitatione Tolosæ, Prior ejusdem Tolosæ Domus et Visitator Aquitaniæ, ad visitandas Cataloniæ apud Hispaniam Domos de Summi Pontificis jussu ac R. Patris nostri mandato, cum omnimoda potestate ac jurisdictione Apostolicus et Ordinis Visitator, anno nimirum 1616 jam vergente, profectus est; ubi per sex menses demoratus rectos constabilivit, erigentes se deposuit, exacerbatos mitigavit, rebelles compescuit, ut etiam reversus ad suam Tolosæ sedem, Catalanorum et Castellanorum omnium pharus et asylus, quamdiu in vivis postea superfuit, extiterit.

Cum ergo talis et tantus esset apud exteros, æquum fuit ut talis appareret etiam apud suos; nec debuit optimæ compositionis unguentum unius Italiæ vase sic contineri, quin etiam efflueret in Galliam suam, et in areolis germinis sui, unde primo processerat, quandoque vel ultimo scaturiret. Quapropter id agente divina Providentia, Angelo nostro ad decus et profectum nostrum suavissimi hujus effusionem olei nobis procurante, ac summo Divinæ voluntatis in terris administro Christi Vicario mandante (qua causa, quo numine læso incertum et hic memorare superfluum), Italiam fato profugus Lavinaque linquens littora venit ad Galliam et ad magnum magnæ in Gallia Cartusiæ Patrem, forti et tranquillo inter multiplices curas animo, scilicet ut multum et terris jactatus et alto. A quo perbenigne acceptus et ad magna genio ejus digna illico destinatus, novi Prioratus sub nomine Valonis ac Visitatoris Provinciæ Cartusiæ titulo insignitus fuit, ut quanta audivimus facta in Provincia extera, tanta faceret et in patria sua. Quod et fecit : in finem usque vitæ suæ agens semper quod officio agebat, et opus suum sine intermissione ac re-

missione ulla operans, continue animo, lingua manuque ut bonus miles decertans, non cessante manu, non cessante pede, pertransiens de Domo in Domum et de Provincia ad Provinciam alteram, et quotannis per subjectas suæ ditioni Cartusias, ad Conventus Ordinis forenses et Matrem Cartusiam pergens.

Et primo quidem sex menses in obeundis novæ Visitationis suæ circa Cartusiam muniis transegit. Postmodum vero in Priorem Vallis profundæ ac Visitatorem Franciæ commutatus et illic ultra biennium commoratus, utrobique in spiritu et virtute procedens Eliæ, quasi facula accensa scintillavit verbis, luxit exemplis, arsit factis, aliquos liquefecit, alios obduravit, alios ussit; molles, duros, rigidos et aliter male compositos ad motum et modum meliorem reduxit : atque in omnium profectum ac Divini honoris augmentum exspectatos de se dignos fructus arbor bona procreavit. Ad ultimum vero, Domno Antonio a S. Paulo Priore Tolosano ad Cœlos abeunte, suffectus illi a R. Patre venit et Aquitaniæ Visitator, ut hac gemma dignitatum ac meritorum suorum coronam clauderet, Domum Tolosæ Aquitaniamque suis virtutibus et recte factis adornaret, et labores præteritos susceptos hujus Cartusiæ gratia coronaret.

Non est mearum virium singula quæ digne egit ac viriliter effecit explicare; placet nihilominus aliqua de multis decerpere, ac quibus tandem gradibus ad Domni Antonii ut cathedram sic meritum ascendit, si non transcendit, enarrare.

Imprimis quidem spiritalia spiritalis Pater plurimum promovit, cum ecclesiæ statum in meliorem commutavit, solum ejus alicubi subsidens æquavit, choro sedes addidit, sacerdotio et altari vestes, velamina et cortinas in gloriam et decorem comparavit, novam sobolem fœcundus Progenitor tanto numero produxit et continue aluit, ut cum veteres cellæ noviter susceptis non sufficerent, novas construxerit, et constructas ubi potuit duplicaverit; in tantum ut non tam affabre elaboratæ chori sedes electos juvenes illas ab utraque parte implentes, omnes Tolosæ professos, decorarent, quam ex sui decore vultus et habitus numerosa et præelecta familia illas et omne odeum exornaret : cum divinæ laudes hisce velut organis et cymbalis bene sonantibus exaltatæ, illinc quidem cœlum et parietes resonando implerent, hinc vero mentes audientium suis modulis et devotæ modulationis sonis ad rerum divinarum captum et sensum mirifice protraherent, cum omnis illa Deo sacra et dilecta turba Trinum Deum Unicumque psalmis, hymnis et canticis cum favore simul et fervore prædicaret.

Ad hæc et his conjuncta pro merito peragenda devotus Pater in vigiliis nocturnis et divinis Officiis corpore et affectu, nomine ac re Prior, sua vigilantia, suo habitu, ore ac nutibus omnes ab

oscitantia et segnitie, si cui forte irrepsissent, citius retrahebat : oves suas in cellis seu caulis suis occlusas ab egressu indebito, a silentii et solitudinis effractione, ab interna simul et externa per sæcularem conversationem evagatione continebat, egressas incaute in utraque claustri et cordis repagula reducebat; ad exactam jejuniorum, abstinentiarum aliarumque id genus carnis castigationum, ad exigendam denique omnem vitam ad anachoretici et Cartusiensis Instituti regulam Divinæque in omnibus, quantum in hac vita requiri aut fieri potest, voluntatis amussim, verbis et exemplis potissimum suis provocabat. Potens siquidem erat in utroque : fidelis scilicet omnium quæ secundam regulam sunt observator, nihil ipse vel minimum (si quid minimum est) in Statutis negligens; rigidus propriarum alienarumque passionum et vitiorum censor, ad horum extirpationem et virtutum plantationem capitularibus crebro sermonibus, privatis autem quotidie colloquiis hortabatur.

Impletus quasi Phison (ut cum Scriptura loquar) sapientia et quasi Euphrates sensu, doctrinam suis altam et antelucanam effundebat; Novitios ad induendum et profitendum paratos, et professos omnes ad virtutis studium, paupertatis amorem et proprii horrorem verbis potentibus et ad persuadendum compositis mire incitabat : cum Scripturæ Sacræ textus mira facilitate ac fœcunditate de penetrali cordis et arcano gutturis eructaret, cum sensu mentis suæ verbis aptis et concinnis velut trabalibus clavis suis monachis infigeret, et per multam ac sine labore decurrentem loquentiam pariter et eloquentiam manna suavior ab ejus ore tum Latina tum Gallica prodiret oratio. Et hæc quidem apud nos.

Apud sæculares vero utriusque conditionis homines magni semper habitus est : quod equidem illi comitas in recipiendis, urbanitas in alloquendis, liberalitas in tractandis, gravitas in gestis, familiaritas in convictu, potentia in persuasione, seriæ elocutiones de Deo, de virtutibus, de negotiis et de familiari re omni (adeo versatus erat in omnibus) miro modo conciliabant. Nam et in Ordinis nostri rebus erat experientissimus, et ecclesiastica negotia, politicam eorum curam, ac maxime Romanæ usum et praxim forensem Curiæ apprime callebat, et de negotiis quibuslibet vere, serio et graviter disserebat, inque omni omnino occasione agendo prudenter et loquendo sapienter, quam refertum Dei donis et gratia cordis penu haberet, ostendebat.

In judiciis dandis, et litibus apud nos dijudicandis adeo solers et oculatus semper extitit, ut visitando, interrogando et audiendo serius scrutator esset, omnia rerum momenta penderet, circumstantias omnes attenderet, omnium causas et rationes lenta et sedula lance libraret, et tam graviter, exquisite ac practice sententiam proferret aut scri-

beret, ut hominem in judiciis ferendis contritum, Jurisconsultorum scientissimum et scientium consultissimum dicere non dubitares. Cæterum quæ post sedulam meditationem et Divinam consultationem edixerat aut scripserat, hæc omnino dixerat et scripserat; nec quisquam facile vel facundissimus fundatum ubique, præsertim in judiciis latis, supra firmam petram hominem a sententia, nisi novis et validis maxime rationibus et momentis, deducebat.

Temporalis autem ejus curæ ac solertiæ quanto plura et magna sunt apud nos testimonia, tanto minus nunc laboro in eorum narratione quam instituo: cum certum et evidens sit ædificia, prædia, jura, domesticamque rem et instrumentum in monasterio Tolosano et Castrensi et in villis industria, labore illius maximam accessionem et profectum, quibus nunc hilariter utiliterque assurgit Tolosana Domus, habuisse. Mirabile fit nimis et miraculo quasi simile, quod homo Deo deditissimus, Prioris et Visitatoris curis nunquam non implicatus, inter tantas utroque in officio exercitationes, orandi, dicendi, scribendique et internas tot occupationes quidquam potuerit foris agendum cogitare et cogitatum moliri. Rursus quoque cum perpendo, quanta exterius aggressus est et confecit, fit mihi velut incredibile, quod interna potuerit tam sedulo tamque copiose, tum sponte, tum ex officio actitare, et melius quam Ahod non minus sinistra quam dextera potens, et utraque præpotens, nobis apparere.

Hoc postremo pro dignitate rerum a Bertrando foris gestarum facinore, quod temporum ordine primitus debuisset enarrari, laudes et historiam ejus clauderem, nisi currenti calamo plurima intus præclare gesta ad Dei laudem nostrique splendorem et profectum cœnobii obviam venirent: inter quæ primas sibi vindicant spectata ejus vitæ probitas, et morum honestas cum insigni castimonia conjuncta; honoris Divini et Cartusiani zelus, ut æs candens accensus, et multis affectibus, verbis actisque quotidie, imo continuo scintillans; ac virtutum omnium cumulus, tanquam myrrhæ, thuris et universi pulveris pigmentarii tumulus, imo et Libanus, alte lateque super eum a Deo coacervatus. Unde bonæ opinionis odor assurgens et aliorum naribus afflatus non solum domesticos suæ suavitatis devotione et devotionis suavitate replebat, sed et in extraneos quoque instar olei aut unguenti suaveolentis effusus, diversæ tum ætatis tum conditionis homines in odorem unguentorum suorum ad vitæ sæcularis neglectum, erroris ejurationem, peccatorum horrorem, religiosæ Vitæ amorem et Instituti Cartusiensis amplexum, pertrahebat.

Enumerarem quam plurima, si liceret singulis immorari, et quos Deo genuit et Ordini suo intra Domum istam fœcundam suo tempore arborem surculos inseruit, recensere; de quibus passim

in hoc Volumine vel diximus, vel dicturi sumus, qui post exemplarem vitam, gloriæ coronam immarcescibilem adepti sunt.

Sed hæc quoque Domno Bertrando post longam satis et laboriosam vitæ suæ peregrinationem jam defatigato et annis provecto debebatur; dignumque erat, ut qui multos hortatu et exemplo suo in gloriam adduxerat, ipse quoque post consummatum agonem suum a justo Judice debitam ac reddi promissam justitiæ reciperet coronam. Coronatus est ergo, quia legitime certaverat semper; maxime vero, quia ultimi certaminis sui stadium rectissime decurrit, et ad metam sine offendiculo pervenit. Anno ætatis suæ 66, mortem perdidit et vitam invenit, luctam evasit et bravium accepit.

Cum exeunte Augusto, inter fervidos aeris æstus et vehementes æstuantis Austri flatus, ipse interno vehementissimæ febris continuæ ardore agitari et consumi cœpit; quo per dies quindecim augmenta capiente, cum nihil exquisita medicorum arte et excogitatis appositisque refrigeriis ac remediis proficeret, inedia consumptus, febre exustus, viribus exhaustus, singultuque valido concussus, extrema sibi persentiens instare, prima sollicitudine ab omni, quoad fieri potuit, macula eluere conscientiam sategit, primoque diluculo iter facturus Panem vitæ, Viaticum viæ petiit et accepit. Mane autem facto, totoque circa lectulum Conventu coacto, Extremæ Unctionis oleo inunctus, et omni ecclesiastico circa moribundos ritu et ceremonia curatus fuit : sic integer sensibus, sic ab omni timore alienus, ut ad omnia quasi nihil mali sentiens, nihil patiens responderet, ceremonias omnes sicut sanus, sic extremum æger attenderet, imo et dirigeret; tanquam lectulus ille, ubi jacebant membra intermorientis expandentisque manus suas, etiam cathedra magistri docentis et virgam imperii tenentis esset.

Quibus peractis, post amplexus (ut moris est) et oscula, gravi sermone, quanquam identidem singultibus intercluso, primum simul omnes alloqui, singulos deinde tum professos tum Novitios ad perseverantiam hortari enisus est. Officiales de aliquibus gerendis admonuit, quid post obitum suum pro eligendo successore agendum esset edixit ; et tandem omnibus quasi illico recessurus valedixit, exindeque usque ad mortem omnino siluit. Sex nihilominus diebus in jejunio et silentio in Deum et Crucem defixus supervixit; intra quos supervenientem Caturco V. P. D. Jacobum Fradin, suum Visitationis collegam et postea Prioratus successorem, benigne aspexit, allocutus est et de quibusdam, cum ex vivis excessisset, pro Burdegalensi monasterio agendis breviter instruxit. Ac tandem feria 6, die 20 Septembris, circa tertiam post meridiem horam, quo nimirum tempore Salvator noster in Cruce ani-

mam efflavit, eodem ipse aspectu semel iterumque deosculatæ Crucis, spiritum Deo, carnem terræ, inter filiorum suorum lachrymas, reddidit, anno 1619, ingenti sui relicto desiderio.

Hæc excerpta sunt ex Cartusiæ Tolosanæ Historia, quam elegantissime descripsit Domnus Amabilis Chatard alumnus ejusdem monasterii, ad Ordinem susceptus a D. Bertrando Chalup. Franciscus Ganneron in Elogiis Cartusiensium illustrium nostræ ætatis, cap. 54, inter cætera sic loquitur de Bertrandi zelo, quo zelatus est dum ageret Priorem in Domo SS. Stephani et Brunonis :

« Italiam igitur incolere et Prioratum Cartusiæ SS. Stephani et Brunonis inire jubetur, ubi præclara facinora gessit amore Dei et zelo Ordinis ductus. Siquidem, humiliato nonnullorum magnorum supercilio Procerum sibi vicinorum et circa se versantium, jure suo potitus est; et authoritate Visitatoris ad faciendas increpationes in populo sibi subdito, ad coercendos abusus antiquitate quadam callosa roboratos, ita invaluit, ut quidam tantæ rectitudini obviare volentes, ad Illustrissimum Cardinalem Protectorem, quin et ad ipsummet Summum Pontificem confugerint, obnixe rogantes ut manus Moysis illius graves cohiberent. Aiebant namque quod citra desiderium omnium observantiæ monasticæ nimis insisteret, innovando, quæ nunquam in illis regionibus celebratæ fuerant, austeritates humanæ fragilitati intolerabiles ; quod frequentiam populi eo loci devotionis causa confluentis cohiberet. Auditum itaque in Romana Curia et exauditum est. Sed vir virtutis numquid a zelo pristino deferbuit ? Minime quidem. Sicut enim ex omni massali materia Phidias idola formabat, ita vir iste justi æquique tenax ex quavis occasione virtutum sibi thesauros comparabat, semper propositi sui tenacissimus, et nullo terrore malignantium concussus, humiliationem illam hilari et alacri mente sustinens. »

Idem Ganneronius noster his verbis laudat Bertrandi austeritatem :

« Mortificationis et pœnitentiæ fuit obstupendæ, ita ut pene toto vitæ suæ tempore veste non exueretur, ad quietem corporis haud strato lectulove, sed scamno, cilicio crassiore vestitus, usus sit. Abstinentias et jejunia Ordinis, quæ nobis itinerantibus intermittere licet, ubicumque fuisset observabat, licet tota die, dum visitaret aut visitatum iret, laboraret usque ad virium defectum ; ita ut qui in comitatu illius erant, si intemperati ventris rugitu paterentur, hoc exemplo animati faciliter sustinerent. Nocte ac die perquam utiliter ad ea quæ sui muneris erant actutum volutabat animum; minime unquam prætermittens studium orationis, cui sedulam navabat operam. Tantæ fertur ad Deum devotionis extitisse, ut sive foris ad curanda negotia, vel intra Domum

rebus Ordinis intentus, nunquam abstineret a Missæ celebratione ; tanti fervoris ac recollectionis, ut non homo sed Angelus inter psallendum existimaretur. Sæcularium frequentiam et familiaritatem ita exhorrebat, ut diceret eorum consuetudinem aut servum aut turpem reddere monachum. »

Neque etiam hic prætereundum quod præfatus Amabilis Chatard refert in Bertrandi laudem ob erectum Divo Brunoni mausoleum apud Calabros. Ejus verba subjicio :

« Quanta igitur et quam luculenter trulla manuque per lapides et cæmenta erexerit, noverunt Calabri Patres nostri, quibus per ipsum ædificata sunt deserta sæculorum : cum celeberrimum ac secundum Ordinis eorum monasterium a Cisterciensibus per quadringentos annos, ut Israel ab Ægyptiis, tam male detentum quam injuste occupatum, et ante centum annos redemptum atque Ordini restitutum ipse de novo ædificavit. Vetera peregrini Instituti ædificia solo penitus omnia æquavit, et fundamenta generationis et generationis suscitavit ; cum antiquatis et deletis illis nova quæque in officinis et claustris secundum Majoris et minorum Cartusiarum modulum et exemplar substituit. Ecclesiam novam et novum S. Patris omnium nostrum Brunonis, illorum primi Prioris et Fundatoris spiritalis, mausoleum et altare arte et lapide pretiosis ab imo in altum erexit. In quibus plusquam centies millies nummorum impendit ; ac per hæc aliaque insignia pietatis et artis suæ opera, vere vocari ædificator sepium debuit, avertens alienæ professionis semitas et vagorum anfractus in pacificæ solitudinis quietem, almusque ac providus illius monasterii Prior ac dignus S. Brunonis successor reputari. »

JACOBUS DENYS

PRIOR GANDAVI

Patria Gandavensis; in hac Domo suscipiens habitum Religionis, anno 1598, 22 Augusti, cum Vicarium egisset in præfata Cartusia, postea Rector Sylvæ S. Martini constitutus est. Verum hanc abdicans regiminis sarcinam, redux in suæ professionis monasterium, anno 1610, 22 Augusti, communi omnium calculo in Priorem eligitur; post triennium Teutoniæ renunciatus Visitator. Fuit insigni morum probitate, doctrina, eloquentia spectabilis ; insuper ea comitate et urbanitate præditus, ut omnes ad sui venerationem alliceret. Hunc R. P. Generalis tanti faciebat, ut cum malevolus quidam Jacobi famam labefactare præsumpsisset, dixerit : « Si quid Jacobi famæ detractum est, ego ipse, adstante generali Capitulo, restaurationem faciam. » Decessit anno 1625, 20 Septembris, morbo charitatis, videlicet ex epidemiæ luis afflatu, qua correptus fuerat munus boni Pastoris obiens.

Ex Manuscriptis.

JACOBUS BRISEJON

COADJUTOR DIVIONIS

Calvomontanus ; a Deo destinatus ad Institutum Cartusiense et ad Beatissimæ Virginis Mariæ cultum. Vix ætatis annum septimum decimum agens habitum induit monasticum in Cartusia Divionensi, peractoque Novitiatu professionem emisit, anno 1610, die Augusti quinta decima : probandus a Deo tentationibus, quo patientia ejus in divino famulatu magis elucesceret. Acutissimis siquidem primo doloribus capitis divexatus, per id temporis a celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii abstinere coactus fuit, cæteris nostræ Religionis exercitiis intentus non sine magno labore. Sola tunc Christi Passionis meditatione occupabatur, cujus et instrumenta ex ligno fabricans, suis Fratribus ansam præbebat cogitandi nostræ Redemptionis mysteria.

Coadjutoris officio admotus ob ingenii perspicacitatem, prudentiam et pietatem, de infirmitate convaluit. Unde spiritualibus addictior, facilius vacabat orationi : viva præditus fide, quæ tantam in illo pariebat fiduciam erga Deum, ut cuncta crederet se impetraturum. Fide plenus hac convenit aliquando Serenissimam Reginam matrem Lutetiæ Parisiorum afflictam admodum de periculosissimo Christianissimi Regis Galliæ Ludovici XIII morbo (de ipsius enim salute a medicis erat conclamatum), ipsamque, celebrato prius Sacro, fecit certiorem verborum vi Regem non moriturum. Credidit ipsa, nec ipsam fefellit Jacobi pollicitatio. Ab adversa siquidem paulo post Rege valetudine recreato, hoc vaticinium servi Dei magnam apud aulicos ipsi conciliavit existimationem.

Sed et imprimis Regina ipsum summopere venerabatur, sicut etiam primariæ aulæ mulieres. Quarum una, cum aliquando audiret Jacobum coram Regina devoventem diris illam, quæ Ludovicum XIV ejus filium illecebris corruptelarum irretiret(tunc autem Rex erat adolescentulus), nobilis matrona (Ducissa videlicet d'Aiguillon filia sororis Cardinalis de Richelieu) dixit Reginæ : « Sic olim Prophetas locutos fuisse, qui res proprio vocabulo nominabant. » Sciscitanti aliquando Reginæ ab perillustri quodam vitæ sanctimonia homine quid de Jacobo sentiret, respondit ille : hunc eximium esse Dei virum.

Unde cum audiret optime apud extraneos Jacobus noster, veritus R. Pater Domnus Joannes Pegon, qui per id temporis præerat Divionensi Cartusiæ, ne quid de monasticæ vocationis spiritu deperderet, ipsius vitæ rationem perpendit ; reque ad pondus sanctuarii prudenter librata, ratus est illum Dei Spiritu agi, moveri ac dirigi : ad solam enim Dei gloriam attendebat, ad hanc anhelabat unice. Quotidie Sacris operabatur in altari Deiparæ dicato mira cum devotione pro animarum refrige-

rio ignibus piacularibus detentarum; in earum levamen collimabant ejus orationes, sicut et in regni pacem, pro qua e Cœlis impetranda plusquam quatuor millia Missarum celebrari curavit, collectis hinc inde pecuniis, quarum erat distributor.

Omnem movit lapidem, quo promoveret Virginis Beatissimæ cultum: hanc suam optimam vocitabat Dominam, ac sanctissimam Magistram. Maria Jacobi nostri refugium erat in necessitatibus. Dum ille Lutetiæ Parisiorum versaretur, frequentabat Cathedralem ecclesiam, et ante sacellum Deiparæ in genua provolutus una cum venerabili sacerdote Claudio Bernard recitabat Antiphonam *Memorare, o piissima Virgo Maria, etc.* tanto mentis fervore, ut ambo tanquam extra se rapi viderentur. Multas Beatissimæ Virginis imagines ac mysteriorum nostræ Religionis exsculpi, necnon et plurimas orationes typis mandari curavit, quibus fideles multasque Domos religiosas excitaret ad Mariæ devotionem. Litanias texuit ex Sacris Paginibus excerptas in Angelorum honorem, ipsorum observantissimus; harum exemplaria donabat singulis ad se venientibus, ut ipsorum tutela salvi et incolumes redirent in domos suas. Ipsius devotio in Infantem Jesum patet ex libello, quem hujus rei gratia composuit.

Charitas qua proximum atque imprimis pauperes diligebat, limitibus circumscribebatur nullis; quibus subveniebat abundanter, quos solabatur, quorumque iis quibus poterat modis sublevabat inopiam. Magna siquidem pollens authoritate apud nobiles feminas ob suæ sanctitatis famam, cum licentia Superiorum, annuas ab eis percipiebat pensiones necnon summas pecuniæ ad ejus arbitrium egenis erogandas. Hisce beneficiis succurrebat nonnullis monasteriis penuria laborantibus; quorum etiam facti participes inopes presbyteri, Jacobo sic exigenti rependebant Missæ celebrationem.

Ita erat acceptus Annæ Austriacæ reginæ Galliarum, ut sæpissime ejus litteris cohonestaretur. Magni etiam a Magnatibus fiebat. Unde Ludovicus a Borbonio, princeps Condæus, post Ludovici XIV Regis nuptias rediens ad suum Burgundiæ gubernamen, sæpius Jacobum convenit; sicque agebat cum eo familiariter suæ dignitatis immemor, ut aliquando sub vesperam accedens, jubensque pallium super gramina sterni, voluit ibi secum jacere Dei servum. Cui ait : « Domne Jacobe, eructes, quæso te, filio meo verbum bonum monitaque salutis. » Is erat Henricus Julius dux Angiensis. Cui Jacobus statim sapienter dixit : « Princeps mi perillustris, quamvis quartus a Rege in Gallia splendore generis sis, scias velim non esse nisi a Deo potestatem, nullumque coram illo esse magnum, nisi qui custodit ejus legem, nullumque in conspectu illius apparere majorem, quam qui se minorem reputat. »

Porro cum nihil esset Jacobo antiquius quam Dei et Mariæ cultus et honor, zelo ferebatur ardentiori in illos, qui aut blasphemiis aut impudicitiis divinum Numen inhonorabant. Unde aliquando quidam Dei obtrectator, ad ejus denunciationem lite perfecta debitas luisset pœnas, nisi Rex reo crimen condonasset. Vivebat luxuriose Parisiis quidam publicorum redemptor ; cumque ægrotasset, ipsum Jacobus audacter adiit in lecto decumbentem, manuque Crucem gestans : « Tuus est, ait, en aspice, Deus tuus hic est, qui pro tuis mortem obiit flagitiis, quem tu iterum crucifigis vita perditissima. »

Impavidus erat, quando de honore Dei, de proximi utilitate, vel de juribus sui monasterii tuendis agebatur. Se se opponebat tanquam murum ex adverso pro domo Israel : quod et patuit, quando Henricus a Borbonio, princeps Condæus, Burgundiæ gubernator, in solemni provinciæ conventu statuisset intra septa Cartusiæ Divionensis aggerem struere, quo muniret urbem. Cui consilio Jacobus ita fortiter intercessit, fretus Reginæ patrocinio, ut Princeps fuerit coactus desistere de sententia.

Laudes horrebat plurimum et assentationes, solitus dicere unica ingenii sibi blandientis vana oblectatione animam in ipso mortis articulo perire : cujus periculi et æternæ damnationis exempla proferebat. Ubertim, felicemque negotiorum suorum eventum soli Deo non suæ industriæ volebat adscribendum. Alias versans Parisiis, pro tuenda suæ Domus et cæterarum Cartusiarum salis portione sollicitus, obvium habuit Rectorem Collegii Societatis Jesu Senonensis, qui Jacobo gratulans ait : « Tu vir mirificus, res tuas feliciter et ex sententia geris. » Cui Jacobus respondit : « Non recte loqueris. » At Jesuista : « Numquid verum dico ? » Subjunxit ille : « Rectius loqueris, si dicas, Deus tuus est adjutor. » Nolebat etenim quicquam audire quod redundaret in sui commendationem ; et si quid ejusmodi proferret aliquis, statim vir humilis corde recedebat, vel vultu ad severitatem composito, hosce sermones moleste admodum se ferre testabatur.

Magni faciebat suam vocationem, tanti beneficii memor semper, Deo grates agens ; juniores ad id excitabat. Summopere Superiores venerabatur, apud quos vicissim erat in existimatione ob inculpatos mores.

Quamvis non multum litteratus, in Sacra tamen Scriptura versatissimus erat, quam callebat perfectissime, cujus verba apposite proferebat : memoria tenaci et acri judicio præditus, consideratus in colloquiis, in responsis extemporalibus prudens. Familiarissima ipsi erant, sed apte et congruenter, selecta quædam utriusque Testamenti loca ; unde grata non minus quam devota erat illius conversatio, quæ nullam habebat amaritudinem. Quemdam Patrem Societatis Jesu celeberrimum gra-

vi affectum morbo invisens, allocutus est hisce Ecclesiastici verbis : *Ne dicas : in multitudine munerum meorum respiciet Deus.* Quam sententiam ægrotus sibi repeti rogavit ; cui statim subjunxit Jacobus : « Tu excepisti Regis Confessiones, tu Provincialis munere perfunctus, tu Rector fuisti aliorum, tu vir summus fuisti in authoritate : has dignitates Deus non respiciet, cum advenerit te judicaturus. »

Erat ille moribus commodis, serena semper facie, lepidus, cum aliis se se urbane ac venuste gerens, et valde officiosus ; apud etenim Magnates et Reginam præsertim se se impendebat pro Ordine nostro. Nec frustra; annuebat siquidem Regina Jacobi votis, qui apud extraneos ob singularem ejus devotionem spectatissimus erat. Jacobus de Nuchese Cabilonensis antistes Jacobo nostro conjunctissimus amicitia, illum nuncupabat suum patrinum. Multi alii Præsules amabant illum ac venerabantur.

Variis diuturnisque probatus morbis suoque illorum doctus experimento, ex iis quæ passus fuerat in corpore, noverat compati alienis infirmitatibus, quarum movebatur misericordia ; dicebatque virtutem sola malorum perpessione probari. Si audiret aliquem apud alios haberi sanctum, illico adjiciebat : « Quidnam ille sanctus mali et adversi sustinuit ? » His verbis sat indicans se metiri passionibus hujus sæculi sanctitatem.

Bello Galliam inter et Hispaniam flagrante, Deo et Deiparæ preces ferventissimas quotidie offerebat et Missæ Sacrificium, quibus ambobus regnis pacem conciliaret. Hujus rei gratia incredibile est quot Missas celebrari curaverit. Cumque pax venire moraretur, « Deus, aiebat, pacem procrastinat, quam mihi tamen immerito summa bonitate impertit. »

Nec minus erat sollicitus pro defunctis in Purgatorio detentis, quibus satagebat opitulari modo per devotissimas orationes, modo per incruentum Missæ Sacrificium : multis passim presbyteris, Jacobo ingentes pecuniæ summas suppeditante, Rem Divinam peragentibus. Quotidie sub noctem adiens cœmeterium, remotis omnibus arbitris, effundebat cor suum, et cum magno spiritus fervore pro patienti Ecclesia divinum Numen deprecabatur. Utque Christianos excitaret ad opem suis suffragiis ferendam hisce animabus sanctis, multas orationes devotissimas typis mandaverat, et imagines Purgatorii per totum regnum distribuendas : factus defunctorum in terris patronus. Nonnunquam exhausto ipsius marsupio, in genua provolutus in eadem sepulchrali area sic affabatur mortuos : « Sanctæ Animæ, deficior pecunia : unde pro vobis Sacrificia offerri mandare imposterum non valeo. » Arridebat certe Superis Jacobi simplicitas; paucis namque post diebus, ei plerumque sat abunde suppeditabatur, quod impenderet ad Sacrorum mortualium celebrationem.

In hortulo suo larvam cohærentem nudis ossibus in feretro collocaverat, spectaculo hoc mortuos et novissima sua memoraturus. Cadaverosas ejusmodi imagines in majori claustro curaverat etiam depingi, qui cunctis incuteret mortis recordationem et caducæ vitæ contemptum : jacent sub pedibus cratium ossearum fasces, infulæ, diademata, trophæa, ut Magnatum quivis attritam agnoscat potestatem suam conculcatamque a morte, quæ æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres.

Multis ante obitum suum annis nihil aliud in animo versabat præter mortem. Hæc cogitatio frequens illi erat ac familiaris, dicebatque sæpius : « Jam non sum de hoc mundo, extrema mihi imminet dies, vado mori. » Utque meditatio mortis menti ejus inhæreret altius, fingebat sibi se jam ex hac vita migraturum, se sistendum districto Dei Judicio. Se se igitur, ut Christianum decet, comparaturus ad æternitatis iter, singulis feriis sextis procumbebat in asserem, eosque contritionis, Fidei, Spei et intensissimæ Charitatis actus eliciebat, non secus ac si in extrema salutis constitutus linea, de bono sive de malo quod gesserat reddidisset rationem.

Hisce præludiis pius senex quotidie moriebatur, ne ipsum mors imparatum opprimeret : quam quidem ætas provecta, fastidium cibi sat ei præsignificavere. Sicque intelligens suæ resolutionis instare diem, per octo dies tantum decubuit, nulla tamen febre, nullo correptus morbo, sed semper sui compos. Sacrum Christi Corpus cum tenerrimo suscepit pietatis sensu, totus in gratiarum laudes effusus pro tot, quibus Deus illum cumulaverat, beneficiis, pro dono hactenus perseverantiæ sibi concesso, et imprimis quod Dominus se hominem peccatorem sua dignatus fuisset visitatione. Conversusque ad circumfusum monachorum cœtum dixit : « Charissimi Patres, magnificate Dominum mecum. » Multoties divino hocce Pabulo refectus est.

Cumque per totius vitæ curriculum impense coluisset sanctam martyrem Barbaram, in cujus venerationem Officium scripserat et multas preces, ut bene sibi esset in extremis et Sacramentis omnibus muniretur, non fraudatus fuit a suo desiderio. Nam toties saginatus Christi Corpore, tandem Sacro Oleo perungendus, convocatis simul circa lectulum ejus monachis, sic illos allocutus est : « Dilectissimi Patres, unusquisque vestrum tenetur ad duodecim Missas pro animæ meæ requie. Quæso vos, hæc Sacrificia pro Fidelibus defunctis persolvite, ut læti adventus mei epulum dem illis. » Sic officiosus usque ad extremam horam erga animas piacularibus carceribus detentas, sancte decessit, die S. Matthæi, circa horam quintam post meridiem, anno 1666, ætatis circiter 77 : non solum de mortuis sed et de vivis optime meritus, præsertim de Cartusia Divionensi, cui multa largitus est.

Duo siquidem sacella, unum in honorem S. Brunonis, alterum in honorem S. Barbaræ construxit dotavitque. Lampadem argenteam sexcentis libris constantem bene elaboratam in sacello Beatissimæ Virginis Mariæ fecit appendi, deditque census annuos, ut die nocteque luceret ante aram. Duos calices affabre factos, cum suis duobus urceolis ex argento solido, et pelvibus, ac sole Eucharistico ex auro vermiculato dedit. Insuper et addidit pulcherrimam Deiparæ argenteam imaginem octingentis libris constantem, munus quidem ab Anna Austriaca Galliæ regina oblatum Jacobo; quem quamdiu ille vixit, suis Serenissima Princeps litteris dignata est; a qua pius vir et ab aliis multis Magnatibus plusquam centum viginti mille libras habuerat, quas in eleemosynas impendit et pios usus.

Cum ex urbe Divionensi egrediebatur rus petens, appensam suo collo imaginem Dei Genitricis gerebat. Cumque aliquando flumen periculose trajiceret, amanter ac simpliciter dixit : « Sancta mea Domina, si pauper tuus servulus cadat, in eodem periculo versaris. » Hæc adjecimus in simplicitatis Jacobi argumentum. Qui nec obscura patientiæ argumenta dedit, cum æquo animo per duodecim annos tulit cæcitatem et ilium procidentiam, nusquam queribundus, sed in omnibus gratias agens et benedicens Dominum in omni tempore.

XXI DIE SEPTEMBRIS

JOANNES KUMEROW

PRIOR STETIN

Vir omni genere virtutum exornatissimus ; qui diu Visitatoris munere perfunctus, tandem post instantissimas preces causatus senium a Capitulo generali *misericordiam* obtinuit. Redditus quieti solitudinis, addictus pietatis operibus, sancto fine vitæ cursum absolvit, anno 1496, die 21 Septembris. Ab anno 1466 usque ad annum 1490 huic Domui præfuerat. Priorem antea egerat in Domo Pacis Dei.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

ROBERTUS BELLENTENSIS

MONACHUS SCOTIÆ

Abbas monasterii S. Crucis Ordinis S. Augustini; vitæ perfectioris accensus desiderio hanc dignitatem dimittens, Cartusianis Vallis virtutis in Scotia nomen dedit. Quibus cum multa beneficia

præstitisset, exemplariterque in hac eremo fuisset conversatus, ad vitam immortalem migravit, anno 1502, (al. 1503), die 21 Septembris.

Ex Catalogo Monachorum hujus Domus.

Est hæc Abbatia S. Crucis in Laudania prope Regium Edimburgum, in sylva olim condita; vulgo dicitur Holyroodhouse, a Rege sanctissimo David fundata anno 1113.

MARGARITA D'ALLUINE (DE ALOVANIA)

PRIORISSA GOSNAY

E Belgio oriunda; tam strenue ac fortiter obiit Priorissæ munium, ut, quo nitore nuperrimis temporibus pietas et devotio splenduerant, eo ipso, ipsa imperante, lumine coruscarent in hoc parthenio, cum plus exemplo quam verbis ad virtutem iter strueret ejus humilitas profundissima, qua in Visitationibus instantissime suam petebat absolutionem, et mitis illius indoles quæ facilem omnibus ad illam præbebat aditum; unde fiebat ut omnia cunctis facta, omnium etiam unice sibi corda devinciret.

Singulari devotione Undecim millium Virginum cœtum colebat, adeo ut morti proxima decumbens ab iisdem visitari meruerit. Eademque hora qua decessit, vidit Soror Joanna Prevost animam illius in montem S. Mariæ, qui e Domo conspicitur, a sacro Virginum agmine duobus Angelis stipato deduci; eodemque momento symphonia Cœlestium spirituum fuit audita. Eodem tempore, quo Soror Joanna e cellulæ suæ fenestris hæc se vidisse affirmabat, gratissimum melos quidam ejusdem cœnobii monachus in eodem monte audivisse testatus est. Sicque feliciter Margarita expiravit, anno 1527, die 21 Septembris. Vixerat in Ordine 57 annos.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart et Elisabeth de la Ruelle Monialium hujus parthenii.

GUNDISALVUS DE ASTORGA

MONACHUS DE PAULARI

Qui, transactis in Religione 44 annis, addictus silentio, solitudini, vigiliis, postquam fecisset dignos pœnitentiæ fructus, sanctissime animam efflavit, anno 1536, die 21 Septembris.

Ex Manuscriptis.

JOANNES SERRANUS

CONVERSUS PORTÆ CŒLI

Natione Castellanus, ex oppido Arnero; inter hujus monasterii Conversos annumeratus, anno 1528, die 24 Julii, vota professionis emisit in Solennitate Reliquiarum, sic dilatus propter Prioris infirmitatem. Angelicam plane ac cœlestem vitam duxit; in eo siquidem

obedientia mirabilis, incredibilis patientia, eximia charitas, summa benignitas præfulgebant. Erat præterea vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo; qui a Deo et ab hominibus dilectus et gratus, cum in magna vitæ innocentia palæstram Religionis decurrisset, tandem moriens, anno 1566, die 21 Septembris, coronam gloriæ cœlestis immarcescibilem apprehendit.

Ex Historia Portæ Cœli, cap. 23.

ANTONIUS MOLINA

MONACHUS DE MIRAFLORES

Dolendum sane super pigram, imo et pigerrimam sollicitudinem, satius incuriam quorumdam Nostrorum, qui tepiditate sua præclara virorum sane perfectorum gesta perpetuæ oblivioni dederunt. Hac ergo pessima sorte damnata est (injuste quidem) memoria illa V. P. D. Antonii Molina, professi de Miraflores, laminis æneis styloque ferreo cudenda. Nihil enim de tanti viri egregiis factis reperitur in Domo suæ professionis. Adhuc tamen parietes cellæ, quam ibidem incoluit, videntur incalescere, excitantes animum ad elevationem mentis in Eum qui *ignis consumens est.*

Perhonorificam illius mentionem facit Antonius de Herrera Augustinianus in suo Alphabeto Augustiniano, his verbis : « V. Antonius de Molina, Antonii de Molina et ejus conjugis Franciscæ de Herrera, Villæ novæ de los Infantes incolarum, filius, in Domo Salmanticensi, die 17 Martii, anno 1575, ad Augustini castra solemni professione confugit. Cum in Provincia Castellæ Lector esset et Prior Collegii Numantini, ex valle eremi Augustinianæ, majoris perfectionis desiderio, ad montem Cartusiæ velociter transmigravit. Ibi ut passer solitarius in tecto, totus lectioni, orationi et contemplationi deditus, varios tractatus edidit, qui ignitum authoris spiritum exhalant, et odorem sanctitatis emittunt. » Hactenus Alphabetum Augustinianum.

Ex matre fuit Antonius Molina frater Didaci de Guelvar Prioris de Covis, de quo alibi agemus.

Porro cum Antonius esset spectatissimæ virtutis, dignusque qui cæteris sua pietate præluceret, anno 1605, per Chartam Capituli generalis admotus fuit regimini Cartusiæ de Xeritio ; verum cum mallet Antonius in silentio præstolari salutare Dei, veritusque ne picem tangens ab ea inquinaretur, hanc dignitatem recusavit. Itaque vir addictissimus suæ professionis exercitiis, jugiter vacabat orationi, sollicitus in conspectu Dei ambulare semper, suspensamque in eum sine intermissione gerere mentem. Fuit stupendæ devotionis erga recitationem divini Officii et Sacrosancti Missæ Sacrificii celebrationem, adeo ut tanquam Angelus Domini in altare appareret. Unde tam docte, tam

sublimiter scripsit de Sacerdotio, ut jam vicies Liber illius recusus fuerit, in magno apud omnes habitus pretio. Igitur pius Pater, postquam de Republica Christiana bene meritus fuisset, in Domino obdormivit, anno 1612, die 21 Septembris, relicta sanctitatis opinione.

MAURITIUS THORIBE

MONACHUS D'AURAY

Vir admirandæ humilitatis et simplicitatis ; naturæ debitum persolvit anno 1621, 21 Septembris.

JOANNES BAPTISTA CIVERA

VICARIUS PORTÆ CŒLI

Vir eximiæ virtutis, scriptor Chronici suæ Domus ; qui cum 60 et amplius annos in Ordine laudabiliter et religiosissime fuisset conversatus, meritis dives migravit ad Dominum, anno 1655, die 21 Septembris.

XXII DIE SEPTEMBRIS

JOANNES DE VALLIBUS

PRIOR DIVIONIS

Ille est qui, anno 1392, tempore schismatis a Carolo VI rege Francorum delegatus est cum Simone de Chaigneto, Priore Cartusiæ Parisiensis, ad Bonifacium IX Romanum Pontificem pro Ecclesiæ tractanda unione. Ob vitam religiosissimam fuit acceptissimus Burgundiæ Duci. Qui cum strenue laborasset pro complemento fundationis hujus Domus, Præfecturam abdicans, tandem spiritum Deo reddidit, anno 1404, die 22 Septembris. Alii referunt ad diem 21 Septembris.

De eo agit Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1392, § 5.

THEODORICUS BRUYNE

PRIOR BRUGIS

Professus Cartusiæ Brugensis; quam cum aliquot annis prudenter gubernasset, ab ea violenter expulsus est cum aliquibus monachis, eo quod volebat deserere partes Pseudopontificis. Ad Domum igitur Ultrajectinam confugiens, ibidem anno 1398 Prior fuit institutus. Anno autem 1401, cum diu petitam exauctorationem suam obtinuisset a generalibus Comitiis, post factam Ecclesiæ et Ordinis unionem rediens ad suæ professionis Domum, ibidem Vicarii, deinde Prioris officium subire coactus, tandem redditus quieti solitudinis, in senectute bona dives meritis

naturæ debitum persolvit, anno 1428, 22 Septembris.

Ex Chronico Cartusiæ Ultrajectinæ.

ANDREAS CAPILLA

EPISCOPUS URGELLENSIS

Hujus Præsulis Vitam Josephus de Valles, canonicus Tarraconensis, edidit in lucem in suo Hispanico Libro fundationum Domorum Ordinis nostri. Hanc damus in Latinum sermonem, nonnullis tamen erroribus prius emendatis, et notitiis quibusdam adjectis.

Andreas Honoratus Capilla, Valentiæ, tenui quidem sed honesta progenie natus, ita feliciter tam humanioribus quam divinis literis navavit operam, ut vix attigerat octavum decimum ætatis annum, cum sacræ Theologiæ Doctor inauguratus est. Inter Novitios Portæ Cœli adscriptus, ad sæculum rediit, in arrepto proposito non perseverans. Patribus Societatis Jesu postea nomen dedit ; apud quos vota professionis emittens, in magna fuit existimatione ob præclaras animi sui dotes doctrinamque cum pietate conjunctam. Ferunt ipsum fuisse primum Magistrum Novitiorum, quos præfati Patres recepere in Aragoniæ regno. In Urbem deinde missus, Pontificii piationum Præfecti munus exercuit in Curia Romana.

Latent nos officia quibus, degens apud Patres illos, admotus fuit, tempusque ignoratur quo Romæ versatus est. Scribunt nonnulli quod Cardinalis Cervantes archiepiscopus Tarraconensis, fundator Collegii Tarraconensis Societatis Jesu (ubi etiam Novitii Aragoniæ educantur), perspectam habens Andreæ eruditionem, illum Romam acciverit, ibidem in Collegio Romano professurum Theologiam, una cum Toleto ejusdem cœtus Religioso, qui postea inter purpuratos Patres annumeratus fuit.

Interim Andreas cum bona Pontificis Maximi venia, ejusque adauctus benedictione, venit ad Cartusiam Scalæ Dei, habitu nostro iterum donandus : ea tamen lege, nisi infra unius mensis spatium a Cartusianis admitteretur, ut perseveraret apud Jesuistas. Omni abjecta cunctatione Cartusienses, quibus explorata erat Andreæ virtus, ipsum excepere. Cucullam induit in pervigilio S. Antonii abbatis, non anno 1579, uti narrat Josephus de Valles, cum anno 1574 jam ageret Priorem Portæ Cœli ; unde crederem anno potius 1569 transmigrasse ad Cartusianos. In ipso probationis tempore carnem assiduis jejuniis macerans, solo pane fructibusque victitabat. Totus erat ad gravitatem compositus, quam tamen temperabat humilitate profundissima. Serius semper, nihil nisi sermones Dei loquebatur ; semperque stans supra linguæ et sui cordis custodiam, erat mortificationi deditissimus et Statutorum accuratissimus observator.

Vota monastica nuncupans in ipso S. Antonii festo, Quadragesima subsequente concionem habuit in Correria, cui clientes beneficiarii Cartusiæ circumvicinique interfuerunt. Per id temporis scripsit Librum cui præfixit titulum *Consolatio nostræ peregrinationis*. Multi interea confluebant ad Andream consilii capiendi gratia; quos ille benigne simul et patienter suscipiens, eis cumulate satisfaciebat colloquiis salutaribus, ferebatque suppetias pro negotiis in Romana Curia expediendis, si quis tunc opera ejus forte indigeret.

Exactis aliquot annis in Ordine, primum assumptus fuit ad Domus Portæ Cœli moderamen, inde translatus ad regimen de Paulari. Præfuit etiam Domibus Neapolis et Mediolani, Lombardiæ propinquioris Visitatoris officio cohonestatus. Sub ea tempestate, anno videlicet 1584, die 25 Julii, electus in Priorem Scalæ Dei, ob locorum intercapedinem non iniit hujus munii possessionem nisi anno subsequente, die 17 Januarii. Adfuit sub Prioris nomine Comitiis eodem anno in oppido de Monçon celebratis; tuncque Confessiones Comitis de Chinchon excipiens, quantis tum naturæ tum gratiæ dotibus præcelleret, propalavit. Munus Prioris exercuit usque ad annum 1586, quo fuit per Visitatores post generale Capitulum redactus in Ordinem.

Per id temporis Philippus rex Hispaniarum obtinuit ex Nuncio Apostolico mandatum, quo Episcopus S. Mariæ, seu Elnæ, in comitatu Ruscinonensi, una cum D. Andrea Capilla et R. P. Fratre Raymundo Pascual delegabatur ad visitanda monasteria Ordinis S. Benedicti, Canonicorumque Regularium Ordinis S. Augustini Domos, quæ in hoc principatu sita erant. Absolutis Visitationibus, Rex, anno 1587, Andream ad sedem Episcopalem Ecclesiæ Urgellensis evexit. Quæ quidem dignitas tunc magni redditus annui erat; verum post Andreæ mortem distractum illius vectigal fuit, ob erectionem sedis Episcopalis in urbe Salsona.

Inter multa pietatis opera quibus nomen suum Andreas posteris commendavit, primas tenet fundatio Collegii Societatis Jesu et Clero destinatæ pueritiæ Seminarii, cujus cura Jesuistis committitur, in urbe vulgo *la Seu d'Urgel*. Primum numerata pecunia dedit eis viginti quinque millia scuta, et paulo post adjecit alia quinque millia, quibus construxit ædes, templumque sacra supellectili adornavit. Jesuistæ, in tanti beneficii perennem memoriam, supra januam Collegii scutum Episcopi tesserarium, quod Genuæ affabre fuerat elaboratum, apposuere. Præfata pecuniæ summa ad Seminarii dotem non sufficiente, impetravit a Summo Pontifice unionem cujusdam monasterii Benedictinorum d'Encerall ab urbe hac distantis semileuca. Secesserat ad suam eremum Scalæ Dei, cum delatum ei fuit Breve Apostolicum: quod recipiens,

obortis gaudii lachrymis, dixit Fratri Jacobo Monlleo, Converso hujus Cartusiæ sibi familiarissimo, nusquam se per totum vitæ suæ spatium tali perfusum fuisse lætitia : eo quod oves suæ, quæ Pastoribus indigebant qui panem eis doctrinæ Christianæ porrigerent, ad omnem imposterum pietatem zelo et concionibus Jesuistarum instituerentur.

Nec minus se beneficum exhibuit erga Scalæ Dei Cartusianos. Ædificavit etenim amplissimum refectorium, et alia, pro quorum constructione impendit tria millia scutorum. Ipsis etiam octo millia scuta erogavit in eleemosynas. Eisdem pretio comparavit castellum de Melones et villam Cartusiæ contiguam, quæ duobus millibus et quingentis scutis empta fuerunt, præter alia quæ in præfatis prædiis extruxit. Quoties autem divertebat in eremum super montem a se ædificatam, expensas suas larga manu solvebat monasterio : Domo siquidem egrediens, Cartusiæ Procuratori superabundantem tradebat pecuniæ summam.

Cum aliquando D. Monroig, hujus cœnobii Moderator, Domus inopiam eidem exponeret, Præsul motus misericordia Priori statim tria millia scutorum impertiit. Idem charitatis opus exercuit erga Patrem D. Vincentium Bru (quamvis prima fronte, ad probandam illius virtutem et patientiam, minus se propitium simularet). Cum enim Vincentius Episcopo testatus fuisset se ad omnia paratissimum esse, æquoque animo et imperturbato quidquid Præsul decerneret auditurum ; Andreas clam Fratri Jacobo Monlleo clavem suam tradens, præcepit ut, pecuniam ad monasterii necessitatibus subveniendum sufficientem in arca accipiens, eam, inscio Priore, deferret usque ad Castelldazens. Jacobus Antistitis mandatis obtemperans, secreto reposuit in sacculo octoginta scuta.

Cum aliquando Andreas ægrotaret, accersiit prædictum Fratrem, cui dedit tria millia scutorum, quibus jumenta et pecorum greges compararet. Hæc summa, cui alia adjuncta erant viginti millia scutorum, assignata fuit ad constructionem novæ Domus Aræ Christi in regno Valentiæ, cujus Fundatoris nomen quodammodo sibi potest vindicare. Præter multa alia minoris momenti beneficia, dono dederat Domui Scalæ Dei omnem suam supellectilem argentariam centum libras et amplius pendentem : quam quidem utendam illi præbebat monasterium. Verum post ejus obitum, Apostolicæ Cameræ Collector hanc occupavit, quamvis Antistes, dum in humanis erat, juxta causidicorum consilium formula solemni servata, scripto Cartusianis illam reliquisset, ne prævaleret adversus eos Ecclesiastica potestas.

Singulis annis Cartusiæ Majori ducenta scuta largiebatur ad Comitiorum Ordinis nostri sumptus ; ipsoque anno, quo e vivis sublatus est, jam ea numeraverat F. Jacobo Monlleo, ut hanc

summam committeret D. Petro Serval, a generali Capitulo per Hispanias in Commissarium delegato, custodiendam.

Sollicitus etiam erat circa suæ diœcesis egenos. Singulis diebus ad suæ Domus ostium sexaginta pauperibus mercenariis exiguum panem mane dispertiebat, ut commodius labore victum compararent. Hora autem nona trecentis promiscui sexus ad eamdem ædem mendicis convenientibus duo Fratres Conversi Scalæ Dei, Joannes Artells et Petrus Brescannet, viri religiosissimi, distribuebant quartam panis. Hebdomadatim suo Confessario decem scuta dabat eroganda inopibus erubescentibus mendicare.

Dum versabatur in suo domicilio de Sanahuja, ad quod frequenter divertebat sibi suæque saluti vacaturus in solitudine, aquarum extra alveum eruptio quamdam domum dejiciens, incolam illius ad extremam redegit egestatem. Ruentis ædificii fragorem per noctem audiens Episcopus, percontatus hujus hominis infortunium, re verboque afflictissimum solans, statim ædiculam illius restaurari curavit.

Quidam calamitosus omne debitum creditoribus suis jure judiciali reddere non sine impensarum augmento coactus, dissoluturus æs alienum mulam onustam hordeo agebat. Transnatans ille fluvium, et mulæ et hordei jacturam fecit. Hujus vices Episcopus dolens jussit domesticis suis satisfacere creditoribus, aliamque mulam pauperi restituere.

Andreæ charitas se se etiam extendebat ad inopes puellas; et licet beneficus esset in extraneos, habita eorum status et egestatis ratione, parcum tamen erga suos parentes se exhibebat. Duabus suis neptibus obtulit in dotem singulis trecenta scuta. Cumque ambæ ipsum rogassent ut amplius quid eis largiretur quo in matrimonium collocarentur honorificentius atque commodius, negans ille licere sibi quod suum non erat dare propinquis, dixit hanc summam ipsis sufficere; subjunxitque : Se neque carni neque sanguini debitorem esse, ideoque eleemosynas ab eo pauperibus, non autem parentibus suis esse erogandas; cumque inter inopes sors earum esset, debebant hac esse pecunia contentæ. Harum una cum innupta decessisset, ejus parentes Præsulem obsecrarunt, ut quod defunctæ largiri statuerat, superstiti puellæ donare dignaretur. Ad hanc autem impetrandam gratiam usi sunt opera F. Jacobi Monlleo, cum Andrea amicitia conjunctissimi, qui ægre admodum hoc ab Episcopo extorsit. Ex hac pecunia villam emit quingentis scutis, ea cautione tamen, ut si puella absque liberis e vivis excederet, domus illa Cartusianis Aræ Christi adscriberetur.

Parochus quidam diœcesis Urgellensis, nullo condito testamento mortuus, reliquit tria circiter millia scutorum. Hæc judiciali jure perveniebant ad Episcopum, qui jussit defuncti parentes convocari, ut cognita et perspecta sin-

gulorum necessitate, juxta uniuscujusque proximitatem et inopiam hæc summa distribueretur, salvo nihilominus jure et mercede Officialium Episcopatus. Excepit præterea aliquod frumentum in pauperum usus. Factam ab Episcopo distributionem F. Jacobus Monlleo laudans, eidem dixit bene illum omnia fecisse; adjecit tamen haud esse consentaneum parochi animam oblivioni tradere, cum nullus parentum curaret debita precum suffragia defuncto persolvere. Cui Antistes respondit, hoc Christianæ pietatis opus contineri eleemosynis Deum pro parochi requie orantibus. Vestes etiam eremitis et egenis suppeditabat.

Nulli cibi lautiores mensæ illius apponebantur ; diuque a carnibus abstinuit, donec correptus morbo, medicorum præscriptis acquiescens, escis per Statuta nostra vetitis usus est : in hoc certe non laudandus, imo vituperandus. Cum prima vice qua carnisprivii leges perfregit, stimulum conscientiæ sentiens, manu feriens mensam ingemuit, dixitque : « Heu ! heu mi ! de me actum est ! » significans quod factus abstinentiæ transgressor, repositam sibi coronam, modo perseverasset in primævo Cartusiensis Instituti rigore, amisisset. Nunquam tamen Ordinis dimisit habitum, quamvis panno minus grosso uteretur.

Dum podagra laborabat, licet hoc morbo multum cruciaretur, ad ampliorem patientiæ materiem nullum poscebat remedium, nihilque aliud habebat in ore nisi hæc verba : « Domine Jesu, sis benedictus ! » Variis morbis divexatus, collegit messem meritorum copiosissimam. Excelluit imprimis patientia Præsulis in ægritudine, qua per quindecim dies sine ulla intermissione lancinatus, dolores acutissimos sustinuit. Aderat ægrotanti Jacobus Monlleo, omniaque charitatis officia ei præstabat; cui et ministris suis gratias referebat dicens : « Fratres mei, sustinete me, quæso vos ; erit merces vestra Deus. » Sicque se facilem, non autem molestum demonstrabat in suis infirmitatibus.

Erat summopere deditus orationi. Utque liberius procul ab hominum consortio se se in ea exerceret, in deserto Scalæ Dei sibi ædificaverat solitudinem, in quam secedebat statis quibusdam temporibus, ubi perfundebatur torrente voluptatis. Construxerat etiam prope ecclesiam Crucifixi de Balaguer sitam in Urgellensi tractu, eremum; ad quam interdum divertens, gustabat et videbat quam suavis esset Dominus. Ludovicus Bertrand, Religiosus Ordinis Prædicatorum sanctitate nominatissimus, retulit aliquando Domno Zurita monacho Portæ Cœli, se novisse hominem qui in spiritu viderat dominum Andream Capilla in oratione e terra sublatum.

Interim Pastor bonus vigilantissimus erat circa commissi sibi gregis custodiam. Præter Seminarium quod construxerat ad erudiendam gentem, ipse etiam duo volumina concionum, tam

pro Dominicis Quadragesimæ diebus quam solemnioribus anni festis, edidit in lucem; e quibus parochi doctrinæ salutaris aquas tanquam e limpidissimis fontibus haurire possunt, iisdem concreditam sibi plebem irrigaturi. Integerrimus erat in Beneficiis ecclesiasticis conferendis : nullus apud eum erat favori locus, nihilque unquam gratiæ tribuebat, sed meritis, vir flecti nescius et minime personarum acceptor. Ipse remotiores ecclesias lustrabat et pagos ignobiles : omnia suæ diœcesis loca studiose peragrans, tuba Evangelica populos curæ suæ suppositos vocabat ad salutem, revocabat a vitiis, ad virtutum praxim excitabat, instillabatque lac devotionis erga Beatissimam Virginem Mariam. Ad id ministerii adsciverat sibi in cooperatores viros non minus pietate quam eruditione peridoneos; adeo ut domum Episcopi, quam decet sanctitudo, multum adornarent vitæ castigatissimæ Officiales : quorum studio et opera honor Dei in dies adaugebatur.

Indicta est aliquando provincialis Synodus in urbe Tarraconensi; cui sub exordium adesse non potuit Andreas infirmitate præpeditus. Versabatur per id temporis in Cartusia Scalæ Dei. Factus certior per litteras de iis quæ in Concilio ventilabantur, rogatur ut mentem suam exprimeret, quatenus Præsulum consilio res dirimeretur (de viginti quippe millibus scutis agebatur, quæ a Clero Rex sibi donari petebat). Interim cum inter se dissentirent Antistites, ad eorum instantiam in sella gestatoria defertur Andreas ad Concilium : lectica etenim aut rheda portari non poterat ob itineris asperitatem. Cumque coadunatos Præsules fuisset allocutus, duobus verbis sedavit discordiam : ratus regni necessitatibus succurrendum, suasit Episcopis, juxta singulorum facultatem, aliquid Regi benevole suppeditare.

Extremo tandem correptus morbo, statim accersiit Fratrem Jacobum Monlleo tunc etiam adversa laborantem valetudine. Monuit Jacobus Patrem Vicarium (aberat etenim Pater Prior), ut medicum Domus nomine Ferrer cum aliquot medicaminibus mitteret, qui suppleret illius vices. Interim Andreas se ad vitæ occasum properare persentiscens, magna cum devotione Sacrosanctum Christi Corpus suscepit, quo refectus viam universæ carnis securius ingrederetur. Advolat medicus; cumque Episcopi palatium intraret, ejus adventum minister nunciat ægroto, qui Jacobum non venisse videns, ad alteram lecti partem convertit faciem; brevique temporis intervallo, corruptibili carne deposita, liber ad filiorum Dei desideratum contubernium beandus commigravit octogenarius, anno 1609, die 22 Septembris, in suo domicilio de Sanahuja mortuus.

Sparso statim per regionem ejus obitus rumore, Patres Scalæ Dei delegaverunt D. Joannem Aster monasterii Procuratorem et Fratrem Petrum Amoras, qui defuncti cadaver in Cartusia

sepeliendum peterent. Ejusdem rei causa Patres Jesuistæ intervenerunt, justa persolvere cupientes suo benefactori, ipsumque cum debita funebri pompa in suo Collegio deponere. Verum Clerici Ecclesiæ de Sanahuja pretiosam corporis illius glebam dimittere noluerunt. In crypta igitur sacelli honorificentioris hujus ecclesiæ parochialis tumulatus ante aram, nonnullos prodidit suæ glorificationis splendores. Nullam vivens sibi elegerat sepulturam; cumque aliquando Frater Jacobus Monlleo ipsum hac de re interrogaret, respondit Episcopus : « Post mortem parum curo de corpore meo, modo anima mea in sinu Abrahæ requiescat. » Nullum moriens conscripsit testamentum, qui vivens opes suas egenis erogaverat. Reliquit haud obscura suæ doctrinæ monumenta, quæ alibi descripsimus.

Porro præter Josephum de Valles meminerunt Andreæ Capilla : Petræus in Bibliotheca Cartusiana, Theophilus Raynaudus in suo Brunone Mystico, Annales Scalæ Dei.

FRANCISCUS ALMENARA

PRIOR ARÆ CHRISTI

Natione Celtiber, patria Montisonensis; in sæculo insignis Jurisconsultus, et in Sertoriano Lyceo vespertinæ Jurisprudentiæ cathedræ moderator. Qui, itinere in Oscensem se conferens civitatem, per Cartusianam Aulæ Dei Domum vespere commeans ac per totam noctem incedens, vix ultra potuit progredi, nesciensque ad monasterii januam facto mane inventus est. Statimque divinæ illustratus gratiæ radio, Brunonianam petiit cucullam, suscepit, ac suo professus tempore maximos uberrimosque tulit sanctimoniæ fructus, vir deditissimus orationi et abstinentiæ. Fuit Aulæ Dei Prior et Aræ Christi, et Cataloniæ Visitator. A beatissima Anna Dei Genitricis matre, quam singulari cultu prosequebatur, visitatus et verbis et operibus adjutus, maximas in novæ Domus Aræ Christi fundatione impendit opes. Ubi collectis virtutum eximiarum manipulis fato functus, anno 1624, die 22 Septembris, ad Cœlos evolavit, relicta haud vulgaris sanctitatis opinione. Divinis signis post mortem coruscavit.

Ex Mss. Cartusiæ Aulæ Dei.

CAROLUS DE GONNELIEU

PRIOR ROTHOMAGENSIS

Habitam in ejus obitu Concionem funebrem a V. P. D. Josepho Le Tellier ejusdem Domus tunc Vicario hic subjicimus, cujus tenor talis est :

« *Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus!* IV Regum, cap. 2.

« Licet, Venerabiles in Christo Patres, jam lachrymis nostris venerabili admodum Patri nostro defuncto parentaverimus, et innatum de ejus morte dolorem nostris suspiriis parturierimus, superest

tamen mihi cognitas vobis ejus virtutes recensere, et tanta memoria tristitiam nostram sublevare. Non quod illa anima, in societatem recepta Fidelium, laudes quærat humanas aut curet; sed propter eos ista fiunt, qui vivunt : ut qui consolari ejus laude desiderant, ita vivant, ut illic, ubi ipsa est, esse mereantur, et imitari non pigeat, quem commemorare delectat. Vere enim dicere possum : *Num ignoratis, quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel?* et quod tandem *cecidit corona capitis nostri.*

« Melius quam Eliseus, Patre nostro in Cœlum rapto, possumus inclamare : *Pater mi, Pater mi!* Ipse enim omnes in Christo nos genuit, et materno concurrente spiritu parturivit : scit unusquisque nostrum, quo amore nos conceperit, qua prudentia obstetricante manu ejus in lucem Cartusianam nos perduxerit. Testem cujuslibet et judicem conscientiam appello paternæ ejus bonitatis vindicem, quomodo sanis, quomodo ægrotis omnia factus, omnium vices implevit : in omnibus similis factus Apostolo, omnes parturiens quoadusque Christus in omnibus formaretur. In hoc Patrum veteris Testamenti consortio ditatus, quod mediis filiis, velut alter Jacob, coronatus, ad patres suos sit collectus; et tot natis moriens, velut alter Phœnix in nido constructo ex lignis odoriferis, reviviscat, tam numerosa filiorum serie felicior, singulis suas virtutes testamento distribuens et paterna hæreditate gloriantes operosa liberalitate relinquens, in hac voce immorantes : *Pater mi, Pater mi!*

« Bene *currus Israel* appellatur, qui 48 annis stadium Cartusianæ palæstræ decurrit non indecoro pulvere sordidus, et quem meta fervidis.... rotis transtulit ad Cœlum ; qui cum Salvatore nostro moriens dicere potuit : « *Omnes quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam,* Sacramentis tempore collatis, et quos tessera Christiana consignatos in Album Sanctorum traduxit.

« Nonne ut alter Ezechielis currus sub firmamento nobis apparuit, et redivivus novi Testamenti Cartusianorum currus emicuit? Omnes in curru evexit sibi commissos, quia spiritus erat in rotis; et quocumque ferebatur spiritus, scilicet in altum, illuc et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum; cum euntibus ibat et cum stantibus stabat, et rotæ sequentes, quia spiritus erat in rotis. In illo facies hominis, humanæ fragilitati compatiens; ibi facies leonis, magnanimitate omnia sufferens; ibi facies bovis assiduo labore et indefesso onera Ordinis complens; ibi facies aquilæ, sublimi oratione ad Deum evolans; ibi pennæ extentæ desuper et invicem junctæ.

« Sedit unusquisque nostrum in illo curru : et sive mortuis gloria, sive vivis gratia ex hoc curru emanavit. Videamus qua facie singulis arrisit; semper in illo curru exemplar reperimus benevolentiæ, fortitudinis, charitatis et patientiæ. Vere *currus Israel.*

« Nec tantum *currus,* sed et *auriga ejus;* siquidem per difficiles hujus vitæ vias summa cum industria currum hujus Domus conduxit. Nam sive in Sacristæ, Coadjutoris, Vicarii, Prioris et Convisitatoris officiis, sive in ædificatione tot Domorum et urbium, sive in propriæ virtutis studio semper edoctus, auriga prævalens, tum sui, tum suorum currus extitit et auriga : tot liturgiis decoratus, summum sacerdotii apicem obtinuisse credendus est.

« Videamus, quæso, ad quam metam currum tandem adduxerit, et composito Domus suæ curru, Provinciæ cursum expleverit. Vixdum emenso Visitationis stadio, in meta Parisiensi suburbio conquievit, adhuc calceatus de Evangelii paratura, succinctus adhuc acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus et martyrii viscerum tormine et calculo consignatus, candida melius brevi coronandus, Christi donativum expectans, evolavit. Bonum agonem subiit, in quo agonothetes fuit ipse Christus, quem tam devote in viatico recepit ; xystarches Spiritus Sanctus, ipsius unctione in Oleo Sancto ad certamen delibutus tam pie; corona æternitas, quam toties inclamavit ; societas Angelicæ substantiæ et Sanctorum politiæ, quas tam confidenter advocavit ; gloria in sæcula sæculorum, quam illi adprecamur. Hic aurigæ et currus nostri terminus, Olympicum olim et Capitolii terminum superans : siquidem et egredientem et regredientem corona sequitur. Et licet mortem certam et, ut credo, a Deo revelatam mihi prædixerit et generali Confessione discedens præviderit, nec mortem nec pœnam extimuit; et ut olim Ordinis Præpositus dicebat stantem Generalem mori debere, quod ipsi contigit : sic ipse in procinctu Visitatorem mori debere aiebat, quod tandem illi evenit. Vere *auriga* et sui et aliorum ; et congratulandum nobis et Provinciæ, quod talem morum nostrorum aurigam et magistrum habuerimus.

« Supervacaneum æstimo virtutes ejus sigillatim exponere, quas tot Chartæ Visitationis decantant, et quarum testes et judices extitistis. Quid de humilitate, charitate, patientia, devotione et aliis virtutibus dicam, nisi quod innatas ipsi et connexas credidimus ? Dicam, Venerabiles in Christo Patres, quod ab ipso admirans accepi, et in exemplum posteris referre teneor.

« Nunquam quadraginta octo annis, quibus in hoc deserto peregrinatus est, ullum accepit consolationis manna ; semper aquæ ejus amaræ fuerunt. Et natura refragante, ad terram promissionis sola spe, licet obscura, perrexit : nulla columna ignis per noctem, nulla nubes per diem protexit ; et aliquando in tot pœnis a Deo permissis fatiscens, cœlum æneum et Deum ferreum ingemiscebat. Et tamen tot annis nec Mare rubrum nec Ægypti olera respexit : semper fidelis, semper constans, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio

meridiano immunis evasit. Martyrium quilibet inclamet tot annorum ; et non per annos, sed per dies palmas numeret, quas suis filiis triumphans ostendit in hac voce moriens : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit;* et mihi, ut animi ejus conscio, fidelitatem integram servasse confessus est. Quis ergo nostrum sub tanto duce certare tædeat et superare recuset?

« Plura recensere dolor communis impedit ; videat tandem unusquisque nostrum, quomodo tali Patri gratias rependat. Migraturi migrantem non amisimus, sed præmisimus ad eum diem venturum, ubi nobis erit quanto notior, tanto utique charior, et sine ullo timore dissentionis amabilis. Suum pro nobis ad Deum promisit auxilium mortuus ut vivus ; nostrum pro illo ut vivo sic mortuo auxilium rependamus. Juvate precibus, quem amastis: hæc Religionis nostræ tessera, hoc Patris testamentum, hæc filiorum memoria, ut in Cœlo tandem requiescat. Amen. »

Hactenus Oratio funebris habita in obitu D. Caroli de Gonnelieu, qui e vivis excessit die 22 Septembris, anno 1669 : cujus memoria est in benedictione ob eximiam vitæ sanctimoniam.

Adolescens nobilis, annum agens ætatis septimum decimum , Cartusianis nomen dedit Rothomagi, emisitque professionem anno 1623, in ipsa S. Joannis Baptistæ Solemnitate. Novus Christi miles, optimæ indolis, ingenii splendidi et amantis quæ recta sunt, studiosus boni, affectu mitis, flexibilis ad pietatem, facilis ad obedientiam, statura præcellens, aspectu pulcher, angelica præditus modestia, gradatim singula Domus munia religiosissime obivit ; nam primum Sacristam, deinde Coadjutorem, postea Vicarium, tandem egit Priorem hujus monasterii et Franciæ Visitatorem : vir virtutibus omnigenis exornatus.

Pietate potissimum Carolus excelluit in Deum. Quid enim fuit prolixus vitæ ejus cursus, quam assidua colendi Dei exercitatio ? Non iis solum momentis, quibus stato tempore et loco una cum collegis laudando Deo conveniret, sed quatenus nunquam ab ejus aspectu, nunquam ab ejus cultu recedebat : filiali affectu apud illum, modo tanquam Patrem, modo tanquam Judicem, detentus, ut ejus sapientiam aut justitiam collaudaret. Quoties hora vocabat ad hymnodiam, festino gressu pergebat in templum, a quo nulla negotia, nulla debilitas corporis, præter extremam, unquam eum aut a psallendo divertere, aut psallentem a choro emittere potuit. Intererat etiam Defunctorum Officiis, licet occupatus Visitatoris munere, privatimque concessas defunctis preces persolvebat, non secus ac si fuisset gregarius asceta.

Secretam vero animi religionem enunciabat oculorum Caroli continentia, necnon modestissima totius corporis ejus effigies, ingerens maximam tum contubernalibus tum extraneis ædifica-

tionem. In sudore tamen vultus sui pane suo vescebatur, habitabatque in terra deserta, invia et inaquosa, plerumque potatus absynthio : Christum erga se præcinctum ad mamillas experiens, omnique prorsus spirituali consolatione se sentiens destitutum. Non raro deprehensus est in cellula sua, genibus prostratis lachrymisque cadentibus, effundere cor suum in conspectu Altissimi, tantillum roris cœlestis expectans; verum Deus, in Carolum quasi mutatus in crudelem, obsurdescebat ad illius preces, ipsum magis ac magis probans in tribulationis camino.

In his omnibus mentis angustiis et animi deliquiis perseverabat Dei servus in innocentia, nec quicquam de spiritualibus exercitiis detrahebat unquam : semper lætus cunctis apparens secundum faciem Sanctorum, adeo ut nemo Carolum unquam tristem viderit, sed semper serenum tranquillumque. Dixisses virum hunc gaudio superabundare, qui se ipsum cunctis semper exhibuit affabilem. Laxissimi quippe sinus et quasi ad omnes projecta fuit hujus præstantissimi Patris charitas, quoscumque sine discrimine amplectens, eo quod nullus esset apud eum contemptibilis, nullus non dignus ope sua. Certissimum est nullius rejecisse postulationem, ubi postulatis posset aliqua via satisfacere. Tanta erat in eo ad bene merendum de omnibus proclivitas, ut non tam charitatem in præcordiis suis, quam præcordia charitatis habere videretur.

Quid dicam de afflictis et tentatis ? Alienas primum mœstitias faciebat per commiserationem suas ; quare apud eum nihil potius vidisses, quam posse mœstis aut verbo aut facto aut litteris aliquod porrigere solamen. Monachis omnia satagebat abunde suppeditari, nec pauperum tamen immemor, quibus, quocumque licebat modo, subveniebat. Præcipua vero charitatis ejus gloria emicuit in solatio ægrotantium, quorum morbos eloquio ac verbi dulcedine leniebat potentius quam medicinis. Ipsos frequenter visitabat, omniaque tanquam pater suorum amantissimus præstabat officia. Nec minori vigilantia excubabat deducendis filiis suis Deo, blandis utens suasionibus et valentioribus exemplis. Si quis autem monitis recalcitrans se se præberet pertinacem, quocum Carolus oleum atque operam perdere videretur, ipsum tolerabat patientissime ; nusquamque ex ore illius verbum excidit, quo suorum defectus cuiquam propalaret, de singulis bene loqui solitus.

Dilectus Deo et hominibus Carolus noster erat apud omnes in existimatione; audiebat ut Sanctus apud primarios urbis viros, qui, quanto eum silentio et cellulæ custodiæ cernebant addictiorem, tanto magis illum venerabantur. Rarissime siquidem religiosissimus iste Pater conspiciebatur in plateis, nihil habens antiquius, nihil delectabilius, quam inter Cartusiæ septa versari. Peracto Visitationum cursu, redux ad

suos, credidisses Franciæ Visitatorem jam Novitium agere; singulis siquidem monachi muniis ad amussim se se accommodans, iota aut unum apicem non sinebat a Lege præterire : adeo ut hortulum ipse suum coleret, ratus illum non debere manducare, qui non laboraret. Temporalium autem sollicitudinem omnino projiciens in Procuratorem, tantum vacabat spiritualibus.

Nec Carolo defuit mortificatio, neque humilitas, cujus virtutis solidissima jecerat fundamenta. Nihil erat in ejus gestu, nihil in voce, nihil in verbo et actionibus, quod apprime non referret decorem humilitatis. Aliquando contigit mentionem fieri perhonorificam de ejus stirpe, quæ sane nobilis erat. Tunc vir humilis erubescens, aliquid lucis de splendore domestico detracturus nonnihil sic loquenti objecit, quo suum genus obscuraret.

Paupertatis fuit cultor eximius, et castitatis, cujus florem usque ad mortem conservavit illibatum. Quanta autem fuerit ejus pudicitia, patet hoc exemplo. Cum post diuturnam equitationem veretro cum inflammatione excoriato graviter ægrotaret, vir supra modum ore verecundus vix propriis oculis affectæ parti compati permisit : quantominus medicorum oculis! Attamen eam excussit mentem, quando jam amplius occultari non poterat infirmitas, tabis atque gangrenæ formido. Advocato siquidem Fratri Francisco Monturier, Cartusiæ Borboniensis discretionis approbatæ Converso, morbum indicans, non sine ingenti incisionum dolore sanatus est.

Tandem Cœlo jam maturus, incredibili in extremo morbo exhibita patientia, semper sui compos animam ab omni lethali peccati labe expertem efflavit.

XXIII DIE SEPTEMBRIS

JORDANUS

PRIOR HERBIPOLIS

Vir laudatissimæ conversationis; qui cum brevi temporis spatio hujus monasterii clavum tenuisset, ad solitudinem anhelans, abdicata Præfectura, sancte decessit, anno 1367, die 23 Septembris.

Ex Catalogo Priorum Domus Herbipolensis.

BARTHOLOMÆUS ANTOLINUS

MONACHUS PORTÆ CŒLI

Custos eximius observantiæ regularis, singularique devotione affectus erga divum Onuphrium eremitam. Cum in extremis positus jam animam ageret, circumfusis Patribus ultima charitatis officia ei exhibentibus, magno cum gaudio, apertis oculis, dixit : « Rece-

dite, Patres, recedite modicum; ecce venit beatus Onuphrius. » Sursumque respiciens protinus expiravit. Unde omnes credidere beatissimum Eremitam obviam morienti venisse, animam devoti famuli sui in cœlestem patriam deducturum. Munus olim Procuratoris laudabiliter exercuerat. Fatis autem concessit anno 1478, die 23 Septembris.

Ex Chronico Portæ Cœli, cap. 17.

BENEDICTUS ALATRINUS

PRIOR TRISULTI

Professus primo Trisulti, ultimo Bononiæ; alias Prior Domorum SS. Stephani et Brunonis, Trisulti, Capri et Clarimontis; spectatissimus monachorum, gratia et nomine Benedictus; Antiquior Bononiæ; obiit expleto anno sexagesimo suæ professionis, mox accepto S. Jubilæo. Vixit irreprehensibilis, in ministrandis Conventui necessariis nunquam parcus, observantiæ præcipuus zelator, vir magni consilii; præsentiæ Dei, jaculatoriis aspirationibus, meditationi rerum cœlestium plurimum intentus; propterea lingua illius non nisi sancta et utilia loquebatur. Plenus itaque dierum ac bonorum operum ad cœlestia migrat, anno 1575, die 23 Septembris.

MARTINUS RAMOS DE BALBAS

CONVERSUS DE MIRAFLORES

Vir vere religiosus, qui transegit in Ordine 42 annos sine querela, Christi bonus odor factus, et se se præbens omnibus bonorum operum exemplar. Inter cæteras virtutes, quibus abunde cumulatus erat, singulari excellebat obedientia; perfecte enim adeo propriam abnegaverat voluntatem, ut sola semper viveret suorum Superiorum voluntate, felicitatemque summam existimaret se assecutum, cum injuncta sibi perageret. Semper paratus erat ad obediendum; non cunctabatur vel tergiversabatur, sed alacri promptoque animo sedulus et fidelis servus laborabat strenue, demandatisque sibi indefesse muniis navabat operam. Porro cum, juxta Salomonis consilium, pavidus semper esset, custodiens vias suas, si cerneret se offenso tantisper pede incessisse, ad Superiorem recurrens, pro levioribus defectibus ab eo sibi pœnitentiam imponi petebat humiliter. Tanta autem Domini sacerdotes veneratione prosequebatur, ut cum ex his aliquem haberet obvium, illius manus genibus flexis exoscularetur.

Senio fractus et morbis cum se sine ministro movere non posset, divinis tamen intererat Officiis; totoque mane remanens in choro Conversorum, omnes Missas genibus flexis audiebat devotissime: idque religiosissime præstitit

quinque vel sex annis ante obitum, quibus tanquam aurum in fornace infirmitatis fuit probatus. Inter morbi diuturnitatem admirabilis quædam animi fortitudo et patientia semper in eo enituit. Nullum unquam proferebat querimoniæ verbum; sed in Dei laudes effusus, nihil nisi de beneficiis Divinæ bonitatis erga se loquens, bono erat omnibus exemplo, qui Martinum tanquam unum ex antiquis Anachoretis redivivum suspiciebant, mireque provocati ad illius patientiæ imitationem recedebant. Vergens ad occasum vitæ, biennio ante mortem ad eam devenit simplicitatem, ut licet aliunde præditus esset ingenio, infanti quinque annorum similis effectus est. Tandem ad dierum metam perveniens, moritur in senectute bona, anno 1600, die 23 Septembris.

Ex Manuscripto hujus Domus.

MARGARETA DE CORNAILLE

MONIALIS GOSNAY

Soror fuit religiosissimæ Matris Joannæ de Cornaille hujus monasterii Priorissæ. Nihil ea humilius, nihil honestius, nihil mitius, innocentius nihil spectari poterat : adeo erat ad omnem virtutem composita, quam hauserat a suis parentibus nobilissimis. Nam hæc familia perillustris jamdudum hoc parthenium felici propagine fœcundavit, et fœcundat in dies. Porro Margaretæ, dum adhuc pene infans erat, oranti in Collegiata basilica civitatis Hesdini apparuit plagato corpore Salvator noster: quod quidem mysterium tanta pietate ac religione ad extremum usque spiritum coluit, ut de Christo flagellato semper aliquid inter meditandum insereret, memor ejus vivificæ Passionis.

Cum autem multum necessarium sit puram in omnibus actibus intentionem servare, ipsa frequentissime interiori mentis collectioni et operum examini vacans, perpetuum sui ipsius et actionum suarum offerebat holocaustum. Nihil sibi, nihil humano favori reservans, omnia consecrabat in Dei laudem et gloriam. Unde cum sollicita esset ne spiritum devotionis extingueret actibus præcipitatis, ejus opera coram Domino apparebant plena et perfecta. Quamvis autem omni custodia servasset cor suum, in extremo tamen morbo contremuit ad Judicis adventum, sciens horrendum esse in illius manus incidere. Excusso tamen timore ad aspectum abyssi ejus misericordiarum, confidens in bonitate illius, post diuturnum mœstumque silentium adstantibus dixit : « Malo mortem quam vitam. » Sicque relictis singularis obedientiæ morumque innocentiæ præclaris exemplis, placido mortis somno consopitur, anno 1638, die 23 Septembris, ætatis anno 34, Religionis autem 20.

Ex Schedis Mariæ Margaritæ de Brongniart et Elisabeth de la Ruelle, hujus gynæcei Monialium.

HUGO BOUSSAN

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

Gratianopolitanus, ex Canonico S. Rufi prope Valentiam professus Cartusiæ, 11 Junii, anno 1630. Fuit institutus Procurator in obedientia Melani; obiverat antea ibidem Coadjutoris officium, sicut et Magistri Novitiorum. Singulari morum mansuetudine, pietate ac prudentia conspicuus, dilectusque a Deo et ab hominibus, animam omni genere virtutum exornatam Creatori suo reddidit, anno 1640, die 23 Septembris. Post decem ab ejus obitu vel undecim circiter annos, se conspiciendum præbuit cuidam monacho in veste candida et fulgente cum puerulis exultantibus præ gaudio; ipseque laudabat Deum et benedicebat in exultatione et lætitia magna.

Ex Schedis Domni Hugonis Buat professi Majoris Cartusiæ ad nos transmissis.

CHRISTOPHORUS STEICK

PRIOR CONFLUENTIÆ

Moguntinus patria, professus Confluentiæ; ad instantiam monachorum hujus Domus, ex Cartusia Cantavii, ubi Vicarius erat, anno 1637 Prior instituitur. Vir fuit valde pius ac religiosus, non caro sed spiritus; qui mundum vix gustaverat, intentus continuo rebus divinis, Beatissimæ Virgini Mariæ devotissimus; qui singulari Dei gratia nunquam peccati lethalis labe animam suam maculavit. Hic in bona senectute, agebat etenim ætatis annum septuagesimum secundum, dum morbo laborans Deo omnipotenti adhuc semel incruentum Missæ Sacrificium offerre cuperet, et prostratus ante aram pro præparatione jaceret, in isto situ corporis, ipse hostia factus Deo gratissima, expiravit, die 23 Septembris, anno 1643.

Ex Litteris Joannis Hoff Prioris.

XXIV DIE SEPTEMBRIS

SIGISMUNDUS

MONACHUS MAURBACH CUM ALIIS

« Cum Joannes Vaivoda (ait Spondanus, Annal. ad ann. 1529, § 12), Regem Hungariæ in schismate adversus Ferdinandum Austriacum agens, ab eo pulsus, Solimano Turcarum Imperatori, per Hieronymum Lascum palatinum Siradiensem ad eum missum, obtulisset annuum tributum pro regno Hungariæ, si ab illo ei restitueretur, seque beneficiarium ac clientem perpetuo futurum; Solimanus, conditione accepta, cum numerosissimo exercitu venit in Hungariam anno 1529, obvium habens Joannem, qui, gratiis actis de sui clientela suscepta, dextræ osculo eum patronum

ac vindicem agnovit suæ libertatis. Primum vero Solimanus civitates Quinquecclesiensem, Albam Regalem, Pestensem aliasque multas se se sponte dedentes recepit; deinde Budam ejusque arcem (dedentibus se pariter militibus contra Ducis voluntatem, quos propterea dedit neci Solimanus, Ducem honoravit) accepit in potestatem; ac subinde Strigonio, Altenburgo, aliisque oppidis et munitissimis castellis ad Danubium sitis se se similiter ei dedentibus, die 26 Septembris obsidione terra et aqua cinxit Viennam, ac multis diebus gravissime oppugnavit. Sed illa forti propugnatione Philippi palatini Rheni, Nicolai comitis Salmensis, Guillelmi Rogendorfi et aliorum generosorum Ducum defensa, soluta est obsidio 14 Octobris; qua die abiit Solimanus, amissis illic circiter sexaginta millibus hominum ex ducentis millibus quos adduxerat (utrumque numerum alii valde augent, aliique valde minuunt), et præter ingentem prædam, captivis abductis, aut fœde cæsis, totidem aut amplius miseris Christianis ex iis regionibus. »

Turcicus furor etiam Cartusiæ Maurbacensi non pepercit. Sævitum hic in sacra et profana pro barbarorum libidine, in homines pecudum more. Religiosi ad custodiam Domus relicti cum fuga excluderentur, in unum se se cubiculum recipientes, animosque per mutuam cohortationem ad mortem pro Christo generose obeundam comparantes, tyrannos et ferrum expectabant. Erant hi D. Sigismundus professus Maurbacensis et Procurator; F. Erardus, F. Joannes et F. Michael Conversi, professi Maurbacenses (his addit D. Leopoldus Brenner ejusdem monasterii monachus in suo Chronico, F. Benedictum et F. Antonium Conversos in Leweld, quos Charta capitularis non refert a Turcis occisos fuisse); et F. Sebastianus Clericus Redditus in Maurbach (quem etiam Charta Capituli generalis testatur a Turcis immaniter fuisse trucidatum), vir animosi spiritus, qui, perfracto a barbaris ostio, corporis objectu, et bipennem non sine strage edita in Turcas exercens, irruptionem fortiter sustinuit: quoad præciso ab humeris brachio, et præliandi finem et vivendi fecit, una cum sociis devotis Deo victimis in minutissimas partes concisus; quibus et verbo et scripto Martyrum honorem uno veluti consensu posteritas arrogavit.

Injectæ post hæc faces ædibus, direpta ecclesiæ ornamenta, effractæ sub spe rapiendi thesauri Fundatorum tumbæ, disjecta (sed iterum devote postea recollecta) Regia lipsana : nihil omissum, quod furor et rabies et exitiale Christiani nominis odium suggerebat hostibus. Atque ita celebris Cartusia Maurbacensis post ducentos sedecim annos a fundatione sua, multis interim jactata procellis, miserabile in bustum denique abiit 8 Kalendas Octobris, anno 1529 : qua die Sigismundus cum aliis necatus est.

Fuse narrat Spondanus in Annalibus Auctores qui de bello hoc Turcico scripsere. De Cartusianis occisis mentionem facit Miræus in Catalogo Domorum Ordinis nostri, et D. Leopoldus Brenner in Chronico Cartusiæ Maurbach.

ROBERTUS THURLBY

MONACHUS SHENE

Unus ex antiquis hujus monasterii professis, ubi et quondam Vicarium egerat, videlicet ante ejus destructionem; qui propter sanctam Sedem Apostolicam a schismatico Rege Henrico exilium et multas ærumnas perpessus, restaurata Domo Shenensi a Maria regina Angliæ, ibidem pie obdormivit in Domino, die 24 Septembris, anno 1557.

Ex Chronico hujus Cartusiæ.

ROBERTUS ABELL

MONACHUS SHENE

Unus etiam fuit ex antiquioribus hujus Cartusiæ, qui pro eadem causa passus persecutionem, pulsus patria, ad restauratam a Regina Domum rediens, ibidem requievit a laboribus suis, mortuus anno 1558, die 24 Septembris.

Ex Chronico hujus Domus et ex Schedis et Litteris quas ad nos transmisit D. Georgius Transamus Prior Anglorum Cartusianorum Neoportus.

XXV DIE SEPTEMBRIS

HENRICUS DE LUDENSCHED

PRIOR ARGENTINÆ

Natione Westphalus ; ex professo et Vicario Cartusiæ Moguntinæ anno 1425 in Priorem Basileæ ordinatus, per quadriennium perutiliter præfuit. Erat enim vir rerum spiritualium simul et temporalium versatissimus, et in magna apud omnes existimatione ob suam pietatem ac mores religiosissimos. Translatus postea ad regimen Cartusiæ Argentinensis, factus Provinciæ Visitator, hanc per plures annos sapienter prudenterque administravit. Adfuit etiam Concilio Basileensi. Demum ab omni exoneratus officio, de Ordine bene meritus, decessit plenus dierum, anno 1439, die 25 Septembris.

Ex Chronico Cartusiæ Basileensis.

CÆSAR GODOY

VICARIUS PORTÆ CŒLI

Ejus Vita describitur a Joanne Baptista Civera in Chronico Portæ Cœli, cap. 29, his verbis :

Devotus ac venerandus Pater D. Cæsar seu potius Vincentius Godoy natus est Toleti ex honestis parentibus, quem in Baptismo Vincentium appellarunt. Cum jam esset adolescens, expletis studiis, ad Curiam Romanam profectus est, ut aliquam Præbendam obtineret, qua honorifice vitam transigere posset. Et non est fraudatus a desiderio suo, nam consecutus est quemdam Canonicatum in Ecclesia S. Mariæ insulæ Tremiti in mari Adriatico sitæ. Cumque Bullas, ut moris est, extrahere vellet, probare debuit se esse baptizatum et confirmatum. Et quidem baptizatum esse aperte patuit, sed confirmatum non item. Unde quidam de palatio Pontificali ei familiaris introduxit eum in sacellum Domini Papæ, et ipsemet Paulus III confirmavit eum (aut certe magnus aliquis Prælatus), cui nomen Cæsaris imposuit. Et ab illo die et deinceps hoc nomine fuit ab omnibus vocatus.

Qua causa autem et qua ratione de tam remotis terris deinde ad hanc Nostrum devenit, ignoro prorsus. Scio autem, quod cum primum illam a longe prospexit, ingenti gaudio perfusus fuit, descendensque ab equo et utroque poplite in terra posito, dixit : *O quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atriis tuis. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.* Et perveniens Domum, conversationemque servorum Dei considerans, magno amoris devotionisque ardore inflammatus fuit : quos humiliter rogavit, ut ipsum in suum consortium admittere dignarentur. Sed cum esset ignotus, aliquantulum distulerunt; et ad cognoscendam ejus sufficientiam, inter alias experientias ac probationes, quibus eum examinaverunt (audito quod esset verbi Dei prædicator), injunxerunt ei, ut coram Conventu aliquam collationem faceret. Qui mandato obtemperans, ita diserte, eleganter et affectuose concionatus est, ut absque ulla contradictione omnes in suam societatem illum admiserint, habitumque sanctum concesserint in Vigilia S. Benedicti, anno 1545.

Antequam agamus de virtutibus hujus servi Dei, scire oportet quod fuerit mediocris staturæ, venustæ faciei, perspicacis ingenii, eloquii dulcis ac facundi, adeo ut omnes, qui illum conveniebant, in sui amorem, reverentiam et admirationem raperet. Inter alios vero, qui magnam de illius præclaris naturæ et ingenii dotibus opinionem et æstimationem conceperant, maxime præsertim R. D. Martinus a Navarra, archiepiscopus Valentinus, summo honore beatum virum prosequebatur ; qui ut ejus frequentius frueretur colloquiis, voluit ipsum Episcopum consecrare, ut in regimine Pastorali suum haberet coadjutorem, licet res ista postea infecta remanserit.

Præstantior virtus quæ in eo emicuit, fuit amor solitudinis et cellæ custodia. Sciebat enim nostrum præcipuum In-

stitutum esse solitudini et quieti vacare, et, ut ait Isaias, in silentio et spe repositam esse fortitudinem boni Religiosi : devotio namque in solitudine acquiritur, pax animi conservatur, fervor accenditur, mens elevatur, culpa declinatur, puritas conscientiæ possidetur ; quia revera solitudo est virtutum doctrix, gloriæ æternæ revelatrix. Quapropter hic Dei famulus per multos annos a Spatiamentis se se abstinuit, neque ullum monachum conveniebat, nisi graviter infirmantem. Horis debitis dum pulsabatur signum, pergebat ad ecclesiam via recta, et finitis actibus Conventualibus, statim per eamdem viam ad cellam revertebatur, absque ulla digressione vel discursu. Et hanc exactam silentii et cellæ observantiam non solum in primis suæ Religionis annis retinuit, sed usque ad decrepitam ætatem, cum octogenarius jam esset, ad mortem usque conservavit.

Et quia parum est corpore quidem in solitudine contineri, si spiritus per sæculum discurrere permittatur, propterea ad fugiendam otiositatem, semper utiliter occupabatur, horas ac tempus, quo nihil charius, fructuose distribuens orando, legendo, meditando aut alias honestas exercitationes faciendo. Et inde fiebat, ut cella ei velut paradisus quidam videretur, cujus delitiis et consolationibus superabunde recreatus, a quibuscumque vagandi occasionibus abhorrebat.

Accidit autem ut quadam vice Illustrissimus marchio de Aytona, D. Hieronymus a Moncada, et Prorex Valentinus cum eo colloquentes dicerent : « Reverentia Vestra jam nihil terrenum appetit, quandoquidem totam suam conversationem et desiderium transtulit in Cœlum. » Quibus ille respondens ait : « Quantum sinit mea infirmitas, ita facere concupisco et totis viribus contendo, quamvis unum sit, quod consequi summopere desiderem, antequam moriar. » Cui Prorex dixit : « Reverentia Vestra declaret quid opus habeat, et ego libentissime providere faciam » (existimabat autem libros, imagines, aut simile quid ad ornamentum cellæ appetere). At ille elevatis sursum oculis statim subjunxit : « Quod ego, Domine mi, consequi desidero in hac vita, est subterraneam aliquam viam habere, per quam liceret mihi ad ecclesiam pergere, et per eamdem, cellam repetere, ut neminem videndo a nemine vicissim conspicerer. Quamvis enim, cum exeo, cum omni custodia mei ipsius et vigilantia incedam, nunquam tamen ad amicam solitudinem reversus talis invenior, qualis eram ante egressum. » Quod audiens Prorex admirans valde et ejus se commendans orationibus, discessit ; et quod audierat, narravit multis, et ita divulgatum fuit verbum illud, ut usquemodo aliqui sæculares et Religiosi huc venientes percunctentur et dicant : « Quis ille fuit Pater, qui desiderabat viam e cella sua usque ad chorum sub terram ? »

Demonstravit procul dubio hic devotus Pater, quam bene et experimentaliter agnoscebat dispendium magnum quod parant creaturæ homini contemplativo, et quantum impediat conversatio humana communicationem Divinam. Si enim nonnulli Philosophi gentiles, ad investiganda naturæ arcana, hominum consortia fugiebant ac solitudines petebant, et unus ex illis dixit, « Quoties inter homines fui, minus homo fui », quanto amplius veri contemplativi puritati internæ studentes, debent se abalienare a rebus sæcularibus et terrenis, ut attentius Divina et cœlestia scrutentur mysteria? Sic certe agebat hic devotus vir : nam die ac nocte semper orabat mentaliter aut vocaliter, animum suum semper ad superna erigens. Unde ex assidua illa rerum Divinarum cogitatione frequenter ab oculis ejus devotionis lachrymæ diffluebant.

F. Joannes Pennya narrare solebat, quod, dum esset coquinarius, post prandium diebus ferialibus ibat per claustrum ad colligendum per fenestras cellarum quod supererat Religiosis de cibis eis appositis ; et non inveniens scutellam et patinam in fenestella D. Cæsaris, timens ne infirmaretur, aliquoties intrabat cellam illius, et inveniebat eum ad mensam sedentem et flentem ubertim. Et cum interrogaret qua de causa ploraret et non manducaret, ille respondebat : « Considero, Frater mi, ingentia circa me Dei beneficia, et ingratitudinem meam magnam. Recolo enim quantis se tradit periculis maris et fluctuum pauper piscator, ut capiat hos pisciculos : captos jam quidam famulus vadit Valentiam et ad monasterium asportat ; allatos quoque servi Dei coquunt et denique coctos et præparatos, est qui usque ad mensam meam adducat, ut ego qui non laboravi eos cum pace comedam. Nonne vides quomodo isti omnes laborant pro me, et ego tot beneficiis astrictus permaneo ingratus et tepidus in Dei obsequio? O quale judicium mihi miserrimo reservatur, nisi me emendavero et melior fiam ! »

Magna etiam abstinentia excelluit, sumens cibum et potum ita modice, ut mirarentur omnes ejus parcimoniam; et tam exiguo quoque somno utebatur, ut quando coadjutor Sacristæ veniebat ad eum excitandum ad Matutinas, jam ipse deambulabat per cellam psallens et orans; et ad Primam eodem modo inveniebatur. Et dum paucas horas somno indulgebat, erat jacens super durum scamnum ligneum tam hyeme quam æstate, solis vestibus, quas nunquam exuebat, indutus et coopertus.

Cum igitur vita hujus sancti viri cunctis esset adeo mirabilis Deoque admodum grata, defuncti et vivi frequenter orationes ejus exposcebant, sperantes se eis multum posse juvari. Dum D. Sebastianus Vacas, professus hujus nostræ Domus, hospitaretur in Domo de Paulari, placuit Deo, ut anno 1588 diem clauderet extremum. Et eodem

die apparuit in hac Domo Patri D. Cæsari petens ab eo, ut pro se orare dignaretur, quia in Purgatorio detinebatur. Quidam medicus Valentinus similiter eadem hora qua expiravit, apparuit ei obsecrans, ut eum precibus suis juvaret.

Anno 1583, dum post Matutinas quiesceret modicum super scamnum solitum, subito fuit excitatus, et quamvis cella careret lumine, vidit apertissime quemdam monachum stantem in medio et nihil dicentem. Ipse vero attrectans manu scamnum et mensam prope stantem, certissime cognovit se vigilare, et non dormire. Interim vero monachus cancellavit brachia super pectus et cecidit in terram retrorsum et disparuit. Et in eodem momento dictum est illi ad cor : « Domnus Laurentius Camora mortuus est; requiescat in pace. » Et sic permansit orans usque mane. Tunc enim pro eo celebravit, et tribus Religiosis patefecit visionem hanc, rogans illos, ut pro eo preces funderent, affirmansque illum decessisse. Et post dies paucos venit nuncius ex civitate Oscensi regni Aragoniæ (ubi tunc morabatur sollicitans fundationem cujusdam novæ Domus ille V. P. Laurentius) et certiores faciens Conventuales quia eadem hora matutinali obierat.

Multas alias apparitiones a Fidelibus defunctis ei factas fuisse constat, quibus ille modis omnibus opitulari sollicitus erat; et inter alias devotiones et satisfactoria opera, quæ pro illis divinæ Majestati offerebat, recitabat quotidie septem Psalmos Pœnitentiales, frequentissimeque sacra Mysteria pro eorum salute celebrabat.

Porro cum ejus charitas ad omnes se se extenderet, non solum mortui sed etiam viventes precum ejus suffragiis maxime confortabantur. Unde Prorex Valentinus supradictus, Archiepiscopus et alii multi Proceres frequenter illi scribebant, ejus se orationibus commendantes, dum aliquod præsertim magni momenti negotium eis occurreret : multum enim, nec frustra, de tanti viri sanctitate præsumebant.

D. Joannes Justus monachus noster, qui adhuc vivit, refert quod dum esset Novitius, gravi dolore unius oculi fuit vexatus; sed quamprimum devotus Pater signum Crucis super illum impressit, orationis ejus vi discessit illico omnis dolor et gemitus.

D. Joannes Arguedo, qui licet tantum tribus annis vixerit in Ordine, consummatus in brevi explevit tempora multa, eo quod multis virtutibus fuerit exornatus, maxime præsertim continua sui ipsius mortificatione et assidua rerum cœlestium meditatione. In qua dum semel a Domino fuisset singulariter visitatus, magno Spiritus impetu raptus, vim sibi non modicam fecit, ita ut ex nimia contentione venæ disruptæ sanguinem evomeret; et ab illa die per biennium nunquam amplius convaluit, nec Conventum sequi amplius potuit.

Unde cum in Vigilia S. Bernardi cum

Patre D. Cæsare colloqueretur, rogavit eum ut die sequenti pro ipso Missam celebraret, ac Dominum exoraret, ut dignaretur illi sanitatem restituere, qua posset Conventus actibus vacare; aut si ita beneplacitum esset suæ Majestati, saltem eum educeret ex hac misera vita, ne onerosus ac molestus Fratribus suis fieret : quod ille charitate plenus spopondit. Et adveniente die sequente, celebravit Missam in capella Omnium Sanctorum magna cum devotione et lachrymis, maxime post Consecrationem, dum intra se paululum meditaretur : tunc enim dum ita staret, cœpit vultu pallescere et sudare, non secus ac si animam esset efflaturus. Novitius autem qui ei ministrabat admirans valde, accessit propius ac tenuit eum ne caderet in terram, et adduxit illum ad scamnum, super quod eum reposuit. Et quamvis eum interrogaret quid mali haberet, nihil respondebat, sed gemebat, donec parumper resumpto spiritu dixit : « Ille benedictus (scilicet D. Arguedo) rogavit me heri, ut impetrarem ei sanitatem a Domino, et volui cum Deo super hoc me astringere, et certe potius ipse Dominus astrinxit me. » Et his dictis ad altare rediit, et Sacra peregit.

Statimque ad cellam regressus (ex qua amplius non exivit), cœpit se male habere, febrisque apprehendit eum. Qua in dies excrescente, instanter rogavit dari sibi Eucharistiæ Sacramentum; et licet per cellam deambularet, ad ipsius tamen magnam instantiam sacram Synaxim ei dederunt, quam singulari devotione suscepit; et iterum petiit Sanctam Unctionem, affirmans quia nisi cito inungeretur, postea tempus deficeret. Et ita accidit : nam per dies aliquot quibus supervixit, orabat indesinenter ac sine intermissione, sciens quia modicum tempus haberet, donec dies 25 Septembris advenit, in qua, dum juxta morem preces persolveret hora Completorii, supervenit ei quidam paroxysmus, seu animi deliquium. Quod ut vidit Conversus qui cum illo erat, cucurrit velociter advocans quinque aut sex e vicinioribus monachis, quibus circa eum orantibus et commendationem animæ dicentibus, brevi spatio migravit ad Dominum, anno 1591, 25 Septembris, cum esset ætatis ultra octoginta annorum.

Quidam homo Valentinus, nomine Thomas Lenten, patiebatur frequenter quamdam infirmitatem, ex qua per urinam emittere solebat multas arenas rufas, quæ aliquando densatæ corpore incredibilem ei dolorem causabant. Una autem die ex his lapillis cum supramodum esset fatigatus, recordatus eximiæ sanctitatis D. Cæsaris jam defuncti, cœpit eum rogare, ut sui in tanto dolore constituti misereretur, et paulo post obdormivit. Sed subito vehementissimus adeo dolor excitatur, ita ut se jam moriturum putaret; sed per urinæ meatus effudit quatuor lapillos miræ magnitudinis, qui in corpore fractos fuisse in-

dicabant. Statimque perfectam adeo sanitatem recuperavit, ut deinceps amplius vel minimum doloris sensum ex hac tam molesta infirmitate habuerit.

XXVI DIE SEPTEMBRIS

MODESTUS
MONACHUS BRUNÆ

Acolytus, qui a Turcis crudeliter trucidatus in odium Christianæ Religionis, martyrii palmam adeptus est, anno 1529, circa hoc tempus.

Ex Charta Capituli generalis.

ROBERTUS SHIRLEY
CONVERSUS SHENE

Professus primo Montis Gratiæ, a qua expulsus a schismatico Rege; postquam Regina Maria Catholicos exules revocasset in Angliam, ad Domum Shene ab eadem Regina restauratam venit; ubi cum secundam emisisset professionem, ibidem fato fungitur, anno 1557, circa hoc tempus.

Ex Chronico Shene.

GUILLELMUS CHEILSOMIUS
EPISCOPUS VASIONENSIS

Nobilissima familia Scotorum Cheilsomiorum oriundus, Dumblanensis Episcopus; ob patriæ defectionem a Religione Catholica Romam se conferens, a Summo Pontifice datus est Episcopus Ecclesiæ Vasionensi. Post annos sexdecim in officio Pastorali summa cum vigilantia transactos, ad vitam anhelans tranquilliorem, ea dignitate se abdicavit cum bona Sixti V Papæ venia, qui Brevi Apostolico diei 23 Novembris anni 1585 permisit, ut in Majori Cartusia, dimisso Episcopatu, vota nuncuparet monastica. Gregorium XIII Summum Antistitem instanter antea rogaverat, ut sibi liceret Institutum Cartusiense sectari; verum id ab eo (cui perspecta erat exulis Episcopi virtus et sanctimonia) consequi minime potuerat.

Voti igitur compos factus, Christum nudum omnibus exutus commodis secutus est: paupertatem, quantum in ipso fuit, juravit, ejuravitque omnia vitæ commoda ingrediens Cartusiæ eremum asperam. In ea sub habitu Episcopali tempus probationis traduxit, expectans quid Sixtus Pontifex Maximus ei præciperet. Post aliquot menses mandavit Guillelmo Summus Sacrorum Antistes, ut iret in Scotiam, narraturus postea quid vidisset quidve audiisset circa negotia religionis Christianæ. Reversus Urbem petiit, Romanoque Pon-

tifici exposuit, quod exigua spes in illo regno Christianis affulgeret. Tum Sanctissimus Pater permisit ei, ut in Ordinem nostrum reverteretur, Guillelmo ex fratre nepote in Vasionensem Episcopum suffecto Romæque consecrato. Venere simul ambo Præsules in Cartusiam Majorem pridie Natalis Domini, ubi Reverendissimus Guillelmus cappam et Novitii vestem suscepit, ultimo Decembris anni 1585. Paulo post, anno videlicet 1586, die Epiphaniæ sacra, fecit professionem, nepote jam ad Episcopatum Vasionensem profecto, die Januarii secunda.

Interim in ipso tyrocinio emeritus miles Guillelmus ob rerum agendarum peritiam summamque prudentiam aderat R. Patri Cartusiæ Priori in iis quæ ad totius Ordinis regimen spectabant. Dum autem præclaris virtutum exemplis præfulgeret, se seque præberet omnibus specimen humilitatis, ibidem Ordines sacros conferebat ex Indulto Summi Pontificis, cujus tenor talis est:

« Venerabili Fratri Guillelmo nuper episcopo Dumblanensi, Sixtus Papa V. Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut commoditati Religiosorum monasterii seu Domus Majoris Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis prospiciamus, tibi, qui Ordinem Cartusiensem professus es ac in dicta Domo degis, ut primam clericalem tonsuram ac omnes etiam sacros et Presbyteratus Ordines monachis professis dictæ Domus, ad id tamen idoneis, etiam extra tempora a Jure statuta, conferre, altariaque et calices pro usu ecclesiæ dicti monasterii consecrare, aliaque Pontificalia ibidem exercere libere et licite valeas, authoritate Apostolica tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus, nonobstantibus Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 6 Junii, anno 1586, Pontificatus nostri anno secundo. »

Anno 1589 a Capitulo generali adjutor R. P. Hieronymi Marchant institutus, anno subsequenti Lugdunum delegatus est a R. Patre ad regimen novellæ plantationis ibidem erectæ capessendum. Mirum est quanta austeritate, paupertate spirituque devotionis pius Pontifex effulserit, virtutum Hieronymi Marchant æque ac dignitatis in Prioratu Cartusiæ Lugdunensis successor meritissimus. Integerrimo paupertatis cultu, quem sibi ad arctissimam rerum necessitatem contraxerat, divinarum sibi opum cumulum auxit. Neque enim ea paupertate tantum erat contentus, quæ, superfluis omnibus resectis, necessario dumtaxat fruitur usu, sed eam præterea paupertatis excellentiam sibi elegerat amplexandam, quæ necessario usui ipsam quoque rerum integritatem adimeret. Cellulæ supellex nihil aliud quam paupertatem prædicabat, unde arca lignea erat illi in lectum et in mensam. Admirabilis fuit ejus abstinentiæ virtus, qua omnem gulæ sensum ac

voluptatem ita sibi subjecerat, ut pane furfuraceo leguminibusque vesceretur, illud sibi Vatis vindicans, *Quia cinerem tanquam panem manducabam*.

Postquam autem duos circiter annos Lugdunensis Cartusiæ moderamen habuisset, anno 1592 Prior Cartusiæ Romanæ Ordinisque Procurator generalis creatus, relicta eximiæ sanctitatis fragrantia, ibidem decessit, anno 1593, die 26 Septembris. Clemens VIII Pontifex Maximus, qui Guillelmi probitatem et sanctimoniam probe noverat, ipsius exequiis interesse voluit, illumque in Capitulo monachorum prædicavit Beatissimum. Ejus etiam mortem statim divinitus cognovit R. P. Hieronymus Marchant, ut mox dicturi sumus in ejus Vita.

Guillelmi meminere Petræus in Bibliotheca Cartusiana, qui refert illum fuisse missum Legatum ad Jacobum Scotiæ regem, quem e sacro Fonte olim susceperat ; Theophilus Raynaudus in S. Brunone Stylita Mystico, puncto 10, § 5 ; Nicolaus Molin in sua Historia manuscripta Cartusiensi, ubi describit Breve Apostolicum quo licet Guillelmo habitum Cartusiensem induere. Diplomatis autem Pontificii talis est tenor :

« Venerabili Fratri Guillelmo nuper episcopo Dumblanensi, Sixtus Papa V. Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum nuper Dumblanensis, cui præeras regimini, ac Vasionensis, cujus administrator perpetuus Apostolica authoritate existebas, Ecclesiarum administrationes in manibus nostris sponte et libere cesseris ; Nosque cessionem ipsam duxerimus admittendam ; tuque ob melioris vitæ frugem, sicut nobis exponi fecisti, in monasterio Domus Majoris Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis professionem facere, et ibi Altissimo perpetuo famulari summopere desideres ; Nos te in tam pio proposito confovere, et alias tuis votis favorabiliter annuere volentes : te ab omni cura et vinculo episcopali, quo dictis Ecclesiis Dumblanensi et Vasionensi tenebaris, exemptum et liberum esse declaramus, et quatenus opus sit, per præsentes eximimus et liberamus : tibique ut, habitu Episcopali penitus dimisso, et regulari dicti Ordinis suscepto, dictum monasterium ingredi ac professionem per illius monachos emitti consuetam expresse emittere, atque inibi secundum ipsius Ordinis regularis Instituta degere, et ab illis Superioribus recipi et admitti libere et licite possis et valeas, Apostolica authoritate tenore præsentium indulgemus, ac tecum etiam dispensamus.

« Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non monasterii et Ordinis hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica vel quasi firmitate alia roboratis, Statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, reformatoribus et quibusve aliis personis, sub qui-

buscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis et derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis; necnon irritantibus et aliis decretis in contrarium quomodolibet etiam motu proprio et ex certa scientia similibus concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus alias in suo robore permansuris authoritate et tenore præsentis, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 23 Novembris, anno 1585, Pontificatus nostri anno primo. »

De Guillelmo fit etiam mentio in Chronico Cartusiæ Lugdunensis.

HIERONYMUS MARCHANT

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

CAPITULUM I.

PATRIA, PARENTES ET INITIA HIERONYMI.

Patria Auxicensis, Hieronymus patrem habuit re ac cognomine Mercatorem, matrem vero Joannam Morelle vitæ integritate ac omnigenis virtutibus conspicuam, quæ infantulum in Dei timore instituens, eidem cum lacte devotionem instillavit. Ita semper nostri Ordinis viris addicta fuit mulier pientissima, maxime suo filio ad primariam Cartusiam translato, ut, præ desiderio insatiabili sanctis eorum fruendi colloquiis, nulla molestia difficultateque in adeunda pedes Cartusia Abbavillæa etiam annis attrita frangeretur. Piæ menti suæ matris favens filius eam Ludovico Le Myrrhe præfati cœnobii Præfecto voluit specialius esse commendatam, quatenus ab eo, veluti viro probitate judiciique vi eximia pollente, opem et consilium ad sublevandam senectutem posceret caperetque. Morti proxima testamento scripto corpus suum in æde ejusdem monasterii tumulo jussit mandari, legatis centum circiter florenis in eleemosynam, præter ea quæ, dum in vivis esset, iisdem Patribus contulerat.

Perhonorifica ejus habetur memoria in Necrologio supra memoratæ Cartusiæ, ad Aprilis diem nonam decimam, his verbis : « Tertio decimo Kalendas Maii obiit plurimum honoranda mulier Joanna Morelle, mater R. P. Hieronymi Marchant Prioris Cartusiæ, quæ, quamdiu vixit, omnibus ac singulis hujus Cartusiæ alumnis non parvas bonorum suorum gratiositates largita est, et circa vitæ suæ finem triginta scuta nobis in eleemosynam dedit, et sepulta est in ecclesia nostra supra gradus magni altaris, anno 1594. Habuit Missam de B. Maria per totum Ordinem et Anniversarium perpetuum scribendum in Kalendario. »

Ejus etiam obitus in Martyrologio Cartusiæ Borboniensis signatur cum subsequenti elogio : « Anno 1594, die 19 Aprilis, diem extremum clausit devotissima atque admodum honoranda

vidua Joanna Morelle, mater R. P. Hieronymi Marchant, quæ, instar Evangelicæ illius Annæ, annis nonaginta et quinque jejuniis et aliis consimilibus pietatis officiis omnipotenti Deo fidelissime servivit. »

Felix sane mater tanti filii, cujus sanctitatis et ipsa particeps fuit, quam etiam quinque circiter post mensibus filius ad cœlestem gloriam secutus est, eodem anno e terris ereptus.

CAPITULUM II.

EJUS ADOLESCENTIA.

Puer in benedictionibus dulcedinis præventus a Domino cum haud surdas piis suæ matris exhortationibus præberet aures, tantopere obedientia, morum gravitate modestiaque proficiebat coram Deo et hominibus, ut ætatis tenellæ vires ac mensuram superare et se ipso major fieri videretur. Adolescens cum bona parentum venia proficiscitur Lutetiam Parisiorum Academiam totius orbis celeberrimam literis operam navaturus.

Per id temporis versabatur Parisiis studiorum gratia perillustris princeps Theutonius a Bragantia, qui post reditum in Lusitaniam ad Sedem evectus Eborensem, advocatis Instituti nostri monachis genti huic hactenus ignotis, nova Cartusia velut novo sydere patriam Ecclesiamque suam illustravit. Hic virtute non minus nobilis quam sanguine, perspiciens Hieronymi nostri progressus tum in studio doctrinæ tum pietatis, non Principi indecorum arbitratus est infimæ sortis scholasticum ex intimo sensu diligere et mutuam ab eodem exigere amicitiam.

Absoluto interim feliciter Philosophiæ cursu, literisque humanioribus rite excultus (nam scite ac eleganter scribebat Latino idiomate), a parentibus revocatus, ad suam patriam remeavit. Mirabantur omnes morum senectutem in adolescente, conservatum animi candorem in communi scelerum luto, ipsa quoque vitiorum nomina erubescentem innocentiam. Cumque illi venisset ante canos sapientia, ludum literarium aperuit Abbatisvillæ ; cum lacte Musarum miscens mel Christianæ Religionis, pueros instituebat ad Dei timorem, ad scientiam salutis erudiebat : his præludiis futurus aliquando magister spiritualis animarum.

CAPITULUM III.

HIERONYMUS FIT CARTUSIANUS.

Constat quidem ex tabulis Abbavillææ Domus Hieronymum anno Christi 1564 vota nuncupasse monastica; sed cujus tunc esset ætatis, non conveniunt Rerum nostrarum Scriptores. Quidam decimum et octavum annum, alii vigesimum nondum eum attigisse retulere : quibus suffragari videtur V. D. Joannes Chauvet, Ordinis nostri quondam Scriba meritissimus, cum dicat in observationibus ad collectas a se Capitu-

lorum generalium Ordinationes, Hieronymum fatis fuisse functum anno ætatis quadragesimo octavo. Sed probabilius cum quibusdam aliis censemus jam fuisse sacerdotio initiatum cum Cartusianis nomen suum dedit : quandoquidem post professionem emissam Procuratoris primum, deinde Vicarii officio, quod nisi ad sacerdotium promotis committitur, in Domo suæ professionis fuerit admotus. Hæc clarius patebunt ex mox dicendis.

Sacris igitur Ordinibus susceptis, cuidam parœciæ Abbavillææ per aliquod tempus cum omnium curialium approbatione inservivit. At cum multos tantæ dignitatis oblitos per latam, quæ ad inferos ducit, viam ambulare conspiceret, cautius subducere se de hoc naufrago sæculo cogitavit, per viam arctiorem intraturus in regnum Cœlorum. Ubi hanc mentem injecit illi Deus, exarsit protinus Cartusiensis Instituti desiderio. Verum ne temere suæ vocationis opus aggrederetur, prius probaturus se ipsum, tot tantisque afflictionibus corpus suum extenuavit, ut præ jejuniorum et vigiliarum assiduitate, oneribus Ordinis sufferendis impar effectus, Cartusienses petitioni suæ propitios habere pene diffideret. Confortatus tamen ab Illo qui dat lasso virtutem, id solum mente versabat, quo pacto pareret Divinæ voluntati, atque mundi laqueis expeditus curisque solutus rerum sæcularium, evolare posset in solitudinem.

Ad Septentrionem Abbatisvillæ prostat antiquum familiæ Cartusiensis asceterium, nuncupatum Sancti Honorati Domus. Mox ad hanc eremum properans, Priori mentis suæ desiderium, quo exæstuabat, aperit. Audiunt monachi juvenem arcana sui cordis explicantem ; sed conspecta tenella delicataque exsucci corporis habitudine, quæ jejuniis aliisque macerationibus haud videbatur satis idonea, judicantesque secundum ejus faciem pallore suffusam, postulatis exclusum dimittunt.

Interim patrios repetit lares, divinum adorans Numen, et contra spem sperans in eum, qui facturus erat cum tentatione proventum. Quis enim unquam speravit in eo et confusus est ? Quapropter a proposito neutiquam mentem avertens, nocte dieque ad Cartusianam professionem anhelabat tanquam ad tutissimum suæ salutis portum. Quadam die spe plenus flagrantique suæ vocationis incensus desiderio, afflante derepente Divino Spiritu, votum vovit Deo Jacob non manducaturum neque bibiturum, donec Patres habitum Religionis sibi concederent. In hoc fervoris impetu, discretionis limites excessisse Hieronymum dixisses, ni rei felix eventus id ab eo actum fuisse spiramine Divino comprobasset.

Cum autem ad Cartusiam reverteretur votivo hocce maceratus jejunio, contigit, ut præ nimia debilitate virium in via deficeret, adeo ut necessitate compulsus sub arboris umbra paulu-

lum requieverit. Quo temporis intervallo vidit in somnis tres sanctas mulieres, quarum una panem illi porrexit aromatiten. Quem cum degustasset, resumens animos, mire exhilaratus perrexit iter ad asceterium; ubi monachos cum omni reverentia salutans, post suprememoratam repulsam adeo sibi benignos expertus est, ut satis superque intellexerit hanc mutationem esse dexteræ Excelsi, cujus Spiritus, qui ubi vult spirat, corda Patrum mutaverat in alia. Nam absque ulla tergiversatione in Hieronymi receptionem communi suffragio conspirantes, indicunt ei diem optatissimam. Tanto perfusus fuit Marchantius gaudio, tantaque repletus mentis dulcedine, ut, quas debebat, Deo hujus beneficii authori gratias agens maximas, dixerit : *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Exactis primæ probationis diebus sub veste sæculari, detonso capillo, regulari tunica, sacro monachorum agmine concinente, induitur. Moxque in Novitiorum gregem annumeratus, tanto studio decurrit religiosarum virtutum palæstram, tantoque orationis amore novum vitæ genus exorditur, ut ipsius conversatio ad cœlestem potius quam ad humanam accederet. Mirabantur Patres novum Christi militem tot præclaris a Deo cumulatum donis, ejusque virtutem suspicientes, tyronis vestigiis insistere concupiscebant.

Expleto Novitiatus tempore, solenni ritu, die S. Hieronymi festo anni 1564, juravit vota Religionis eo, qui virum sanctum decebat, modo : quem admirari quidem, vix exprimere possumus. Ita quippe Dominus Deus odoratus est ejus sacrificium, ut etiam assistentium corda cœlesti rore benedictionis ac devotionis suavitate repleret, ac si aromata pretiosissima, quæ in conspectu divinæ Majestatis adoleri consueverant, odoris sui fragrantiam in eorum pectora diffudissent.

CAPITULUM IV.

ABBATISVILLÆ PROCURATOR, DEINDE VICARIUS INSTITUITUR.

Emissa professione ac votorum vinculis constrictus, existimans se jam anchoram in solido fixisse et nunquam se temporalibus irretiendum, ab hac spe sua paulo post excidit. Qui enim Paulum primum eremitam æmulari tentabat, Paulum apostolum imitari coactus est. Mox namque ut albis fuit indutus, ecclesiæ creatus est Æedituus, deinde Procurator : sicque de gradu in gradum semper altiorem conscendens, Ordini demum universo præfectus est Antesignanus generalis.

Lachrymarum torrentes emisit factus Œconomus hujus monasterii. Etenim qui nihil ambiebat, nisi sub modio contegi, extra modium fumigare supra modum refugiebat. Sed quid facis, Hieronyme? ædiculæ respuis administrationem, qui aliquando ad summam totius

Ordinis Præfecturam es evehendus? Quid claustri quæris delitias, qui variis officiorum quassationibus cribrandus es? Surge, animæquior esto : grandis enim adhuc tibi restat via.

Procuratoris ministerium ita solerter prudenterque implevit, ut interior homo nullum ex rebus externis detrimentum pateretur; semper enim hanc benignissimi Salvatoris nostri sententiam ante mentis oculos habebat : *Porro unum est necessarium.* Quibus verbis mirifice corroboratus, quamvis sollicitus esset erga plurima, minime tamen turbatus Marthæ ministerio, Mariæ partem optimam, quam elegerat, non dimisit, nec quicquam remisit de spiritualibus exercitiis, suam ut alter Bernardus circumferens ubique solitudinem. Unde cum pro comparandis ad victum necessariis ad urbem pergeret, qui videri nolebat diutius in publico, ita festinate incedebat per vicos, quemadmodum si quis eum a tergo fuisset insecutus. Frequentabat ædes cujusdam corriarii, qui habebat uxorem valde devotam; apud quem delitescens Hieronymus intentus orationi, rogabat hospitem suam, ut quæcumque necessaria essent ad usum monasterii pretio compararet, ne ipse his vacans reculis ab amicis suis detineretur.

Cum aliquando attenderet circa messores, ac multos furaces spicilegos deprehenderet, pro omni castigatione dicebat : « Deus vos intuitus est, sufficit; hoc ipsum a vobis exiget in Judicio. »

Vir simplex et rectus, transacto brevi temporis spatio in munere Procuratoris calamitosis nimirum diebus (quibus Gallia suis enervata viribus et domesticos et externos hostes comprimere nitebatur), ab officio absolutus, claustro et aliquantulæ quieti restitutus est. Nam assumptus ad Vicariatum, in partem sollicitudinis advocatur a Priore; pietatis tamen exercitiis pacatius vacandi ansam nactus, modicum siluit. Sed hæc erant præludia et quasi quædam rudimenta futuri temporis. Ut enim tempore pacis solent viri nobiles, ne ignavia marcescant, contis et clypeis stramineis inter se digladiari, quo, dum prælium ingruerit, non jam armis imaginariis, sed ferro undique circumdati cum hostibus congrediantur : ita Hieronymus hisce leviusculis velitationibus sensim ad potiora certamina parabatur nescius. In hoc tamen ejus humilitati consulebatur, quod non ex improviso, sed per gradus proficiebat sensim ad majora, ne obstupesceret. Si enim (ut aiunt Physici) sol quotidie renascens, nulla mediante aurora, in instanti oriretur super terram, subitaneo fulgore configeret oculos omnium animantium.

CAPITULUM V.

EVOCATUS AD MAJOREM CARTUSIAM FIT PROCURATOR VILLETÆ, DEINDE SCRIBA.

Dum claustralibus immersus delitiis apud Abbavillæos degeret, contigit forte quidpiam negotii, cujus causa ad R. P.

Carassum Ordinis nostri primarium Antistitem scribere compulsus est. Hieronymi literas cum Carassus aperuisset, et acri, quo pollebat, judicio, verborum pondera, sensa recondita, defæcatamque libravisset religionem, recordatus præclaræ indolis, quam Visitatoris Picardiæ munus obiens in eo licet tunc novo tantum tyrone animadverterat, coram omnibus dixit : Scriptorem epistolæ hujusmodi merito inter primarios Ordinis viros esse annumerandum. Nec mora : missis ad eum responsionibus, mandat ut ad Cartusiam venire quam primum festinet, nulla habita dilatione. Tanti Patris jussioni obtemperans Marchantius mox ut Cartusiam attigit, ibidem inter manus R. P. Carassi, juxta sæculi illius morem, secundam emisit professionem.

Sed quales gemitus pia Hieronymi mater ob abscessum filii et talis filii profuderit, silentio magis reticendum, quam verbis enucleandum. Intolerabilis forsan Patribus Cartusiæ Abbavillææ ejusmodi transmigratio : quis enim ita insensibilis est, ut sibi viscera evellenti non succenseat aut indignetur? Sed quis Deo vel Dei vicariis obluctetur? Atqui solem suum, sanctum suum et omnium alumnorum suorum præstantissimum coryphæum sibi præreptum querulantur Abbavillæi Cartusienses? Minime. Neque enim forte sanctus fuisset, nisi abscessisset, nisi tribulationibus variis in Cartusia tanquam in cupella fuisset excoctus. Sinite ergo eum inter Cartusiæ rupes splendescere, quo pertingat per totam Cartusiensium familiam sanctitatis illius fulgor pro vestro bono vestraque gloria in extero solo radiaturus.

Paucis post iterata vota diebus evolutis, cum supremus Ordinis Præses Hieronymum ad unguem tacite examinasset ejusque religiositatis fecisset periculum, illum instituit in Procuratorem Villetæ et S. Stephani de Crocey. Quo in officio Deus multis servum suum illustrare dignatus est miraculis, quæ tamen omnia humilitatis custos acerrimus nemini declarabat, ne vitæ suæ sanctimonia divinis testificata signis innotesceret.

Revertens aliquando ex civitate Lugdunensi, quo negotia Domus eum advocaverant, incidit in manus latronum; qui, ubi primum modestiam et mansuetudinem, quæ in Hieronymi vultu, ore, gestibus elucebant, conspexere, venerabundi erga illum, in alios se se mutaverunt : tumque piis ac salutaribus exhortationis ipsius verbis protinus acquiescentes, suæ imposterum saluti proposuerunt consulere. Horum unus anteactæ vitæ pertæsus ad meliorem frugem se convertens, in arrepto pœnitentiæ proposito laudabiliter usque ad obitum perseveravit. Virtus quippe bonum est ita sui diffusivum, ut suos osores in admirationem sui sæpissime trahat et imitationem.

Hujus latronis conversione mirum in modum exhilaratus dum susceptum iter persequeretur, digressus ad domum

quamdam prope Cartusiam Sylvæ benedictæ, videt lachrymantem familiam. Quæ causa doloris, sciscitatur. Cumque adstantes in luctu absorpti, fœtum emortuum se plangere respondissent, parentum gemitu permotus, abortum suis precibus ad vitam revocavit. Sicque infans sacro Baptismatis fonte initiatus, parentes suos eripuit e barathro tristitiæ.

Circa id temporis per locum quemdam incedens, ganeones nonnullos audivit inter se rixantes in popina, Deique nomen blasphemantes. Mox æstu fraternæ charitatis abreptus, cauponam ingrediens vix nebulonibus se sistit tacitum, cum scelesti ad solum illius conspectum exterriti passim diffugerunt obmutescentes. Sicuti etenim Dei servus, vi quadam sibi indita, solo aspectu bonos ad virtutem inflammabat, ita malos, qui vultus Hieronymi majestatem sustinere non poterant, quasi fulmine percutiens compellebat ad morum correctionem.

Fremebat diabolus invidens Hieronymi zelo, contabescensque animo contra illum arma parat, acuit tela, facem instruit, quam tartareo igne accensam vibret, eumque uno impetu prosternat. Quapropter perditos quosdam nefandosque juvenes suscitat malitiæ suæ ministros, qui purissimum et illibatum castitatis florem ei adimerent. Scorto igitur ad suas partes allecto multa polliciti sunt, si lenociniis ac illecebris virum Dei ad obscena pelliceret. Consentientibus partibus, impudica mulier omnimodam quærit occasionem, qua in Procuratorem remotis arbitris incurreret. Itaque cum diu stetisset in insidiis, tandem aliquando pergenti Hieronymo ad prædium S. Stephani de Crocey subjacens Villetæ, in angusto tramite occurrit meretrix, sistit equum, ad turpem copulam verbis ac gestibus illum provocat, et ad peccatum propellere conatur. At strenuus castitatis athleta, cum secus ab inhonesta muliere se non posset expedire, rem nefandam detestatus, pallio faciem obtexit, impuro erubescens spectaculo; hominibusque in virginitatis ejus perniciem conspirantibus, divinum inclamat auxilium : atque hac arte luxuriosæ mulieris consilium delusit. Abiens illa cum dedecore, impiis nebulonibus rei exitum avide expectantibus retulit se ignominiose fuisse devictam. Tartareis autem machinis hoc stratagemate debellatis, victor inde placidissime recedens gloriosum ex dæmone reportavit trophæum.

Anno 1567 (uti constat ex quodam Majoris Cartusiæ Instrumento) agebat jam Hieronymus Villetæ Procuratorem, magnaque prudentiæ signa dederat. Unde R. P. Carassus, quo facilius ejus uti opera consiliisque posset in rebus arduis, anno 1570 in locum Laurentii Chapusii Scribæ generalis Capituli suffecit pium Patrem, divina sic ordinante Sapientia, quæ illum ab æterno in summum ordinis Præfectum destinaverat.

CAPITULUM VI.

VICARIUS MAJORIS CARTUSIÆ INSTITUTUS, MITTITUR AD VISITANDAS NONNULLAS DOMOS ORDINIS.

Per sexennium Scribæ munus exercuit, uti docent antiqua hujus archimonasterii Monumenta. Anno etenim 1576 adhuc Scribam agebat. Verum anno 1577 a R. P. Carasso evectus ad Vicariatum, ipse regula Domus proponitur: idoneus et plane dignus qui poneretur custos in vineis, qui tot virtutum ornamentis circumseptus, vineam suam custodierat, excoluerat. Quam bonus ille custos, qui vigilans animo atque in orationibus pernoctans, hostium insidias explorabat sagaciter, anticipabat consilia malignantium, deprehendebat laqueos, eludebat tendiculas, dissipabat retiacula! Legebant tam monachi quam Novitii in ejus vita, quomodo conversarentur, et ipse ante illos præibat in justitia et sanctitate coram Deo. Præter instituta communia, multa faciebat, in quibus potius zelo monasticæ perfectionis antevertebat omnes, et aliorum nemo illum poterat ad tam ardua sequi. Denique quasi unus omnium parens, vivebat omnibus, omnesque in velamento alarum suarum protegebat, eos ad volandum provocans.

Incredibile est quam strenue pro stabilienda regulari disciplina laboraverit, ut in spiritu et virtute Eliæ pararet Domino plebem perfectam et converteret corda Patrum in filios. Unde zelo Domini zelatus, a Capitulo generali una cum aliis monachis selectus est, ut novam Statutorum nostrorum compilationem examinaret.

Portentum quoddam seu miraculum annunciare videor, dum enarrare gestio qualiter Vicarius noster, ruptis solitudinis repagulis, in longinquas partes cum potestate Commissarii delegatur: Vicarius, inquam, qui cæteris exemplo strictæ solitudinis esse debet, sicut et Cartusiæ Prior, qui nunquam eremi suæ terminos egreditur. Sed Hieronymus talis ac tantus erat, cujus fidei tuto committi poterant officia Scribæ, Vicarii et Visitatoris; sicut non semel ei collata sunt a R. P. Bernardo, qui alterum se ipsum in Vicario suo nactus fuerat. Anno itaque 1585, inter cæteras Ordinis Domos quas lustravit, deputatus est ad visitanda nonnulla Provinciarum Franciæ ac Picardiæ monasteria. Ex iis autem quæ pius Pater sanxit, extant adhuc in Cartusia Vallis S. Petri Constitutiones, quæ miræ ejus religiositatis spirant fragrantiam, cultum et circa res sacras reverentiam. Injungit paupertatis monasticæ observantiam, caute prohibet detractionis vitium: quæ quidem et alia R. Pater Bernardus suo suffragio comprobavit.

His perhonorifice muniis cum fuisset perfunctus, Carassus ubi perspexit suum Vicarium spiritualibus et internis addictum, ne sibi soli sed ut pluribus prodesset, circa temporalia quædam insudare et distineri eum compellebat; ut quasi Ahod ambidexter a dextris et

a sinistris armatus et instructus, Mariæ, ubi vellet, et Marthæ, ubi nollet, daret suas partes. Erat nimirum Hieronymus omnis exterioris occupationis perosus, adeoque nunquam absque nausea temporalibus vacabat. Verum Bernardus, qui intus et in cute noverat hominem, ejus opera utebatur : in cujus argumentum hæc subjicio.

Lis quædam exorta fuerat, quæstioque agitabatur coram suprema curia Delphinatus inter perillustrem D. Franciscum de Flehard episcopum Gratianopolitanum, et Domum Majoris Cartusiæ. Cumque Bernardus necesse habuisset aliquem ex suis monachis delegare, qui de veritate facti judices doceret, Vicarium deputavit, qui Senatum nomine suo salutaret, fidem daret, pondusque negotii memoriter illis explicaret et ordinem. Cum igitur in medio conspectuque illorum consisteret, tacitus oculos in cœlum levavit, quasi materiam ac veniam loquendi petiisset. Mirum! Sapientia mutorum os aperiente, ita Hieronymus diserte modesteque Senatores allocutus est, ut omnes dicerent se nunquam audivisse similem : sicque discessit litis superior.

CAPITULUM VII.

INSTITUITUR RECTOR NOVÆ DOMUS LUGDUNENSIS.

Cum, anno 1584, visum fuisset Patribus ad Ordinis nostri Comitia convocatis expedire ad commune Cartusiensis Instituti bonum, ut nova Domus Lugduni construeretur; cumque fundator nullus occurreret, unanimi Capituli generalis consensu statutum est (quod hactenus inauditum), possessiones aliquas Ordinis et dominia alienare, ex quorum pretio locus idoneus ad ædificandum asceterium comparari posset. Quod factum est statim, ac de consensu domini de Mandelot regiæ Vicepræsidis Provinciæ et cum Magistratuum licentia executioni mandatum.

Omnibus itaque serio diligenter pensatis, consideratisque locorum tum intra urbem tum extra mœnia commodis et qualitatibus, elegerunt locum de la Giroflée in clivo S. Vincentii juxta Lugduni munitiones constitutum, quem dominus Mutius Italus locique possessor Ordini vendidit tribus millibus et quingentis libris. O mutatio dexteræ Excelsi! de loco voluptatis obscenæ fit Domus orationis, ex cubili dæmonum locus Angelorum, ex aula saltatorum et tripudiantium, Sanctum sanctorum. Tunc adimpletum est quod prædixit Isaias : *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci, et via sancta vocabitur.* Cedit loco impurus Asmodæus, nec potuit sustinere fumum devotionis quem protulit de cassidili bonæ suæ conscientiæ Hieronymus noster.

Postquam igitur Visitationes peregisset, ad Cartusiam redux, statim Rector hujus novæ Domus instituitur per Chartam Capituli generalis anni 1585, cujus tenor talis est : « Novam plantationem

in civitate Lugdunensi, quam vocari volumus Domum Liliorum, cujus ecclesiam Spiritui Sancto communi consensu R. Patris et cæterorum Diffinitorum dedicari visum est, Ordini incorporamus; cujus Rectorem et Promotorem V. P. D. Hieronymum Marchant, Domus Majoris Cartusiæ professum et Vicarium, instituimus : obsecrantes et obtestantes venerandos Priores, Vicarios monialium et personas utriusque sexus, quatenus ejus incrementum juvent et promoveant ad Dei gloriam et Sanctorum honorem, nostrique Ordinis nitorem et promotionem, ac etiam omnium Fidelium tam vivorum quam defunctorum consolationem. Volumus eam annumerari inter Domos Provinciæ Gebennensis et per Visitatores ejus Provinciæ visitari : in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. »

Sic igitur inauguratus Rector hujus asceterii, ad instar Asæ Regis, purgavit universas sordes. Ubi primum illuc advenit, majorem aulam transmutavit in devotissimum sacellum ita decenter ornatum decoratumque picturis, ut quisquis hanc domum orationis ingrediebatur, statim amoris divini facibus se inflammari persentisceret. Unde factum est, ut quam plurimi vocationis Religiosæ pretiosum semen in hac basilica recipientes, postea monasticæ professionis fructum produxerint, postquam e sæculi blanditiis ad castra Cartusiensium transvolavere præliaturi prælia Domini ; quique in Ordine nostro laudabiliter conversantes, in hoc sacello se mutatos mutatione dexteræ Excelsi in alios testificati sunt.

Nec mirum : depicti quippe parietes ita irrigabantur Hieronymi lachrymis, quas pius Pater ex intimo devotionis sensu fundebat, ut pictores, quorum plerique hæretici, V. Patrem orantem sub tabulato contemplantes, in amorem simul et venerationem illius raperentur. Insuper illud observatione dignum est, quod cum præ Domus inopia non posset expensas suppeditare, cibum sibi detrahebat, vir aliunde abstinentissimus, qui præ jejunio luridis et pallentibus oris, vitam advesperascente die fructibus et leguminibus hinc inde emendicatis tolerabat.

Adolescentulus ejus obsequio mancipatus mira de virtutibus heri sui narrabat et de insigni ejus devotione, quæ quidem ex ejus memoria neutiquam excidere potuerunt. Imprimis asserebat beatum Patrem incredibili pene humilitate præcelluisse. Cum enim in magna esset apud omnes existimatione, honoris impatiens, ut humanam declinaret auram qua humilitatem suam periclitari timebat, secedebat in cellulam, flexisque ante famulum genibus rogabat, imo et jubebat, ut injuriis et conviciis domini sui superbiam perstringeret dicens : « Frater Hieronyme, tibi nimium arrogas, humanis laudibus intumescis ; hypocrita es, decipis mortales virtute fictitia, qui credunt de te quod in te non est. Memor sis Scripturæ, quæ ait :

Alia sunt judicia Dei, alia sunt hominum. Tu solus fons et origo malorum omnium, quæ vindex ira Dei ob scelera tua super terram effundit. » Hoc non verbo tenus vir vere humilis corde, sed reipsa credebat. Cum enim adversum quid vel Ordini vel extraneis accidebat, id peccatis suis adscribens, iratum Numen placare, Deique bonitatem ac misericordiam lachrymis, jejuniis cruentissimisque flagellationibus flectere satagebat et humano generi propitiam conciliare.

Præter abstinentiæ virtutem aliasque mortificationes, quibus castigabat carnem suam ne recalcitraret in spiritum, somni adeo erat parcus, ut nudas sibi ad dormiendum tabulas sternens, nocturnam quietem crebris aspirationibus ad Sanctissimam Triadem intermitteret, dicens : « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, cujus sanctissima voluntas fiat semper ubique. » Porro sæviente hyeme, prope clibanum decumbere solitus erat, orationi nihilominus vacans per intervalla, ita ut meditari potius quam requiescere videretur, memor etiam in somnis mandatorum Dei.

In his pietatis et sanctorum operum exercitiis, fundamenta jacebat novi ædificii, quod lente quidem, sed firmis assurgebat lapidibus : adeo ut primum Sacrum fuerit celebratum in sacello die S. Lucæ evangelistæ dicata, anno 1585, tota applaudente civitate. O felix nimium Eremus, cujus primordia lachrymis, obsecrationibus et laboribus tanti Rectoris stabiliuntur !

Interim mandato R. P. Bernardi Lutetiam petiit, Cartusiam Vallis viridis visitaturus, salutaturusque nomine R. Patris Henricum III Galliæ regem. Perhumaniter benignus Princeps virum sanctum excepit, suumque illi significavit affectum in Cartusienses, lubentique animo Domus Lugdunensis Fundatoris nomen admittens, illam Ordinis S. Spiritus, quem instituerat, nomine et stemmate voluit insignire. Faustis adeo nobilitatam auspiciis Cartusiam benevolus Rex redditibus locupletasset, nisi bellicis tumultibus exortis impeditus, et horrendo parricidio e vivis sublatus fuisset. Hæc namque mortalium rerum vicissitudo est, ut lætis tristia, tristibus rursum læta temperentur.

CAPITULUM VIII.

POST MORTEM R. P. BERNARDI CARASSI HIERONYMUS LIGNANUS AD SUMMAM ORDINIS PRÆFECTURAM EVEHITUR.

Per hæc tempora, anno videlicet 1586, R. P. Bernardus pene octogenarius, die 8 Septembris, rapitur ad beatam immortalitatem. Cujus funere celebrato, advocatis Confirmatoribus Fiacrio Billard, professo Cartusiæ Parisiensis, Priore Allionis, et Joanne Boete, professo Fontis B. Mariæ, Vicario monialium Melani, Visitatoribus Gebennensis Provinciæ, qui electioni præsiderent ; Cartusiæ monachorum suffragiis in defuncti locum substitutus Joannes de l'Escluse, Prior Valencennarum et Pi-

cardiæ Visitator, vir omni genere virtutum exornatus, contra Juris formam ab hac dignitate excluditur. Cum enim tenebriones quidam, omnia susque deque conturbantes, pelli suæ timerent et suæ proterviæ deformatos mores ad sanctuarii limam revocandos obradendosque metuerent, virum alium sibi in omnibus futurum (ut sibi fingebant) consentaneum, ablegato Priore legitimo, sibi præfici curarunt, ingemiscentibus bonis et in loco judicii tantam iniquitatem detestantibus.

Eligitur itaque Hieronymus Lignanus, professus Domus Mediolani, Prior Bononiensis et Tusciæ Visitator, vir magni nominis et authoritatis non infimæ ; obtentaque confirmationis sententia, Delegati, Reverendissimus Pater Guillelmus quondam Dumblanensis præsul et Jarius Scriba (pseudomonachus innominandus ob apostasiam), petunt Italiam novum Generalem requisituri. Visitabat sub ea tempestate Lignanus Cartusiam Venetiarum. Relicto igitur Visitationis opere, Bononiam rediens magno cum apparatu, armis insignibusque ejus familiæ pluribus in locis dependentibus, a civibus excipitur, salutaturque a cunctis tanquam Summus Cartusianorum Præses. Uno Legatorum ad eremum Cartusiæ remisso, ipse fixit sedem in Cartusia Bononiensi, causatus infirmitates suas, quibus se itineri in locum horroris et vastæ solitudinis imparem dicebat. Ne autem Domum Ordinis primariam absque Gubernatore reliquisse videretur, Matthiam Cortinum, Vicarium Cartusiæ Majoris, constituit Vicarium Ordinis Generalem, cui totam suam commisit authoritatem.

Anno subsequente, videlicet 1587, die 27 Aprilis, celebrata fuerunt Ordinis Comitia, quibus, absente Ministro generali, Matthias Cortinus in ipsa sede R. Patris collocatus præfuit. Aderat etiam V. Hieronymus Marchant Rector Lugdunensis inter Capituli Diffinitores. Scripsit eidem Capitulo Lignanus, sub data 1 Aprilis ejusdem, literas prolixissimas, quibus propediem se filios aditurum pollicitus, moræ in Italia reddit rationes, substituitque Matthiam, utpote in rebus Ordinis versatissimum, qui vices suas suppleret, etc.

Ibi coadunati Patres Ministri generalis præsentia orbati, illum ut se sistat suique copiam quam citius faciat Majoris Cartusiæ alumnis rogant his verbis, quæ in Charta leguntur : « Reverendo in Christo Patri nostro almæ Cartusiæ Priori et totius Ordinis generali Moderatori D. Hieronymo Lignano non fit *misericordia*. Cujus institutionem et unanimem Patrum Cartusiæ delectionem a Summo Pontifice maxime laudatam et approbatam non possumus et nos non maxime laudare et approbare, prout reipsa laudamus et approbamus : illum rogantes et obsecrantes, ut quamprimum illi per valetudinem licuerit, se suis filiis et Cartusiæ fruendum exhibeat, cujus semper

fuit indefessus propugnator, defensor et amator. »

Solutis generalibus Comitiis, Matthias Cortinus Lignano addictissimus exosam habens Majoris Cartusiæ mansionem, consilium agitat de transferenda sede R. Patris in Italiam. Cumque secreto multos vir vafer ad suas partes attraxisset, majori parte Conventus Cartusiæ stipatus accingit se ad iter ; jamque venerat usque ad cellarium Faurasii in Sabaudia, cum perillustris Gratianopolis Senatus stultum hoc et temerarium consilium dissipavit ; imminentemque Ordini scissuram avertens, Jarium Scribam accersivit tunc Gratianopoli negotia Domus agentem, eique injunxit, ut Regio nomine et Parlamenti fugientes monachos ad Cartusiam reduceret sub fiscali pœna.

Senatus decreto Jarius obtemperans pœnæ metu, Faurasio mittit viros, qui fugitivos compellant ad patrios lares remeare. Plurimi repetunt pedes monasterium ; redit etiam profugus Matthias Vicarius Generalis, qui æstu itinerisque labore fatigatus, altera die reversionis suæ decessit in Correria, die videlicet 12 Augusti, antequam relicti monasterii limina pulsasset. Sic periit turbæ tumultuantis vexillifer, qui citra mentem decretumque veterum Patrum inviolabile, Patriarchatum Ordinis apud Italos transferre collaboraverat, Deo rebus nostris patrocinante : meditatus inania, suum nomen apud posteros invidiosum reliquit.

CAPITULUM IX.

HIERONYMO LIGNANO IN ORDINEM REDACTO, HIERONYMUS MARCHANT GENERALIS RENUNCIATUR.

Mortuo igitur Matthia, Hieronymus Lignanus statim substituit in illius locum Franciscum Manuelem, spopunditque se ascensurum ad Comitia proxime futura.

Annus volvebatur millesimus quingentesimus octuagesimus octavus, cum post moras in Italia diuturniores Lignanus advenit Sabbato in Albis ad Majorem Cartusiam, magno stipatus satellitio. Deducebant etenim hunc nostrum Generalem omnes fere Nobiles et plebeii de Domo in Domum, numero ducentorum, aliquandoque trecentorum equitum ; necnon et multi Priores Italiæ Provinciarum honoris gratia iter illius comitabantur : adeo ut Prior Papiensis, vir aliunde multum religiosus, in eorum transitu duo millia scutorum expendere coactus fuerit. Feria autem tertia hebdomadæ sequentis Hieronymus habuit orationem ad Cartusiæ monachos sub themate, *Periit fuga a me;* posteaque omnes tam Priores quam claustrales Religiosi communem illi promiserunt obedientiam ; iniensque cellæ Prioris possessionem deductus a monachis, mane una cum Conventu comedit in refectorio. His peractis, exteri Priores a Cartusia recedentes, alii Lugdunum, alii Gratianopolim, alii Camberiacum petierunt, celebranda mox Comitia expectaturi.

Interea jacebat Hieronymus in lectulo languidus, adversa etenim laborabat valetudine. Adest tandem Capitulum generale. Redeunt omnes. Ascendit ad aulam Comitiorum R. Pater die Dominica post Vesperas. Ascendit et mane feria secunda ; Officiales Capituli nominat. Post meridiem, juxta morem Ordinis, petiit in publico Patrum consessu absolutionem a Prioratu, eamdemque postulantibus exauctorationem respondit. Post hanc Capituli sessionem repetens cubile, non amplius apparuit in Comitiis.

Omnem hactenus moverat lapidem ut sedem Generalis in Cartusia Papiensi stabiliret; verum Patres tunc in primaria Cartusia coadunati, quorum erat illibata Statuta conservare, tanti ponderis negotium monachis Cartusiæ remittentes, selegerunt Joannem Michel Cartusiæ Parisiensis Moderatorem, qui ostiatim scripto Conventualium consilium reciperet. Cumque, Spiritu Sancto singulorum mentes irradiante, sigillatim et quasi una manu omnes duo hæc verba scripsissent « Maneat, alias absolvatur », Joannes Michel Hieronymum lectulo affixum conveniens, quid unusquisque sentiret, significavit. Ille, accepta utriuslibet optione, nihil ambigens respondit malle exauctorari, quam in hac eremo moribundum remanere. Capitulum metuens in mora periculum, propria sua authoritate illum absolvens, in ejus locum nominavit Hieronymum Marchant ; quod ut rescivit Lignanus, dixit : « Deo gratias, virum sanctum elegerunt. »

In pristina restitutus officia, Prioris videlicet Bononiæ et Tusciæ Visitatoris, Lignanus recessit e Cartusia, quem novus Generalis, Conventu comitante, abeuntem usque ad monasterii portam deduxit, adauctum spiritualibus beneficiis Priori Cartusiæ concessis. Sic abiit venerandus senex Lignanus in sede gestatoria portatus usque ad pagum d'Epernay ; ubi longa infirmitate debilitatus, morbo recrudescente, tandem naturæ debitum persolvit, anno 1588, die 24 Maii. Cujus corpus relatum ad Cartusiam, post primas Vesperas Ascensionis tumulatum fuit in cœmeterio, ubi requiescunt Patres Generales. Nunc ad Hieronymum Marchant sermo noster redeat.

Intererat hujus anni 1588 Comitiis, cum Primores in ejus electionem communi calculo conspirarunt. Libet autem hic describere Chartæ tenorem, qui talis est :

« Reverendo in Christo Patri Priori Majoris Cartusiæ, D. Hieronymo Lignano, pro suæ infirmitatis levamine et ratione prout petiit et necessarium esse ostendit, fit *misericordia*. Cujus erga Cartusiæ Domum et universum Ordinem studium, charitatem et fidelitatem, quam tum a multis annis experientia notam omnibus fecit, cum etiam novissima acceptatione Prioratus Domus Cartusiæ notissimam reddidit. Licet enim, jam propter pios et strenuos

labores pro Ordine susceptos fractus et longa infirmitate debilitatus, hoc onus laboriosissimum merito potuisset omnino recusare ; quia tamen ab his, qui e Cartusia vel missi fuerant vel ei scripserant, instantissimis precibus rogatus et obsecratus fuit promotioni de se factæ consentire, maluit charissimos sibi filios, quos in Christo genuerat, Domumque suæ sanitati et consolationi aptissimam, quam tum in temporalibus tum in spiritualibus multum auxerat et exornaverat, relinquere et cum suæ valetudinis manifesto detrimento et periculo ad hanc Cartusiæ Domum suæ complexioni suisque infirmitatibus propter loci incommoditatem valde contrariam accedere, quam demandatam sibi obedientiam non implere : paratissimus etiam usque ad mortem istud obedientiæ onus, licet propter suas infirmitates gravissimum, sustinere, nisi Patres Ordinis ejus sanitati et consolationi consulere volentes *misericordiam* ei, quam postulabat, impendissent.

« Propterea cum multa laude gratias ei agimus pro sua hac tanta tamque exemplari obedientia, resignatione tantisque dilectionis et fidelitatis testimoniis erga hanc Majoris Cartusiæ Domum et universum Ordinem. Cui spiritualia beneficia rependere volentes, præter Monachatum et Missam de B. Maria, quam jam per totum Ordinem pro suis meritis obtinuit, concedimus ei (more Reverendorum Patrum) post ejus obitum, quem Deus felicem faciat, adhuc duplicem Monachatum per totum Ordinem. Cæterum probamus et rata et grata habemus quæcumque per eum aut per ejus Coadjutorem vel Vicarium et Scribam acta vel concessa fuerunt, ne de eorum firmitate quisquam dubitet. Volumus vero eumdem R. Patrem absolutum cum eisdem dignitatibus et officiis, quæ prius habebat, ad Domum Bononiæ reverti, et a suis dilectissimis filiis cum omnibus debitis obsequiis, honore, reverentia et amore suscipi ac foveri. Et præficimus in Priorem dictæ Domus Majoris Cartusiæ D. Hieronymum Marchant ejusdem Domus secundo professum, propterea a Prioratu Domus Lugdunensis absolutum et unanimi omnium Patrum Diffinitorum consensu electum. »

Paulo post in dispositione Domus Lugdunensis hæc leguntur: « Priori Domus S. Spiritus in Lugduno, qui ad totius Ordinis regimen unanimi omnium Diffinitorum voce, consensu et applausu tanquam a Deo vocatus est, fit *misericordia.* »

Id cum primum agnovit Hieronymus, suæ designationi, vir humilitatis et modestiæ singularis, tota, qua potuit, instantia repugnavit. Sequacem fugiens honorem quærit latebras, ut Patres ab electione modo facta revocaret. Profunda interim eremi Cartusiæ secreta versantur, intentius indagantur, ubique quæritur Reverendus Pater. Fatigataque tandem perquirentium industria, visum est electoribus anathematis ful-

men intorquere in eos, qui scirent ubi delitescebat Hieronymus, ut hoc stratagemate perterriti tandem aliquando proderent absconditum. Nec frustra : Sacrista etenim totius negotii conscius, Divinæ diutius voluntati Diffinitorumque mandatis refragari nefas existimans, detulit ad Patres Conscriptos Dei servum in armario sacristiæ absconditum esse. Proditur itaque sydus perlucidum in tenebris, humilitatis suæ fulgoribus, atque a sedulis exquisitoribus demum repertus inde abducitur, raptusque potius quam deductus ad aulam majorem, in sede Reverendorum Patrum collocatur.

Voluit tunc Hieronymus suorum defectuum publica manifestatione et lachrymarum suarum profluvio votorum impetum declinare; suamque ignorantiam et cætera hujusmodi causatus, dicebat se nullatenus idoneum esse, qui per dubias et turbulentas tum bellorum, tum hæresis per Galliam, Belgium et Germaniam sævientis tempestates, Gubernatoris munus obiret. Resistebat in quantum poterat ex insigni sui ipsius despicientia ; sed tanto magis surgebat in eo dilectio cunctorum, quanto in multitudine magna solus erat, qui se vocitaret indignum. Quapropter tandem aliquando acquiescens, cunctis Comitiorum Patribus monachisque Cartusiæ collætantibus, ore cordeque concinentibus Canticum *Te Deum laudamus,* in ecclesiam deducitur solus longa suspiria trahens, ubi gratiarum actionibus peractis, singuli reliquam diem gaudio dedicaverunt.

CAPITULUM X.

INCENDIUM CORRERIÆ.

Imposito supponens invitus humeros oneri, conceptæ de se opinioni præclare respondit Hieronymus. Nam sicut legitur in Evangelio de beata muliere, effracto alabastro unguenti pretiosi, super Domini carnem unguentum profudisse ; ita R. Pater, inita Ministri generalis Præfectura, latentes in se cœlestium munerum divitias aperuit, et de armario suaveolentium virtutum aromata sanctificationum et gratiarum suarum super omnem cœtum Cartusiensem, quasi in Christi corpus effudit : ut vere dictum sit repletas fuisse cunctas Ordinis Domos ex odore cœlestis unguenti. Verum quia Hieronymus erat Deo acceptus, necesse fuit ut variæ tentationes ipsum probarent : quod quidem ex mox dicendis patebit.

Vix decurrebat primus regiminis illius annus, cum ædificia Correriæ, moletrinæ, taneriæ et grangiæ de Chartrossel uno eodemque incendio in cinerem, nescio quo casu, redacta fuerunt. Hæc funesta clades constantiam Hieronymi reddidit illustriorem : quippe qui tantam servavit pacem animique tranquillitatem, ut in Dei laudes effusus, illum cœli terræque Dominatorem omnia suaviter disponentem adorans, imperturbatus permanserit dicens : *Si bona*

de manu Domini accepimus, mala pariter cur non recipiamus? Sicque ad Divinam voluntatem perfecte sese accommodans, cum adstantibus cecinit *Te Deum laudamus.*

Cum autem Major Cartusia sumptus ad Correriæ restaurationem necessarios suppeditare non valeret, visum est Patribus anno 1589 pro Capituli generalis celebratione convocatis, auxilium petere a cæteris monasteriis. Talem autem Ordinationem promulgaverunt : « Patres Diffinitores, attento universali incendio Correriæ Domus Cartusiæ vix triginta plus minus millibus aureorum reparabili, et gravi ære alieno, quo inpræsentiarum opprimitur afflicta Mater Ordinis Cartusia ; rogant vehementer, atque etiam si opus est, præcipiunt omnibus Visitatoribus Provinciarum et Domorum Prioribus, ut in tanta calamitate succurrant, secundum cujusque Domus et Provinciæ facultatem, supplici et egenti Matri. »

Singulæ Domus doluerunt vices Majoris Cartusiæ, sollicitæque tantam patienti cladem succurrere, manum auxiliatricem porrexerunt. Cumque filii juxta suam facultatem se beneficos erga Matrem exhibuissent, generale Capitulum anni 1591 eisdem gratias egit his verbis :

« Domus Cartusiæ grata mente recolens beneficia et subsidia eleemosynaria, quæ accepit ab universo Ordine tam ante quam post incendium Correriæ, et maxime omnium a Provinciis Italiæ, voluit, etsi quasi extreme laborans, suam vicissim in eas ostendere propensionem et maternum in suos filios affectum, voluntaria remissione universi debiti, quo illi tenetur Capitulum generale vice omnium Domorum Ordinis, quod est trium millium quingentorum quatuordecim scutorum triginta solidorum et trium denariorum ; uti etiam condonatione præmii et salarii lationis omnium literarum, quas ipsa dedit vel accepit abhinc plus minus tribus annis, prout hoc præsenti scripto utrumque donat et remittit. Hoc tamen reservato, quod hujus Capituli expensæ, quæ sunt 358 scutorum et 48 solidorum, ita dividantur, ut exclusis vel supportatis Domibus et Provinciis quæ ad extremam redactæ sunt miseriam et penuriam, per reliquas Domos et Provincias dividantur et partiantur pro ratione facultatum singularum Domorum. Quem solvendi modum a cætero servari volumus, ut non taxæ fixæ et certæ, sed mutabiles fiant pro mensura receptorum et expensorum uniuscujusque anni, ita ut tantum solvatur, quantum expensum fuisse invenietur. Taxabuntur autem a Procuratore Cartusiæ ad plus vel minus, habita ad antiquas taxas ratione, nisi accesserit nova paupertas vel facultas Domorum quæ id impediat. Mittentur demum (si in ipso Capitulo solvi non possint) quamprimum fieri poterit, ita ut infra trimestre fiat a Visitatoribus monitis per Chartam, quid unicuique Provinciæ conveniat. »

CAPITULUM XI.

HIERONYMUS SIBI DELIGIT DUOS ADJUTORES.

Ad summam Ordinis Præfecturam Hieronymus noster evectus, tanquam architectus sapiens ut ædificaret supra firmissimam petram, ad Supremum Ecclesiæ Pontificem confugit, quo fretus ipsius authoritate, malis, quæ ob bellorum tumultus et grassantes per Galliam et Germaniam hæreses serpebant, adhiberet remedium, atque ideo, impetravit a sancta Sede Apostolica Bullas quasdam et privilegia, quæ in Comitiis anno 1589 celebratis notificavit se obtinuisse. Sicque munitus ad observantiæ regularis stabilimentum Sixti V Sacrorum Antistitis patrocinio, ut securius inter calamitosissimi temporis procellas navim, cujus erat gubernator, ad portum salutis dirigeret : sibi ipsi diffidens ex sui despicientia, postquam a Patribus Conscriptis suam exauctorationem frustra cum lachrymis efflagitasset, petiit, ut sibi, tot sui Prioratus oneribus impari, saltem concederent duos viros, quorum prudentia consiliisque suffultus res Ordinis administraret.

Exauditus est a Diffinitoribus pro reverentia ; qui Religiosos ad id muneris peridoneos seligentes, per Chartam Capituli generalis supramemorati anni 1589, Hieronymi votis annuerunt his verbis :

« R. Patri Priori Cartusiæ non fit *misericordia*. Quem rogamus et obsecramus in Domino, ut totis animis et viribus suis suscipiat et teneat in se onus a Deo cœlitus impositum, plene confisus, quod qui dedit onus dabit etiam vires portandi illud. Rogamus etiam Reverentiam suam, ut habeat rationem vitæ et incolumitatis suæ, et pro honore Dei et Ordinis salute et incolumitate indulgeat sibi aliquantulum in arduis Ordinis observantiis, ut sunt frequentia divini Officii feriatis diebus, Matutinæ, jejunia et abstinentiæ, quibus adjungitur ne bibat aquam. Cui prædicta omnia prohibemus, et prohibenda jure censemus ; in quibus, sicut nec in aliis quæ ad rationem sanitatis et corporis sui valetudinem spectant, nullatenus sibi dispensandum putet absque Vicarii aut majoris partis Conventus consensu. Imo vero ad illas non teneri per rationes et causas in Statutis contentas declaramus, ne, dum vult bona minora facere, amittat majora.

« Et quia impossibile est ipsum unum omnia obire officia, et solum tantos ferre labores, quantos nemo adhuc a Reverendis Patribus Cartusiæ aggredi et subire tentavit, adjungat sibi pro sua prudentia eos adjutores et personas Ordinis, quæ possunt illum levare aliqua portione tanti laboris. Cui injunctioni jamjam obediens sibi delegit adjutores R. Guillelmum Episcopum, Cartusiæ professum, et D. Joannem de l'Escluse, alias Priorem Domus Valencennarum et Visitatorem Provinciæ Picardiæ, virum de Ordine et Provincia et dicta

Domo benemeritum, et quotquot alios sibi viderit expedire. »

Idem actum fuerat superioribus annis, cum Petrus Sarde Cœnobiarcha Cartusiæ Majoris gravissima laborans infirmitate, suffragantibus hujus eremi monachis, assumpsit in coadjutorem sui Prioratus V. P. Bernardum Carasse Montis Dei Moderatorem: quam quidem electionem Capitulum generale anni 1566 approbavit, ratificavit et confirmavit. Sic igitur iteratis supplicationibus Hieronymique singultibus provocati Patres Ordinis, non ei absolutionem ab officio indulsere, sed geminos assessores viros gnaros ac pios suffecerunt, quatenus partitum in alios onus ferret levius.

Erat Guillelmus non solum splendore natalium, sed etiam morum probitate multum spectabilis, qui, dimissis infulis, concesserat in Cartusiæ solitudinem; cujus Vitam cum mox descripserimus, res ejus gestas hic iterum recensere supervacaneum est.

Alter, quem sibi adjutorem adscivit Hieronymus, fuit Joannes de l'Escluse, Valencennarum Prior ac Picardiæ Visitator, in Ordine nominatissimus, ipsi R. Patri amicissimus et jam pridem devinctus. In cujus laudibus enarrandis hic non immoror, cum id superius jam præstiterimus. Unum solummodo revocabimus in memoriam, quod videlicet post mortem R. P. Carassi, præfatus Joannes in Ordinis totius Superiorem Canonicis monachorum Cartusiæ suffragiis nominatus, callidis quorumdam factiosorum artibus, ut supra diximus, rejectus est, Lignano in ejus locum tumultuaria nominatione supposito.

Contra hos seditiosos, imprimis autem contra iniquæ hujus electionis Confirmatores Hieronymus noster accensit zelum, luculenteque testatus est timiditatem suam in Ordinis administratione non ex pusillanimitate, sed ex innata animi humilitate procedere. Cum enim nihil præter Dei gloriam et observantiam Statutorum intenderet, personarum minime acceptor, parum curabat si primarios, dum in eis reperiebat pravitatem, perstringeret. In his anni 1589 Comitiis exauctoravit hujus electionis perversæ Confirmatores, utpote fautores scandali, Visitatorem videlicet Provinciæ Gebennensis, contra quem gravem his verbis sententiam pronunciari voluit per Chartam Capituli generalis :

« Vicario monialium Melani fit *misericordia*. Et quia post suum collegam in electione plurimum venerandi P. Lignani multos gravesque errores admisit contra justitiam, contra sacrum Concilium Tridentinum et Statuta Ordinis; et quia inter cætera privavit quosdam jure suo, declaramus eos injuste spoliatos et habere jus suffragii in electione R. Patris. Qui eligat sibi Domum ad formam Statuti. »

Vocabatur ille Joannes Boete, præfueratque Domibus Vallis S. Hugonis, Allionis, et Pomerii, ubi decessit hospes. Cujus obitus signatur in Charta anni 1601.

Eodem tempore idem subiit Fiacrius Billard, ut videre est in Charta Capituli generalis, cujus talis est tenor :

« Etsi Capitulum generale summopere compatitur et condolet D. Fiacrio Billard Priori Domus Ligeti, propter multa ab hostibus Fidei et illata verbera et suspensiones et immersionem multosque et varios dolores inflictos et injurias, tamen ex his quæ deliquit in electione plurimum venerandi P. D. Hieronymi Lignani, longe majora mala orta sunt, quam quæ ipse perpessus est : visum est Capitulo generali, tametsi id ægre parturienti, ut absolvatur, non tam propter unius ipsius culpas, quam propter exemplum cæterorum, ut posthac in tali tantoque negotio majorem et fidelitatem et diligentiam adhibeant : quare fit ei *misericordia.* »

Hic, anno 1587, e Prioratu Allionis translatus fuerat ad Ligeti regimen, cum, anno 1589, videret commissam sibi Cartusiam ab Hæreticis oppugnari, scelestis prædonibus cuncta diripientibus, ab iis quoque interceptus pro Religione Christiana et simplicitate religiosa, die 29 Aprilis. Ipse enim veritus homicidii reatum aliasque conscientiæ labes incurrere, si adversus Calvinistas sclopetorum globulos domestici Cartusiæ vibrarent, maluit occidi, quam occidere peccatores in ipso flagranti delicto morituros et de salute periclitaturos, quam pro temporalibus conservandis vitam ipse suam conservare. Jam e vivis excesserat, cum generale Capitulum celebratum est ; jamque hoc supplicio ab Hæreticis irrogato, ut par est sperare, Fiacrius expiaverat delictum, lavans stolam suam in Sanguine Agni.

Nec inultos reliquit Hieronymus immodicos sumptus, quos anno præcedenti fecerant Priores Lombardiæ propinquioris et Tusciæ, qui Cartusianæ simplicitatis et paupertatis immemores, Hieronymum Lignanum ad Ordinis Comitia pergentem tanto cum apparatu exceperunt in Domos suas. Quapropter pro effusis et dissipatis bonis hanc in eos Capitulum præfati anni 1589 Ordinationem pronunciavit : « Et Priores Lombardiæ propinquioris et Tusciæ, qui tam curiose et sæculari atque prodigo, ne dicamus profano sumptu exceperunt plurimum venerandum D. Lignanum in suis grangiis et Domibus cum multorum scandalo et injuria Ordinis, sint extra sedem suam in ecclesia per mensem, quo durante, Domo non absentent, frequententque ecclesiam more solito. Procuratores vero puniantur trina comestione ad terram in refectorio. »

Ne autem imposterum Priorum electores in Spiritum Sanctum peccarent, utque servatis servandis Pastorem et non mercenarium monachi sibi præficerent, in Comitiis anni supra memorati tale Decretum promulgatum est : « Quia nuper accidit plurimum erratum fuisse in quadam electione, ne posthac per ignorantiam errari contingat, præcipit Capitulum generale, antequam Vicarius

proponat quæ ab eodem proponenda esse Statutum decernit, eumdem Vicarium legere debere toti Conventui monachorum Caput 6 Sessionis 25 sacri Concilii Tridentini, et totum Capitulum de electione Prioris in Statutis nostris. »

Multa alia in hujus anni Comitiis ordinata fuerunt, de quibus nonnulla alibi delibabimus.

CAPITULUM XII.

PROMULGAT DECRETUM DE LICENTIA SCRIBENDI AD R. PATREM ET AD CAPITULUM GENERALE.

Non mirum si inimicus homo, qui a tot annis agrum Ecclesiæ devastarat, ubi seminaverat zizania inter triticum, totis viribus etiam adniteretur effundere virus hæreticæ pravitatis super Cartusiensem familiam. Excisæ quidem fuerant ab Acatholicis multæ Ordinis nostri Domus, multi etiam Nostrum in orthodoxæ Fidei odium trucidati fuerant; verum hæc omnia mala nobis in bonum cooperabantur. Longe majores intulisset clades serpens hæresis, ni Pastorum obstitisset vigilantia. Præcelluere Cartusiæ Majoris Præfecti, qui speculatores facti Dominici gregis, lupum venientem statim eliminabant ex ovili. Multum debet Cartusianorum cœtus studio et sollicitudinibus hujus Archimonasterii Cœnobiarchis, qui lilium inter spinas in diebus calamitosis conservarunt. Quod autem in pristinum splendorem post dies nubilos fuerit restitutus, id totum Hieronymi precibus, curis adscribendum est.

Igitur præter illas ordinationes quæ emanaverunt e Capitulo generali anni 1589, vir Dei fretus demandata sibi a Comitiis generalibus authoritate, quo grande malum ex dierum malitia exortum funditus tolleret, Ordinis nostri Superiores aggreditur : probe sciens totam ab ipsis observantiæ regularis œconomiam pendere. Grassante per Europæ partes hæresi, cum nonnulli filii Belial obedientiæ jugum excutere conati fuissent, coadunati in Comitiis nostris Patres ad comprimendam rebellium contumaciam multum adauxerant potestatem Priorum ; qui cum, inescati dominatione, jam cum austeritate imperarent suaque authoritate abuterentur, post aliquas in ipsos factas a Capitulis generalibus ordinationes, Hieronymus tale Decretum promulgavit :

« F. Hieronymus, humilis Prior Domus Cartusiæ ac totius Cartusiensis Ordinis generalis Minister, universis ac singulis Visitatoribus, Prioribus, Vicariis, Officialibus, monachis, Conversis cæterisque personis Ordinis nostri salutem in Domino sempiternam.

« Libertati scribendi Capitulo nostro generali aut Priori Cartusiæ, quæ urgent, decent, vel expediunt (qua tanquam firma base et solido fundamento regularis disciplinæ fabrica sustentatur) consulere volentes, licet ea satis asseratur Nova Collectione Statutorum nostrorum, numeris 57, 58, 59, cap. 22, II P.,

et Ordinatione Capituli generalis anni 1587, quæ incipit : Si quis Prior vel Officialis et cæteri eidem inhærentes, etc. :

« Primo, abrogamus quascumque licentias quibuscumque concessas aperiendi nostras sive Capituli generalis literas gratiam vel justitiam continentes, cuicumque Ordinis personæ directas sive a quacumque ad Nos vel ad Capitulum generale transmissas; earum usum omnino prohibentes, ac decernentes, ut, qui in futurum dictas literas scienter aperuerint, impedierint quacumque via et modo per se vel per interpositas personas, aut etiam illas notabiliter retardaverint, non possint, juxta Statutorum nostrorum ordinationem, a tanto reatu absolvi (excepto mortis articulo) sine nostra speciali licentia aut Capituli generalis. Et insuper si hujusmodi Officiales fuerint, quod ipso facto suspensionem a suis Obedientiis incurrant : graviori nihilominus pœna puniendi per Nos aut Capitulum generale vel Visitatores in actu Visitationis, si casus exegerit. Si vero privatæ personæ existant, subjaceant pœnæ carceris. Apertionem vero vocamus primi sigilli violationem scienter factam.

« Item volumus, pro prædicta libertate perfectius asserenda, ut Religiosi dare possint suas literas publice vel secreto suo Priori aut (si pacis turbatio timeatur) Vicario Domus dirigendas, exhibito involucro si judicaverint expedire, sua præscriptione muniendas; qui parati sint Nobis reddere rationem de commissis sibi datis literis, quoties ab eis exigetur : neutrius vero sit inquirere quis scribat, aut quid scribatur indicare.

« Deinde pro cura et pastorali sollicitudine conscientiis scribentium consulere volentes, eos omnes et singulos gravissime monemus, ut cautissime scribant, et ea tantum (si hujuscemodi sint quæ accusationem vel denunciationem (quo nomine plurimi abutuntur) contineant adversus aliquem vel aliquos) quæ juridice probari possunt per legitimos testes in judicio producendos, aut quæ gravi suspicione laborant apud probos et graves viros eosque plures, sub pœna absolutionis a suis Obedientiis quoad Officiales, et inhabilitatis in perpetuum ad illas vel similes, et carceris quoad privatas personas, quem certo certius sciant se subituras, si in horum probatione defecerint.

« Ut autem honorem Ordinis nostri servantes, famæ personarum ejus paterne consulamus, et tollamus occasionem denunciandi et infamandi quærentibus occasionem, nolumus, quantum fieri potest, quod denunciandi et accusandi nominentur in particulari, sed tantum ex quibusdam circumstantiis describantur. Curent etiam quam diligentissime scribentes, ut fidelissime mittantur scripta suæ denunciationis vel accusationis continentia, ne incidant in manus extraneorum, et honor Ordinis vel personarum ejus inde periclitetur. Quod si probabiliter timeatur, satius

esse judicamus scribere Visitatoribus, ut veniant, vel Priori Cartusiæ aut Capitulo generali, ut mittantur pro sumenda informatione super quibusdam gravibus causis, quæ dilationem non patiuntur.

« Præterea illos minime latere volumus non esse audiendos in quacumque accusatione vel denunciatione, nisi prius modum et ordinem fraternæ correctionis servaverint, ubi proficere speratur, (de qua nobis constare debebit) juxta doctrinam Evangelicam, nisi crimina fuerint manifesta, notoria aut publica. Quod proxime consequitur : ut ante ipsos Visitatores omnium admoneant, quæ provisione, denunciatione, accusatione, reprehensione contemptæ vel neglectæ regularis observantiæ digna judicaverint. Quæ si non succedant, reliquum est, ut de his omnibus Prior Cartusiæ informetur; cujus provisio si non profecerit, postremum est, ut ad Capituli generalis judicium res deferatur.

« Sic autem responsa aut provisa a Priore Cartusiæ vel Capitulo generali non reiterentur amplius vel rescribantur, neque etiam legitime purgata vel justificata in Visitationibus denuo objiciantur, nisi ea occultata prius veritas prodiderit clarioribus testimoniis, vel qui proponunt, convicerint de injustitia præcedentes judices : de quibus interim bene præsumendum est. Sed neque ferendam esse sententiam quidem privationis contra quemquam declaramus, nisi servata forma Juris, audita scilicet utraque parte et testibus idoneis productis ad conveniendum accusatorem vel accusatum.

« Modus autem scribendi nihil passionis præ se ferat, nihil odii, nihil malitiæ, nihil amaritudinis, nihil iræ, nihil inhonesti in verbis, sed ratione nitatur et zelo honoris Dei decorisque Ordinis et salutis animarum; qui ut gratus existat, sit etiam secundum justitiam. Tum demum sermo sive stylus non sit affectatus, cum veritas ornatum non requirat, ne qui scribunt judicentur persuasibilibus humanæ scientiæ verbis magis quam ratione niti; sed simplex, et insuper paucis et necessariis verbis complexus, ac per articulos invicem congruenti spatio separatos distinctus ad formam Statutorum nostrorum. Quod et in omnibus aliis scriptis observetur, ut sic faciliter responsum quod optant, obtinere valeant; alias responsum non expectent. Debebunt autem scribentes suis literis manu propria subscribere, nisi velint in criminosis causis et declarationibus criminosorum recenseri, haberi et judicari, eorumque pœnis subjacere, et insuper sententiæ majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ ligari, a qua non possint absolvi (excepto mortis articulo) nisi per Priorem Cartusiæ, aut per Capitulum generale, vel alterum ex Visitatoribus aut deputatis ab eis juxta tenorem eorumdem Statutorum nostrorum.

« Ne quis ignorantiæ prætextu in præ-

scriptis velamen excusationis opponat, statuimus et ordinamus, ut præsentes Literæ nostræ patentes quotannis bis in anno legantur in colloquio claustri vel Capitulo tam monachorum quam Conversorum diebus quibus Charta Visitationis legi solet.

« In quorum fidem et testimonium præsentibus manu nostra et Scribæ nostri subscriptis sigillum Ordinis apponi jussimus. Cartusiæ, 16 Octobris, anno 1589.

« F. Hieronymus Prior Cartusiæ. »

Postquam sapientissimus Cartusiensium Moderator his et aliis decretis regimen suum auspicatus fuisset, quo totum corpus magis ac magis convalesceret, non solum caput sed et membra curare fuit sollicitus. Utque juxta uniuscujusque morbum conveniens remedium apponeret, languidosque distingueret a sanis, anno 1590, jussit a Prioribus suggeri notitiam de commissis sibi personis. Non pigebit hic subjicere hanc Capituli Ordinationem :

« Ut in omnibus providere et de omnibus disponere in Domino prudentius ac melius possit Reverendus Pater, statuimus et ordinamus, ut singuli Priores singulis annis Visitatoribus, et Visitatores eidem R. Patri ante Quadragesimam mittant Catalogum continentem singularum personarum Ordinis professarum et Novitiarum in suis Domibus commorantium nomen, cognomen, patriam, ætatem, tempus in Ordine exactum, complexionem naturalem, vires corporis, dotes animi et qualitates, videlicet ingenium, doctrinam, zelum, experientiam, et ad quæ officia quisque aptus esse possit, et quæ exercuerit, et propter quæ inde remotus esse debet; sed ante omnia, cujus studii, qualitatis et conditionis et vitæ, dum in sæculo viveret. Quibus addi præterea volumus, quot monachorum alendorum Domus ipsæ capaces, et quot eorum cellæ salvæ, quotque desertæ sive destructæ. Quæ omnia singuli Priores et Visitatores, re prius diligenter Deo commendata per orationes et Sacrificia et mature considerata, semoto omni privato affectu, amore vel odio, sincere et breviter debebunt perstringere et, ut dictum est, mittere. »

Anno 1591, hoc Decretum fuit per Comitia confirmatum, cujus praxis successu temporum fuit abrogata. Diversimode plerique hanc Ordinationem interpretati sunt. Quidam crediderunt illam ab Arnoldo Havensio, ex Religioso Societatis Jesu Cartusiano, fuisse fabricatam. Hic anno 1590 agens Procuratorem Cartusiæ Lovaniensis concionem habuerat ad Priores in Majori Cartusia coadunatos, huncque, ut aiebant nonnulli, ritum suggesserat Diffinitoribus. Alios etiam ex præfata Societate depromptos per Belgii Cartusias induxerat ; verum cum essent Instituto nostro parum conformes, non diu viguerunt apud nos, qui Patrum Legibus adhærentes non debemus circum-

ferri vento novitatum. Habent etenim singuli cœtus Religiosi genium suum, habent suas leges quibus ab invicem distinguuntur, deficiuntque paulatim peregrinarum a se consuetudinum permistione.

Alii recte judicantes supra memoratam Ordinationem perutilem, et prudenter promulgatam fuisse ab Hieronymo nostro existimaverunt. Volebat quippe bonus ovium Pastor penitissime noscere vultum sui pecoris, quo de singulis juxta uniuscujusque captum et facultatem ordinaret. Hoc etenim Decreto de grege suo edoctus, ad Ordinis munia viros admovit morum probitate et sanctimonia celebres ; de quorum prudentia et in rebus agendis peritia factus certior, summus noster Præses nonnullos ex Hispaniis in Germaniam, ex Galliis in Italiam et exteras regiones delegavit ad stabiliendam disciplinæ regularis observantiam.

CAPITULUM XIII.

HIERONYMO VOLENTI PRÆFECTURAM ABDICARE DANTUR NOVI COADJUTORES.

Inter hæc laudatissima suæ administrationis præludia, ne quid inanis gloriæ captaret, vir humilis corde sibi consulens, anno 1590, coram coadunatis in publico conventu Prioribus instanter quidem, sed frustra petiit a Præfecturæ sarcina exonerari. Coactus igitur in officio perseverare, non sine dolore vidit se statim orbandum ambobus fidissimis suis coadjutoribus : hos enim operarios misit in vinea Domini laboraturos. Unde duos alios qui vices illorum supplerent, postulavit.

Hoc negotium legitur in Charta Capituli generalis anni 1590 præfati, per quam Joannes de l'Escluse redit in patriam suam. Valencennenses etenim Cartusiani diutius orbari dilectissimo Joanne non valentes, tam enixe per literas Patrem suum sibi restitui petierunt, ut eorum precibus annuerit Capitulum anni supra memorati, verbis plane consolatoriis : « Rectori Domus Valencennarum fit *misericordia;* et venerandum P. D. Joannem de l'Escluse altero anno vocatum a R. Patre in unum ex suis coadjutoribus et consiliariis, ad maximam instantiam filiorum suorum dictæ Domus de sua absentia periclitantis ac ruinam quasi in utroque statu minantis, restituimus utrique officio suo, tam Prioris dictæ Domus Valencennarum quam Visitatoris Provinciæ. »

Eodem etiam tempore R. P. D. Guillelmus Episcopus, Hieronymi coadjutor, Cartusiæ Lugdunensis Moderator nominatus est per eamdem Chartam, cujus tenor talis est : « Priori Domus Lugdunensis fit *misericordia ;* et præficimus in Priorem dictæ Domus R. P. D. Guillelmum Cheisolmium professum Cartusiæ, ut maximis se dignitatibus et honoribus propter amorem solitudinis observantiæque regularis alias privantem, ita nunc minima offi-

cia pro Dei reverentia et Ordinis obedientia non recusantem, sicque imitantem Dominum nostrum Jesum Christum *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* »

Suis R. P. Hieronymus adjuvis destitutus duos alios assumpsit, quorum consiliis Cartusiensem familiam gubernaret. Cumque per id temporis optime audirent apud homines sensatos Joannes Michel Cartusiæ Parisiensis et Damianus Festinus Padulæ Priores, hos accivit per Chartam Capituli generalis prædicti anni 1590, ubi hæc leguntur : « Priori Domus Parisiensis non fit *misericordia*. Quem nominat et plurimum rogat R. Pater, ut pro communi bono Ordinis ejusdemque R. Patris levamine accedat ad Cartusiam infra annum, quando Deus sua bonitate et misericordia pacatiora dederit tempora, ita ante disposita sua Domo tam in temporalibus quam in spiritualibus, ut ibidem per trimestre morari possit auditurus et audiendus super iis, quæ ad reformationem tam suæ Domus et Provinciæ quam totius Ordinis conducere judicabuntur, quod facere vix datur sub Capitulo generali. »

Idem injungitur Damiano Festino iisdem fere verbis : « Priori Domus Padulæ non fit *misericordia*. Quem nominat et plurimum rogat R. Pater, ut pro communi bono Ordinis ejusdemque R. Patris levamine accedat ad Cartusiam infra annum, si sua id fert sanitas et venerandum senium, ita tamen disposita... etc. »

Interim cum intestinum bellum per Gallias arderet sub larva religionis, iterque a militibus intercluderetur ad Majorem Cartusiam, nequaquam potuit Joannes Michel committere se viæ ; imo nec digredi volebat, Parisiis longe gravioribus, ut opinabatur, occupatus negotiis, quippe qui stabat a partibus Fœderatorum. Damianus, vir non minus virtute quam canitie spectabilis, domi etiam suis detinebatur infirmitatibus. Verum, Deo sic ordinante, diu desiderati fuerunt ambo coadjutores, ut eorum absentia magis Hieronymi industria in rebus agendis innotesceret. Quamvis enim his careret consiliariis, ipse Spiritu ex alto superveniente corroboratus, misit manum suam ad fortia, dum hæreditates nostras in Germania versas ad alienos curavit Ordini vindicare, atque ideo Franciscum de Quintana Priorem de Paulari et Guillelmum Triphæum Buxiæ Priorem delegavit, qui pro restitutione Cartusiarum Seiz, Gyrio et Pletriach a Patribus Societatis Jesu occupatarum laborarent. Ambos tali Instrumento munitos misit, cujus sic tenor est :

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Amen. F. Hieronymus, Prior Majoris Cartusiæ ac totius Ordinis Cartusiensis generalis Minister, venerabilibus in Christo Patribus D. Francisco de Quintana regiæ Domus Cartusiæ de Paulari professo et nuper Priori, nec-

non D. Guillelmo Triphæo Priori Domus Cartusiæ Buxiæ, salutem in Domino sempiternam, et per obedientiæ meritum gratiæ et gloriæ sublimiorem gradum promereri.

« Justus dolor, quem concepimus et parturimus usque adhuc de subtracta in celebribus Provinciis Alemaniæ sua primaria Cartusiæ Domo S. Joannis Baptistæ in Seiz, nec non illa in Geyrach et si quæ sunt aliæ, Nos coegit ad tentanda omnia remedia, quibus possimus illas ad nos reducere, suoque capiti, quod est Cartusia, reunire : quæ velut altera Rachel plorat sic sibi subtractas filias, nolens consolari, donec eas quasi postliminio acceperit. Cujus vocem et ploratum audiens regia Catholica Majestas, uti erga omnes, maxime erga Religiosas personas summe pia, eam consolari spe meliori dignata est, promittens se effecturam cum sacra Cæsarea Majestate et Serenissimo Archiduce Carolo, ut prædictæ Domus suæ naturali, unde excisæ fuerant, reinserantur olivæ. In cujus tam gratuitæ promissionis effectum, cum eidem placuerit vos præfatum D. Franciscum de Quintana eligere, nominare et mittere, ut sui interventu Legati sive Oratoris apud sacram Cæsaream Majestatem de prædictarum Domorum restitutione ageretis, nostri fuit officii hunc Regis nuncium tanquam Angelum Dei gratissime suscipere et vos veluti nostrum et Ordinis filium paterne amplecti, Ordinisque præterea Commissarium instituere, nominare necessariaque authoritate munire, et insuper collegam vobis adjungere V. P. D. Guillelmum Triphæum Priorem Buxiæ, de Ordine benemeritum, deque prædictis apprime instructum et doctum.

« Unde post summas easque humillimas Deo redditas gratiarum actiones, quod in nostri juris defensionem atque commendationem cor Regis Catholici inclinaverit, postque ei oblatas instantissimas preces, ut idem operari velit in corde sacræ Cæsareæ Majestatis Serenissimorumque Principum Archiducum DD. Caroli et Ernesti ac Ferdinandi suorumque Consiliariorum et Magistratuum, tenore præsentium vos præfatos VV. PP. Fratres nostros D. Franciscum de Quintana et D. Guillelmum Triphæum mittimus ad sacram Cæsaream Majestatem dictosque Serenissimos Principes et Magistratus, eis imprimis demississime supplicaturos nomine summæ nostræ Domus et totius Ordinis, quatenus dignentur hujus nostræ Religionis quasi alterius Rachelis lachrymas et ploratus attendere, misereri et exaudire : plorantis, inquam, plures filias quasi de sinu sibi ereptas, Seizensem videlicet Cartusiam et Gyriacensem, alienis vero qui in ea non laboraverunt, cum divini cultus præjudicio ac voluntatis piissimorum Principum Fundatorum injuria, traditas ; plorantis præterea ac timentis simile quid fieri tam in Austriæ quam in Moraviæ Cartusiis, et ideo per vos implo-

rantis præsentissimum auxilium benignissimorumque favorem S. C. Majestatis ac eorumdem Serenissimorum Principum suorumque Magistratuum ad recuperanda nostra sic ablata monasteria, et alia nobis conservanda.

« Vos secundo mittimus, ut quo supra nomine eidem S. C. Majestati et eisdem aliisque omnibus Principibus et Magistratibus humillime supplicetis, ut in iisdem monasteriis sic restitutis vel conservatis idem Ordo noster eam jurisdictionem habeat et exerceat quam in reliquis totius Ordinis habet et exercet, tam in instituendis quam in removendis Prioribus, dum res exigit, monachisque disponendis, excessibusque puniendis; qua una concessione ut omnis regularis disciplinæ rigor restauratur, ita negatione destruitur, veluti quotidiana probatur experientia.

« Postremo vos ad eumdem Invictissimum Cæsarem Serenissimosque Principes ac sapientissimos illorum Magistratus dirigimus, quo demississime declaretis solenniterque profiteamini ex parte item nostra et Ordinis, nihil nobis esse optatius foreque commendatius, quam ut ad formam sacri Concilii Tridentini in recuperatis conservatisque monasteriis regularis disciplina instauretur vel perseveret, et omnes Nostri ad præscriptum Regulæ et Statuti, quam professi sunt Vitam instituant et componant; et quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, castitatis, stabilitatis et morum conversionis pertinent, et alia quæ ad communem vitam, victum et vestitum conservanda faciunt, fideliter observent. Utque horum transgressores sive contemptores severe puniantur, et ii maxime qui sua scandalosa vita oculos et animos S. C. Majestatis et Serenissimorum Principum et Magistratuum offenderunt; carceribusque detrudantur, et extra Provinciam expellantur, atque illorum loco meliores et religiosiores ex Provinciis Alemaniæ Inferioris et Rheni, si opus sit, suscipiantur et subrogentur.

« Et ut tandem exoretis post, protestationem solenneque juramentum (si opus sit), me nullius personæ aut Domus aut Provinciæ donum vel datum, sed fructum quærere, imo hactenus me ab illis omnibus per Dei gratiam immunem servasse, servaturumque esse, ut omnem occasionem amputem quærentibus occasionem: exoretis, inquam, ut in his mearum precum primitiis, meique regiminis initiis ac prima Commissariorum missione, qui estis vos, hanc fidem mihi vobisque tribuere dignetur, nulla me alia ratione ad hoc moveri, quam zelo honoris Dei et animarum mihi commissarum, de quibus strictissima in illa die a me ratio exigetur, salutis et reformationis Provinciæ olim in observantia regulari florentissimæ, et inducendæ inter Fratres meos mutuæ pacis et charitatis, quæ his annis præteritis ab eis exulasse visa est, unius maxime vitio, quem serio

secretoque monitum a nobis et correptum alioque translatum publicari prohibemus; alias vero induratum et contumacem S. C. Majestati Serenissimisque Principibus et sapientissimis Magistratibus evulgari a vobis necessarium ducimus, ut cognitus minus noceat, imo ut fugiatur et reprimatur, favorque justus ad illum alio transferendum imploretur et impetretur, de quo plenius in aliis nostris patentibus Literis.

« Ad quæ omnia proponenda et supplicanda, exoranda, providenda, disponenda, punienda, promittenda, protestanda et exequenda, sive alia quæcumque ex eis dependentia, quantum vero merita exigent, plenariam nostram et Capituli nostri generalis, qua super annum fungimur, authoritatem et potestatem concedimus atque impertimur vobis duobus, sive alteri vestrum, sive pluribus sociis ejusdem vel alterius Provinciæ in casibus justæ necessitatis, utilitatis, commoditatis, infirmitatis. Quam etiam eo extendimus, ut possitis visitare quascumque Domos Ordinis ejusdem Provinciæ, vel in eis, vel de eis earumque personis extra actum Visitationis inquirere, providere, disponere, ordinare, statuere, justitiam ministrare, quatenus Dei honori, Ordinis decori et animarum saluti videritis expedire : humillime supplicantes eidem S. C. Majestati dictisque Serenissimis Principibus, Ducibus ac Magistratibus quibuscumque, ut vobis in præmissis omnem favorem, consilium et auxilium præstare dignentur. Nostris vero Fratribus et personis Ordinis tam dictæ Superioris Alemaniæ quam Inferioris et Rheni, quoad personarum evocationem, præcipientes ut in omnibus sibi possibilibus, quantum concernunt dictæ Provinciæ reformationem et pacem et regularem observantiam sine propriæ Provinciæ detrimento notabili, vobis ut Nobis obediant.

« Ad hæc omnia vobis impertientes hujus officii benedictionem, post imprecatam vobis omnem a Deo gratiam atque assistentiam. In quorum fidem præsentes manu nostra et Scribæ nostri signatas Ordinis sigillo muniri jussimus. Datum Cartusiæ, die 10 Januarii, anno 1591. »

Non inanes omnino et irriti fuere Hieronymi conatus. Nam Jesuistæ, parum memores exhibitæ charitatis nascenti Societati a Cartusianis Parisiensibus et Coloniensibus, inviti nobis reddiderunt Cartusiam Seiz; adhuc Domos Gyriach et Pletriach retinent in injustitia, sed de hoc negotio fuse alibi egimus.

Digressus in longinquam regionem sermo noster ad Hieronymum redeat. Qui cum recte suum munus obiret, volebat regiminis sarcinam excutere ; cui anni 1591 Comitia silentium imposuerunt tali responso : « R. Patri non fit *misericordia*. Sed quod semel atque iterum Capitulum generale ab eo postulavit, hoc idem jam tertio expostulat : ne de absolutione cogitet, et ne plus sibi quam cæteris sit severus, quia Deo ni-

hil gratius, Ordini nihil commodius facere potest, quam se incolumem servare illis Domini ovibus, quas sibi cœlitus commissas vel ex eo constat, quod nihil tale cogitanti, imo renitenti et contradicenti omnium applausu commissæ sunt; et ne conscientiæ scrupuli in contrarium occurrant, urgeant, opprimant, totius Ordinis sententiæ ac voluntati acquiescat, qui ejus pietati, integritati ac diligentiæ testimonium præbet. »

Ut autem Patres Comitiorum ejus humilitati facerent satis ac levigarent ejus regiminis onus, rogaverunt per Capituli Chartam Priores Parisiorum et Padulæ, ut data commoda occasione accederent ad Cartusiam. Verum neuter eorum venire potuit, iisdem, quas anno superiori diximus, impeditus causis. Interim gemebat Dei servus sub aquis tribulationum, fatigatusque Præfectura omnem movebat lapidem quo illam abdicaret. Annus decurrebat 1592, cum R. P. iterum in Comitiis petens exauctorari, Diffinitores in proposito pertinaces expertus talem audivit ab eis sententiam sibi pronunciari :

« Reverendo in Christo Patri D. Priori Cartusiæ, summo conatu, quantum in se fuit, muneri sui Prioratus renuncianti summisque etiam precibus ab eo absolutionem postulanti, non fit *misericordia*. Sed potius pro sua insigni modestia atque humilitate Capitulum generale omnimoda sua authoritate et in virtute sanctæ obedientiæ ei injungit et præcipit, ne posthac oneri atque officio sibi a Deo imposito renunciet; sed illud sub ejusdem omnipotentis Dei providentia atque protectione exerceat, certus quod qui pondus imposuit, daturus sit etiam vires, quibus ferre possit. Quod ut commodius fiat, idem Capitulum generale eidem expresse injungit, ne propter nimiam sui corporis imbecillitatem vadat ad Matutinas nisi forte in Solennitatibus, at ne tunc quidem nisi optime valeat. Quas autem noctes Matutinis subtraxerit, eas literis scribendis non occupet, ut solet, nisi tanta urgeat negotiorum necessitas, ut in lucem commode differri non possint; sed, divino Officio in cella persolvendo, eas dormitioni, quieti laborumque suorum levamini reservet. Jejunia Ordinis ne jejunet; Ecclesiæ vero, nisi approbantibus Patre Vicario et Scriba. Eam victus rationem sequatur, non qua Conventus, sed qua valetudo corporis et virium imbecillitas efflagitat. Conversum aut Donatum pro suo arbitrio deligat, qui, nulli alii obedientiæ deputatus, ei soli die nocteque in omnibus diligenter inserviat. Quia vero tanta est negotiorum externorum multitudo et etiam domesticorum, ut vix aut etiam ne vix quidem R. Pater possit omnia simul obire personaliter, rogamus atque vehementer hortamur ut domestica negotia omnia familiaremque administrationem commendet Procuratori Cartusiæ, qui omnia pro sua longa experientia personaliter obeat et disponat, semper tamen sub judicio et libero arbitratu R. Patris, cujus in hoc

liberam authoritatem nullo modo restringere aut limitare possumus. »

Sic igitur Diffinitores humilitati R. Patris silentium imponentes, evocaverunt jam tertio per Capituli Chartam ad Cartusiam V. Joannem Michel, qui hactenus ex urbe Parisiensi se subducere non potuerat : ubique etenim perstrepebat armorum sonitus. Verum cum toties ab Hieronymo nostro fuisset invitatus ad iter Cartusiæ faciendum, tandem clam evadens non sine ingenti discrimine diu expectatus advenit. Morabatur per id temporis R. Pater in Domo Allionis, coactus propter bella suam Eremum deserere. Mire exhilaratus, virum sibi amicitia conjunctissimum et in rebus Ordinis versatissimum videns, jam se credidit tanti Patris præsentia sublevatum et pene exoneratum a Prælaturæ sollicitudinibus. Ne autem Parisienses de suo Pastore anxii essent, statim eis scripsit in hunc modum :

« Patentes pro provisione Domus Parisiensis durante absentia V. Patris ejusdem Domus Prioris, utpote ad nos vocati et in Cartusia retenti pro nostro coadjutore et consiliario.

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, Domino Deo et Regi nostro æterno. F. Hieronymus, humilis Prior Domus Majoris Cartusiæ et totius Ordinis generalis Minister, Venerabilibus in Christo Patribus D. Gabrieli Vicario et Conventualibus Domus Cartusiæ Parisiensis salutem in Domino Jesu sempiternam.

« Tandem post trinam vocationem pervenit ad nos V. P. D. Joannes Michel Prior vester ac Provinciæ Visitator, emensis multis laboribus periculisque superatis ; de cujus adventu non minus exhilarati sumus, quam de singulari quodam beneficio in Nos nostrumque Ordinem universum a Deo collato. Speramus enim illius præsentia, experientia et vitæ ac morum integritate in arduis Ordinis negotiis, quæ in dies augescunt, summopere juvari saltem ad Capitulum usque, sub titulo Assessoris et Consiliarii hujus officii : quem ad id elegimus ex multis, vocavimus et assumpsimus, perque præsentes assumimus authoritate in id nobis a Capitulo concessa, etc. Die sacro D. Bernardi. Datum in Domo Cartusiæ Dominæ nostræ Allionis. »

Vix exceperat Hieronymus Joannem tanquam Angelum Domini ejusque ministerio utebatur, cum extrema tanti gaudii luctus ingens occupavit, ob acerbissimum casum quem subjicimus in capitulo sequenti.

CAPITULUM XIV.

INCENDIUM MAJORIS CARTUSIÆ.

Vir erat natus ad laborem et ad tribulationem Hieronymus noster : cujus viæ, spinis et afflictionum tribulis circumseptæ, segetem amplissimam patientiæ meritique occasionem ei subministrabant, dum afflictio una statim alteram exciperet. Planximus anno 1589

incineratam Cartusiæ Correriam. Cujus ruinas dum restaurare pius Pater, erogatis hinc inde eleemosynis, satageret, ad tristitiæ cumulum luctuosus adest annus nonagesimus secundus supra millesimum quingentesimum, quo primaria Domus Ordinis jam quintum a sua fundatione incendium patitur.

Peractis hujus anni Comitiis secesserat, ut supra diximus, R. Pater in Domum Allionis, donec pacatiora fierent tempora. Expectabat Dei servus pacem, sed ecce turbatio et tristitia super tristitiam. Quid moror? In pervigilio Solennitatis Sanctorum Omnium voracibus flammis a Satana excitatis Major Cartusia, virtutum officina, pœnitentiæ domicilium pietatisque sanctuarium, consumitur. Stabat ad triste crepitantis ignis spectaculum imperturbatus homo Dei, ac in innocentia Job noster perseverans non peccavit labiis suis, nec stultum quid contra Dominum locutus est; sed coram altari, gestans manibus pretiosissimum Christi Corpus summa cum devotione, permansit, donec Ecclesiæ lampades cecidissent. Tunc namque monachorum cœtu stipatus, versus sacellum B. Mariæ de Casalibus iter arripuit. Cumque verticem montis attigisset, ex quo totum conspicitur monasterium, Hieronymus cum Augustissimo Altaris Sacramento benedixit combustæ Domui dicens identidem : « Sit nomen Majestatis tuæ sanctum benedictum in sæcula! »

Alma Matre hoc incendio in cineres pene redacta, Conventus se recepit in Correriam. In Cartusiæ autem superstitibus ruinis R. Pater, Sacrista et Procurator, quo commodius cœnobii necessitatibus subvenirent ejusque invigilarent reparationi, remanserunt; ubi Dei servus una cum æditluo diurnum pariter et nocturnum Officium statis horis, cum lectionibus et Homiliis ex integro totius Conventus nomine persolvebat : sollicitus ne monachorum absentia divinæ laudes in hac Eremo sacra intermitterentur.

Ad has redactus angustias Hieronymus, cum sibi deessent sumptus necessarii ad suæ Domus restaurationem, subsidium petiit per subsequentes Litteras :

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, Domino Deo et Regi nostro æterno. Nos F. Hieronymus, humilis Prior Majoris Cartusiæ ac totius Ordinis generalis Minister, VV. in Christo PP. Visitatoribus, Prioribus et Conventibus Domorum omnium Cartusiensium salutem in Domino Jesu sempiternam peroptamus, et hujus officii Paterni benedictionem impertimur.

« Ecce quam amatis, Cartusiam, ut communem omnium vestrum Matrem utque vitæ Cartusianæ ac regularis hujus observantiæ parentem, vosque hactenus ut charissimos suos filios recognoscentem, ad se venientes benigne suscipientem, instruentem, consolantem atque materna ubera omnibus vobis exhibentem : illam, inquam, totam igni

consumptam, inhabitabilemque redditam vobis nunciamus; simulque tria a vobis omnibus charissimis suis filiis illius nomine petimus ac materno jure flagitamus.

« Primum est, ne super illam sicque desolatam sicque Divina vel voluntate vel permissione juste paterneque a Domino Deo nostro visitatam ac nostris exigentibus peccatis castigatam lugeatis, sed potius communes nobiscum illi gratias offeratis, et hanc Paternam ejus manum nobiscum benedicatis et exosculemini, qui nos per se ideo castigaverit, quod amaverit.

« Secundum est, ut communibus precibus et Sacrificiis illum nobis placatum et propitium reddatis. Non enim hanc perfectionem in nobis agnoscimus, ut hanc visitationem, probationem nostræ virtutis esse dicamus; sed correctionem et purgationem nostræ fragilitatis et iniquitatis vere fateamur, illi dicentes : *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi; sed da gloriam nomini tuo, et fac nobiscum secundum misericordiam tuam*.

« Tertium et postremum est, ut singulæ Domus nostrum hoc universale incendium pro posse adjuvetis, habito super ea re communi inter vestros Conventuales tractatu et consensu, alias pro vestra liberali voluntate; non enim jure sed charitate, sed libertate placet agere vobiscum, quos nuper gravavimus nostræ Correriæ reædificatione. Voluntaria igitur sit omnium vestrum oblatio et per se missio, nisi per Visitatorem fienda collectio magis placeat. Porro qui Priores, quæque personæ singulares valent authoritate vel favore apud Principes sive magnates et divites, si modeste pium subsidium ab eis nobis impetrent, fidei et charitatis majoris in Matrem Cartusiam edent testimonia.

« In quorum fidem præsentibus manu nostra subsignatis sigillum Ordinis apposuimus. Cartusiæ in Cureria loco nostri refugii, die 12 Novembris, anno 1592. »

Sub ea tempestate quisque suos patiebatur manes. Nam nulla fere Domus erat in Gallia, quæ non exhausta fuisset bellorum diuturnitate : direpta fuerant ab Hæreticis pleraque monasteria; excisæ etiam Belgii et Hollandiæ Domus jam nullas poterant primariæ Cartusiæ ferre suppetias; multa etiam nostrorum asceteria destructa jacebant per Germaniam in situ et squalore. Unde multi quidem erant qui Matris afflictæ dolerent vices, pauci qui patienti necessitatem opitularentur. Cumque fere omnibus deesset facultas huic Archimonasterio subveniendi, lenta fuit admodum et languida ejus restauratio, pro qua talis Ordinatio facta fuit anno 1595 :

« Compatientes cineribus Domus Majoris Cartusiæ nostræ omnium Matris, et miserandam illius egestatem sublevare cupientes, hortamur in Domino omnes nostri Ordinis Domos, ut se aliquod pecuniæ subsidium, pro attol-

lendis et resarciendis dictæ communis omnium Domus incendio collapsæ ruinis conferendum, faciles et liberales exhibere velint. Et proinde omnes dictarum Domorum Priores obnixe in visceribus Domini nostri Jesu Christi rogamus, ut quam quisque eleemosynam pro modo facultatis suæ Domus piæque charitatis affectu erogandam et largiendam ad præmissos usus de consensu suorum Conventualium judicaverit, eam quamprimum poterit ad Visitatores Provinciarum transmittat; quos rogamus, ut sedulam curam et studium efficax adhibentes ad tam pium et necessarium opus promovendum, pecuniasque a dictis suarum Provinciarum Prioribus exactas et collectas ad Cartusiam transmittere studeant. »

Porro cum modicæ fuissent eleemosynæ ad restaurandam hanc Domum a plerisque subministratæ, in subsequentibus Comitiis anni 1596 taxa singulis Provinciis imposita fuit pro reparatione, quæ sic describitur in Charta Capitulari :

« Etsi Cartusia Mater hoc anno pro sui restauratione aliquas pecunias a Domibus Ordinis receperit; quia tamen, exceptis tribus Italiæ Provinciis, reliquæ aut nihil aut certe modicum eidem Cartusiæ contulerint, et receptæ pecuniæ non sufficiant ad solvenda debita, quæ pro reparationibus jam factis ipsa Mater Cartusia contraxit, et tamen plurima adhuc restant reparanda, quæ sine aliarum Domorum contributione non possunt refici : ideo cum non sola pietas sed etiam justitiæ æquitas exigat, ut filiæ matri egenti subveniant, et cæteræ Domus Ordinis contribuant in reparatione Cartusiæ Majoris, quæ cæterarum Domorum est Mater, caput et origo, in qua etiam singulis annis generale Capitulum tenetur, et ad quam super annum ab omnibus Domibus recursus pro negotiis habetur, quod Sanctissimus Pontifex se approbare et gratum habere significavit : Ordinamus, ut Visitatores singularum Provinciarum taxas pro reparatione ejusdem Cartusiæ, per nos ante nostrum a Cartusia discessum singulis Provinciis assignandas, per Domos earumdem suarum Provinciarum dividant, sicut solet taxa Capituli generalis dividi, et ab eis illas repetant atque receptas statim ad Cartusiam mittant. Priores vero vel Officiales qui taxam Domui suæ assignatam solvere Visitatori recusaverint, aut ultra tres menses post Ordinationis notitiam habitam mittere distulerint, ipso facto a suis officiis et eorum exercitio suspendantur.

« Taxa solvenda per quinquennium ab hoc Capitulo incipiendum singulis annis a singulis Ordinis Provinciis pro restauratione Domus Majoris Cartusiæ ordinata et peræquata in Capitulo generali anni præsentis 1596 per nos Diffinitores : Provincia Gebennensis solvet singulis annis scuta 69; Provincia Picardiæ, 69; Provincia Provinciæ, 135; Provincia Aquitaniæ, 138; Provincia Burgundiæ, 135; Provincia Franciæ,

192 ; Provincia Lombardiæ propinquioris, 192; Provincia Tusciæ, 192; Provincia Lombardiæ remotioris, 192; Provincia Cataloniæ, 220; Provincia Castellæ, 220; Provincia Teutoniæ, 46; Provincia Rheni, 54; Provincia Alemaniæ Superioris, 73; Provincia Alemaniæ Inferioris, 73. Summa : scuta 2,000. »

Hæc taxa universis Ordinis Domibus indicta duravit usque ad annum 1605, quo cessatum est a subsidiorum collectis.

CAPITULUM XV.

CAPITULUM GENERALE CELEBRATUR IN CARTUSIA SANCTÆ MARIÆ DE GRATIA PROPE PAPIAM.

Facibus igitur ab infensissimo hoste in primariam Domum Cartusiensem injectis, Comitia Ordinis anni 1593 indicta fuerunt apud Cartusianos Papienses ab ipso R. Patre, juxta Breve Apostolicum sibi concessum, quo permittitur ei non semel aut bis sic fieri, sed quamdiu durarent tumultus Galliæ. *(Vide Repertorium Cartulariorum Cartusiæ.)*

Serenissima Sabaudiæ Ducissa, ad cujus aures fama sanctitatis Hieronymi pervenerat, audiens illum pergere Ticinum, ejusque conspectu simul et alloquio potiri desiderans, invitavit ut Taurinum pertransiret, ei monita salutis daturus, filiisque suis Principibus bene precaturus. Hæc mulier sibi nimium arrogans, nullos sive sæculares sive clericos admittebat, nisi nudato capite genibusque flexis illam alloquerentur. Cumque Hieronymus (quamvis aliunde studiosus humilitatis sectator) existimaret id honoris soli Deo debiti Ducissam dedecere, sacerdotalique derogare dignitati, convenit cum Patribus itineris sui comitibus, ut ipsi Ducissam adeuntes se se R. Patri accommodarent. Dictum factum. Ingressus siquidem aulam, servata gravitate Religiosaque modestia Principissam officiosissime salutavit, piosque miscens sermones, ad instantiam Ducissæ filios ejus adauxit sua benedictione ; relictaque apud Cisalpinos sanctitatis fragrantia, discedens cœptum iter prosecutus est.

Ad Cartusiam Papiensem Hieronymus ut pervenit, tota illa honoris ergo effusa Domus obvia ei processit, et eum tanquam humana specie augustiorem excepit. Præerat per id temporis huic monasterio Stephanus Barregius, vir religione spectabilis ; qui, ut diem Comitiorum redderet celebriorem, sacras quasdam Reliquias solenniter a Patribus tunc in hac Cartusia coadunatis Capituli generalis gratia, in templo collocandas statuit. Rem ex quodam hujus cœnobii Manuscripto deprromptam, nonnullis brevitatis causa prætermissis, de verbo ad verbum damus.

« Anno 1592 Matthæus a Ripalta, professus et Procurator Papiæ olimque Prior Astensis, ad balnea Flandriæ proficiscens Coloniam transiit, ibique multas et pretiosas Sanctorum Reliquias a devota sanctimoniali Catharina Mul-

helms, monasterii S. Agathæ Ordinis S. Benedicti intra mœnia ejusdem civitatis Abbatissa, dono accepit ; quas secum Mediolanum deferens, vasis argenteis ex licentia sui Superioris includi curavit. Cumque Stephanus Barregius Papiæ Prior decrevisset, eo quo posset apparatu, sacra pignora transferre ad ejusdem monasterii templum, hujus ceremoniæ diem indixit ad tempus Comitiorum Ordinis.

« Igitur assentiente Reverendissimo Patre Hieronymo, cæterisque Prioribus, qui tunc aderant, suffragantibus, una cum Papiensibus monachis Barregius pro translatione dictarum Reliquiarum statuit mane die Dominica 16 Maii fieri solennissimam processionem, cui debebant interesse Priores, Conventus Papiensis, Conversi Priorum, demumque Conversi Papiensis Domus. Præter Priores aderant Damianus Procurator Cartusiæ Romanæ, Joannes Baptista a Portis professus Papiæ Procurator de Castris, et Joannes Baptista Procurator Padulæ. Erant autem numero Priores quadraginta quatuor incluso Barregio.

« Congregatis itaque omnibus in majori Cartusiæ templo, cujus altare primarium fuit magna cum pompa variis et multis argenteis supellectilibus candelabrisque exornatum, præmissa aquæ Benedictione factaque juxta morem Ordinis Aspersione per R. P. Generalem, ab eodem inchoata fuit Hora Tertia, assistentibus in sedilibus chori cunctis Prioribus, Conventu autem collocato in utraque chori parte ab extra super scamnis quibusdam ibidem appositis. Dum autem Tertia decantata fuit, singuli Priores ad novum Sacrarium accedentes, induerunt paramenta sacerdotalia et planetas auro contextas et *frigiatas* nempe pretiosas, per ordinemque cum R. P. Generali procedendo egressi sunt per portam majorem dictæ ecclesiæ, quæ tota ramis quercuum frondosis et extensis, herbisque olentibus et floribus odoriferis sparsa et disseminata fuit.

« Anteibant Conversi cum candelis, deinde bini monachi cum luminibus, postea duo alii Priores parati, et sic deinceps simili ordine ; postremo R. P. Generalis pretiosioribus indutus paramentis, crucem argenteam gestans Lignum vitale continentem, particulam videlicet vivificæ Crucis Salvatoris nostri. Ad illius latus dexterum assistebat præfatus Prior Papiæ cum quadam custodia crystallina auro, argento et lapide *lazuli* frigiata, continente Dentem unum gloriosi protomartyris Stephani. Ad latus autem sinistrum Hieronymi aderat R. P. Guillelmus Episcopus Prior Romæ cum alia theca in modum crucis elaborata, in qua reposita erat Spina Dominicæ Coronæ. Talique ordine procedentes pertransierunt curiam pannis albis laneis circumvestitam, variisque ramis stratam et floribus.

« Exierunt autem prædictam cœnobii januam versus prata adjacentia, conco-

mitante multorum laicorum turba. Porro extra dictam portam ingens concursus populi utriusque sexus, tam ab urbe Ticinensi quam ex omnibus locis et villis circumvicinis per quinque et plus milliaria, imo etiam a civitate Mediolanensi magna multitudo confluxerat. Iter autem rectum dispositione supra scripta prosequentes, pervenerunt ad caput viæ respicientis portam monasterii, in loco videlicet vulgariter nuncupato *mediæ portæ,* ubi conjuncta est vinea appellata *Belvederii ;* in cujus vineæ extrema parte erectum fuit altare splendidissimum pannis laneis ceruleis coopertum, super quo reposita jacebant quinque sacra Capita inclusa in totidem capitibus argenteis, aliæque Reliquiæ omnes in loculis seu capsulis reclusæ ; quibus omnibus præerat supra nominatus Procurator Matthæus, qui ea omnia cum attestationibus, fide et licentia virorum spectabilium præfato R. P. Generali consignavit. Fuit autem ibi cantata a Patribus Antiphona ac Versus, et thurificatis Reliquiis, Hieronymus cecinit et Orationem.

« Interim omnes genua flectentes et sacra pignora venerantes circuibant altare ; et per eamdem viam ad monasterium redeuntes, ubi aliud altare magnificum erectum fuerat, ibi supra memorata Capita deponentes paululum quieverunt, dum decantata fuit alia Antiphona atque Versus et Oratio cum solita thurificatione. In itinere omnes Religiosi psallebant canebantque Litanias et Hymnos, et in discessu a primo altari crepitus tormentorum bellicorum super area fornacis ordinatorum personabat.

« Ad dictum altare cuilibet Priorum distributæ fuerunt capsulæ Reliquiarum, processionaliter ordine supra scripto gerendæ ; post quas sequebatur alius Prior cum uno ex dictis Capitibus sub umbrella, et post illum alius Prior cum uno alio Capite sub alia umbrella, et ita tertius, quartus et quintus, ita quod quinque Priores ferebant quinque Capita sub quinque umbrellis, quæ omnes erant de panno sericeo auro frigiatæ. Transactis autem ipsis quinque Prioribus cum dictis quinque Capitibus et sub dictis quinque umbrellis, sequebatur R. P. Generalis cum assistentibus duobus supra nominatis, gestantibus Reliquias præfatas, sub sexta umbrella panni aurei et argentei magni valoris ; et tam illi, qui portabant dicta Capita, quam P. Generalis duoque assistentes cooperiebant humeros velis prolixis auro et serico contextis.

« Umbrellæ omnes ferebantur a Nobilibus ad id officii invitatis, et plerique eorum non erant inferioris notæ. Capsulæ Reliquiarum omnes erant tectæ velis aureis quadris. Intermediabant condecenti spatio disjuncti quatuor monachi ex junioribus, induti sacerdotalibus, casulis ac stolis, cum thuribulis ac naviculis argenteis continuo thurificantes.

« Post recessum a secundo altari, de-

nuo processio monasterium ingreditur, tormentis bellicis reboantibus, devenitque eademmet via usque in faciem portæ cognominatæ Albæ, quæ per *tombam* magnam ducit ad majus claustrum. Tomba autem prædicta tota erat diversis aulæis sericeis nobilibus ac sacris imaginibus artificiose ornata sparsaque floribus. Et ita in omnibus eademmet series servata fuit in toto ambitu claustri magni; per quod, a sinistro latere, primo declinatum fuit tum ad latus cellæ Patris Vicarii usque ad angulum cellæ H, ubi erat extructum aliud splendidissimum altare, cum tot aulæis, imaginibus et aliis ornatibus variis, quæ raperent intuentes in admirationem. Super dicto altare iterato repositæ fuerunt omnes Reliquiæ, quibus thurificatis, cantata fuit Antiphona, Versus et Oratio.

« Arreptum est autem postmodum iter ab alio latere dicti claustri, usque quo denuo perventum fuit ad prænominatam tombam. Claustrum totum erat floribus odoriferis stratum, parietesque sacris imaginibus et aulæis erant circumvestiti ; super autem pariete demisso, versus pratum ipsius claustri, erant repositæ infinitæ arbores floridæ. Per dictam autem tombam denuo revertentes, tum per curiam perventum est ad ecclesiam per portam magnam, præcedente tamen longe majori tormentorum bellicorum strepitu ; et tandem ad altare majus, super quo collocatæ fuerunt dictæ omnes Reliquiæ, cumque incensi odore suavissimo cantata fuit Antiphona simul cum Oratione. Monachi omnes qui Reliquias non bajulabant, gestabant candelas accensas; circumfusaque plebs gestiebat, ut sua rosaria certatim Reliquias tangerent. A principio autem dictæ solennissimæ processionis usque ad finem non desiit clangor quatuor tubarum ad hoc specialiter inductarum. »

Hactenus Manuscriptum.

His igitur peractis celebratum fuit generale Capitulum juxta morem nostrum ; cujus Charta sic inscripta fuit : « Charta Capituli generalis Ordinis Cartusiensis celebrati, propter incendium Majoris Cartusiæ aliasque causas, in Domo S. Mariæ de Gratia prope Papiam, die 17 Maii et sequentibus, anno 1593, etc. »

Porro Hieronymus regiminis sarcinam in dies moleste ferens, ratus se impetraturum muneris abdicationem, quo tandem sui voti compos factus, liber ab onere, vacuus a curis facilius se imminenti morti compararet, tum precibus tum lachrymis Patres Conscriptos rogavit, ut se se tandem aliquando propitios exhiberent, suisque infirmitatibus compatientes illum exonerarent ab Ordinis Præfectura, quam diutius non valebat sustinere. Spectaculum erat miseratione dignissimum, cernere R. Patrem enixis precibus petentem exauctorari. Verum cum Diffinitores singulique Priores perspectam haberent ac exploratam Hieronymi humilitatem

et sanctimoniam, quanto magis ipse in suis oculis sibi vilescebat, tanto magis illum judicabant dignum qui Cartusiensis familiæ moderamen haberet. Unde his in Comitiis onerosi consolatores illum hortati sunt ad perseverandum in officio his verbis :

« R. P. Priori Domus Majoris Cartusiæ summis precibus nec sine lachrymis absolutionem expostulanti non fit *misericordia*. Sed quod jam præcedentibus Capitulis ab eo postulatum est, hoc idem præsens Capitulum efflagitat : ne de sua absolutione amplius cogitet ; sed cum ad hoc officium omnium consensu et applausu divina Providentia ipsum esse vocatum constet, totiusque Ordinis judicio utilissimus esse comprobetur, hortamur, ut omnes abjiciat scrupulos suggerentes quod cum suæ animæ salute id officium non possit sustinere et exercere ; quin potius sibi quod in se est facienti Dei gratiam non defuturam certo confidat, et pro Dei honore et Ordinis salutari profectu, suæ conservandæ valetudini confortandæque debilitati studiosius intendat, juxta formam sibi anno præterito per Capitulum generale præscriptam. Ut tamen in tot et tantis negotiis quæ occurrunt expediendis sublevetur, concedimus ei, ad magnam ipsius instantiam, in assistentem et consultorem Patrem Joannem Michel, propterea a Prioratu Domus Parisiensis absolutum. »

In Charta Capituli generalis anni subsequentis 1594 hæc leguntur : « Quoniam R. P. Prior Cartusiæ pene assiduis debilitatibus et infirmitatibus prægravatur, ne præ negotiorum magnitudine, quæ in dies occurrunt et accrescunt, oneri sibi imposito succumbat, Capitulum generale ordinat et statuit, ut scripturæ et signo V. P. D. Joannis Michel, quem idem Capitulum assistentem eidem dedit, tanquam ipsius R. Patris signo omnes personæ Ordinis fidem adhibeant indubiam. »

Non pigebit etiam hic subjicere quæ in Charta præfati anni 1594 describuntur, in argumentum humilitatis Hieronymi, qui supremum Ordinis Magistratum abdicare sicut singulis annis enitebatur; verum obsurdescentibus ad ejus preces Patribus, talis ei responsio facta est : « R. P. Priori Cartusiæ etiam hoc anno summis precibus non sine lachrymis absolutionem expostulanti non fit *misericordia*. Quem obnixe rogamus, ut pro Dei honore et Ordinis et consolatione suorum filiorum, ad exemplar Domini nostri Jesu Christi, patientissime ferat tot labores, perseveretque in Cruce usque ad mortem, et pro negotiorum magnitudine suæ conservandæ valetudini et confortandæ debilitati studiosius intendat, cum eo de omni austeritate et rigore Ordinis plenissime dispensantes. Et ne ex pene assiduis suis infirmitatibus oneri tam gravi succumbat, concedimus et Capituli generalis authoritate statuimus, ut V. P. D. Joannis Michel, assistentis dicti R. Patris, scripturæ et signo tanquam ipsius

R. Patris signo omnes fidem teneantur adhibere indubiam. Sed ne hujusmodi concessionis occasione R. Pater negotiorum curam abjicere, aut plus solito forte, vel plus sibi licito, quieti et solitudini invigilare velit, eidem prohibemus, ne quietis captandæ et devotionis causa se a necessariis sui officii occupationibus subducat. »

Nunc autem ad Papienses redeat sermo noster.

CAPITULUM XVI.

HIERONYMI GRATITUDO ERGA MONACHOS PAPIENSES.

Solutis igitur Papiensis Cartusiæ Comitiis, in quibus Hieronymi prudentia et sanctimonia plurimum ab omnibus commendata fuit, cum reditum ad Majorem Cartusiam instituisset, singulique Priores ad Domos suas remeassent; ipse non immemor exhibitæ a Papiensibus erga se et Patres Ordinis eximiæ humanitatis, ipsis amplissimas scribens gratias, eosdem etiam donavit beneficio Missæ B. Mariæ per totum Ordinem, de quo bene meriti fuerant. Tenor autem literarum talis est :

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. F. Hieronymus, humilis Prior Domus Majoris Cartusiæ et totius Ordinis generalis Minister, Venerabilibus in Christo PP. et FF. Priori et Conventui Cartusiæ Papiæ salutem in Domino Jesu sempiternam.

« Permoti non solum testimonio vobis, V. P. Prior, reddito a piæ memoriæ R. P. D. Bernardo prædecessore nostro de fidelitate vestra in Ordinem, deque multis laboribus pro eo et Domus vestræ asserenda libertate contra ejusdem oppugnatores susceptis, sed etiam impulsi horum oculari visione, cum apud vos essemus pro Capituli nostri generalis celebratione; ac præterea victi maxima vestra humanitate et liberalitate, qua usi estis in nos et dictum Capitulum generale nobis occurrendo, nos deducendo, nos reducendo, et tam intus quam foris humanissime habendo, ipsam denique impensam universam Capituli reædificationi Cartusiæ applicando et renunciando, de totius vestri Conventus consilio et consensu; cujus item plurimam in nos reverentiam et multam in Patres Capituli observantiam sine laude præterire non possumus, uti nec ejus pium proficiendi in Dei timore et amore et observantia regulari desiderium :

« Nos, inquam, his omnibus persuasi et inflammati singulari devotione quam sensimus et gustavimus in sacrarum Reliquiarum (quarum nomina pro singulari earum veneratione præsentibus voluimus subscribi) susceptione, quæ Dominica Capitulum immediate præcedente facta est apud vos, cum celeberrima processione et supplicatione Patrum totius Capituli et vestri Conventus; his, inquam, omnibus inducti, voluimus exhibere aliquam singularem paterni affectus in vos, V. P. Priorem, vestrumque Conventum demonstratio-

nem et congratulationem pro ea, qua affecti estis erga nos atque hoc officium propter Deum, reverentia et filiali obedientia et amicitia.

« Tenore igitur præsentium vobis, V. P. D. Stephano Priori dictæ Domus Papiæ, plenum cum psalteriis Monachatum et Missam de B. V. Maria sub Officio Assumptionis ejusdem per totum Ordinem impertimur ac concedimus, transferentes olim concessum vobis beneficium pleni Monachatus in tribus Provinciis Italiæ et Missæ de B. Maria, ad vestræ charitatis instantiam, in fratrem vestrum D. Innocentium Barregium. Et ut Charta non dividat quos Christi amor, vinculumque Patris in filios et filiorum in Patrem connectit, tenore item præsentium Missam de eadem B. Maria per totum Ordinem donamus et concedimus vobis omnibus ac singulis charissimis filiis nostris monachis Conventus Papiæ professis, et dictam Papiæ Domum tempore dicti Capituli generalis actu incolentibus, videlicet vobis D. Basilio Trisultio Vicario, D. Bartholomæo Gerardo, D. Jacobo de Curte, D. Angelo Gabrieli Origonio, D. Francisco Feugerio, D. David Nappis, D. Peregrino Verano, D. Joanni Baptistæ de Garbagnate, D. Augustino Gerardio, D. Benedicto Ferrario, D. Frederico Rosnade, D. Matthæo Ripalta, D. Hieronymo Robeccho, D. Malachiæ Restæ, D. Remigio Castano, D. Marco Ingegnerio, D. Lucæ de Laude, D. Gregorio Pirogallo, D. Octaviano Abduæ, D. Joanni Paschetto, D. Brunoni Daverio, D. Andreæ Pictorio, D. Joanni Capredono, D. Timotheo Baroffio, D. Cosmæ Cameræ, D. Basilio Puteo, D. Dionysio Quartironio, D. Hyppolito Tatto, D. Petro Mariæ Daverio.

« Gratiam vero pro gratia rependetis, si vos, V. P. Prior et Provinciæ Visitator, utrique officio ita honorabili ut periculoso digna vita responderitis, arguendo, corripiendo, obsecrando opportune importune ; vos etiam, charissimi filii nostri, si in Dei mandatis et Ecclesiæ præceptis ac Religionis votis regularibusque observantiis magis ac magis exercueritis et profeceritis, in quibus sola sit gloriatio vestra, ut mea in filiis disciplinatis.

« In prædictorum fidem hic subscripsimus et sigillum Ordinis apponi fecimus. Cartusiæ in Cureria post reditum nostrum a Capitulo nostro generali in dicta Domo Papiæ celebrato, anno 1593.

F. Hieronymus, Prior Cartusiæ. »

Porro expensæ, quas fecit Cartusia Papiensis pro celebratione Comitiorum, fuerunt mille quadringentorum septuaginta trium scutorum auri : quam quidem summam, ut patet ex supra descriptis literis, Cartusia Papiensis laudabili munificentia pro restauratione Cartusiæ Majoris assignavit persolvendam a cæteris Domibus. His et aliis subsidiis Hieronymus valvas, per quas nunc aditus patet ad templum, exstrui curavit,

templumque cum Capitulo variis picturis peregregiis jussit exornari.

CAPITULUM XVII.

HIERONYMI HUMILITAS.

Arduum nimis est et laboriosum singulas Hieronymi virtutes recensere, cum illas omni studio celare semper contenderit, id unum agens, ut inter mortales viveret obscurus.

Antonius des Marests quondam Vicarius Cartusiæ Majoris, vir inculpatæ vitæ ac castigatissimæ conversationis, cui mentis secreta Hieronymus concredebat, tanquam oculatus fideque dignissimus testis luculentum de illius sanctimonia post ejus mortem perhibens testimonium, solitus erat dicere se vidisse et ab eodem audiisse arcana, quæ non sibi licebat loqui, patrataque ab illo fuisse miracula, quæ obedientiæ præcepto astrictus non audebat propalare. Cumque revelare sacramentum, quod in Dei et servi ejus gloriam redundaret, a multis pelliceretur, respondebat vir timoratæ nimis conscientiæ imperatum sibi fuisse ab Hieronymo, dum in vivis esset, de his silentium; quod quidem nefas credebat violare. Quamvis autem tam pertinax custos arcani fuerit Antonius, nihilominus tamen non potuit tanta lux sub modio latere, tantus thesaurus abscondi, nec pretiosus divinorum charismatum liquor in vasculo ejus corporis recondi, quin aliqua ex parte efflueret exundaretque, uti homines post suavissimum odorem operum illius currerent, et quicquid inde sibi et animarum saluti ducerent profuturum, ipsimet carperent.

Aggrediar itaque ad eam virtutem, quæ primas jure sibi vindicavit in Hieronymo: qui annumeratus inter ascetas Cartusienses, cum turrim Evangelicæ perfectionis construere vellet, super humilitatem utpote stabile fundamentum ædificavit, ratus, ea prætermissa, virtutum congregationem non esse nisi ad ruinam. Divino igitur lumine illustratus, clara sui ipsius cognitione sibi vilescebat seque veluti peripsema et abortivum quid profitebatur. Cum autem sublimioribus naturæ donis se videret destitutum (ut reputabat pro sui vilitate et abjectione) sibi præponebat omnes; et qui conscenderat ad Ordinis primatum sui ipsius magno stupore, se inter tyrones et neophytos Ordinis dictitabat esse recensendum. Quibus lachrymis, quibus orationum nervis suam imperitiam propalabat, quando nominatus est Prior Generalis! Quid non egit, quid non meditatus est, ut onus declinaret et transferret in alios humeros? Tandem sarcinam impositam suscipere coactus, quamdiu clavum tenuit, illam singulis annis excutere pro virili contendit. Solebat, cum suos visitaret, familiariter dicere se non esse Priorem, nisi in Capitulo; proindeque cum illis, ac si non fuisset Prælatus, benigne convivebat et affabiliter.

Cum aliquando quædam Ordinis haberet expedienda, et aliqua transcribenda per scriptorem, pergebat ad quemdam e claustralibus ad id idoneis, rogans ut sibi talem et talem chartam exscriberet. Quem si forte alicui operi deprehenderet mancipatum, verbi gratia lavandis aut siccandis vestibus, quamdiu scribebat alter, ipsemet Hieronymus vice versa opus illius perficiebat : adeo ut quidam monachus pie aliquando indignaretur contra R. Patrem, conspiciens illum soccos laneos et cilicia ejus ad focum exsiccantem : « Heu ! mi R. Pater, quid agis ? » — « Sine, fili, respondebat ; æquum est, ut quia pro me laboras, etiam quæ tua sunt per memetipsum faciam. »

Testatus est Sacrista se sæpissime in pervigilio Solennitatum, in quibus mundari debet ecclesia, ad Primam pulsaturum accedentem, eam scopis mundatam ab Hieronymo reperisse. Nocturnis etiam completis Officiis frequenter culinam ingrediebatur, omniaque, insciis omnibus, infima mediastini famuli ministeria explebat : verrere pavimentum, fricare ollas, abstergere sartagines, eluere patinas, sordes purgare, et abjectissima velut domus purgamentum exequi et obire. Nec mirum si se ad ima quæque demitteret, qui se universorum hominum flagitiosissimum et scelestissimum credebat, suisque peccatis adscribebat temporis illius calamitates.

Contigit aliquando, ut unus Officialis Hieronymum paulo ante Completorium conveniret. Proximus jam ostio cellæ, loquentem audiens, stetit, ipsumque deprehendit se se verbis contemptum sui et despicientiam redolentibus increpantem. « Hieronyme, inquiebat, num effrenatæ vitæ licentiorisque in sæculo conversationis excessus et insipientia ex memoria exciderunt ? Num erubescis primas tenere in Ordine, qui ex obscuro loco tenuique familia trahis originem ? Tu quis es, qui præes tot ac tantis viris, quibus in mundo subesse magno duxisses honori ? Heu miser *paiditroba,* superbe et arrogans ! num Dei judicia pertimescis, qui te tanquam servum inutilem meritis pœnis afficiet ? Heu ! *Domine,* ingemiscens aiebat, *misericors et miserator, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* »

Hinc non altum sapiens Hieronymus, scientiam quæ inflat fastidiebat, humilibusque consentiens, sola scientia Sanctorum delectabatur. Quapropter novorum librorum pruritu minime laborans, cum recens aliquis Author et non ita pridem excusus eidem offerretur, illum recusans dicebat se nondum perlegisse Lanspergium. Hunc etenim Librum sibi sufficere credebat : existimans ingentem librorum copiam non minus devotioni officere, quam flammæ redundantiam olei, corporique humano cibos abundantiores.

CAPITULUM XVIII.

VITÆ EJUS AUSTERITAS ET CORPORIS DOLORUM TOLERANTIA.

Ex hac Hieronymi humilitate perfectoque sui ipsius contemptu, nascebatur sui odium ; quo semper ita in se ipsum exarsit, ut non eorum instar, qui solo verborum strepitu feriunt aerem, ac minis eminus cum hoste dimicant, sed Apostolico spiritu imbutus, acre adversus carnem bellum instituerit, illud Apostoli sibi vendicans, *Ego autem sic pugno non quasi aerem verberans ; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo.*

Disciplinas igitur sibi usque ad rivos sanguinis imponere, præludia illius erant. Cibus ejus et potus ut plurimum panis et aqua, nec panis quilibet, sed hordeaceus aut avenaceus, quo Alpinorum illorum cultores vitæ rusticanæ assueti uti solent. In refectorio communi iis tantum victitabat; unde coquinarius, R. Patri devotus, nil nisi frustulum panis in scutella et aquam in scypho ministrabat, quibus sub finem prandii simulata fictitiaque aviditate vescebatur, ut hoc pio stratagemate observantium oculos monachorum deluderet, suusque vitæ rigor lateret homines. Noctes insomnes ducere, vacare orationi, asperrimis ciliciis corpus lancinare et sulcare, delitiæ illius erant. Lectus illius nuda humus, cui si asserem substernebat, censebat esse remissionem. Dirissimis sævientibus anni frigoribus, pedibus nudis calceis tantum opertis incedebat, nivium glomos et glaciem, vi superiore confortatus, spernens. Jejunia solita Ordinis qualia erant apud Patres antiquos exacte servavit, quamdiu licuit.

At ubi Capitulo generali innotuit quam districtus in se castigator existeret, prohibitus est ne ulterius se in hujusmodi austeriori vita exerceret et evisceraret, ne dum vellet bona facere minora, obedientiæ merito, quod optimum et præcipuum bonum monachorum est, privaretur. Imperatum quoque illi, ut supra diximus, ut sibi indulgeret in aliquo, nec ita pertinaciter nocturnum divinumque Officium sequeretur, quatenus se sibi servaret ac Ordini.

Hunc vitæ rigorem sibi amplectendum, cum primum ad Religionem vocatus est, præscripserat. Unde R. P. Carassus virum intus et in cute noscens, cum aliquando vellet tantillum relaxationis jejuniis illius imponere, artocreas a quodam oblatum submisit Hieronymo, interposita illud manducandi sanctione : sciebat etenim, ni præcepto eum coegisset, quod vir mortificationi deditissimus intactum panem pisce fartilem esset aliis porrecturus. Sic igitur astrictus mandato sui Superioris, modo ferculum intuetur, modo perpendit obedientiæ vim, se ipsumque alloquens ait : « Frater Hieronyme, hos comede cibos lautiores. Ita, frater Hieronyme, artocreate vesceris. » Statimque primitivum ferculi segmentum de-

cerpens, ne in ipso sensus voluptatem aut jucunditatem ullam caperet, cinerem miscuit, ut illud plane insipidum præstaret ac insuave. Sic obedientiæ faciens satis, gustus sensum fefellit.

Huic etiam volupe erat, frigidissima anni tempestate intra torrentem Cartusiæ subjectum demittere se se ad moram non modicam. Qui ad villam, leuca circiter abjunctam, nudipes ibat; et nonnunquam per interjectum desertum quatriduo toto oberrans, solis herbis et pomis agrestibus depellebat famem; inibique incurrens in aliquam Crucis imaginem, illam astringebat suavissime; nec nisi post horas ternas aut etiam quaternas cessabat stringere ac suaviari Redemptionis nostræ monimentum.

Unde cum vir Dei modum excederet, Patres in Comitiis generalibus coadunati frenum ipsi discretionis, si ita loqui mihi fas, metas transgredienti adhibuerunt Ordinationibus jam supra memoratis. Quibus reluctari nefas arbitratus pius Pater, rigorem non dimisit, sed temperavit. Verum enimvero coactus aliquid de abstinentiis detrahere, cum aliunde sine intermissione Jesu Christi mortificationem in corpore suo circumferre desideraret, perpetuum carni suæ indicebat bellum, quo præteriti temporis jacturam anteactæque vitæ plurimos annos inaniter consumptos, sicuti vir vere humilis credebat, omni studio et diligentia resarciret.

Sic igitur desæviebat in se ipsum. Contractis ex nimio frigore nivium in crure vulneribus levamen adhibiturus, sale et aceto perfricabat ulcera, hoc remedio suum dolorem leniri simulans; verum igne igni admoto vehementius excruciatus, ampliorem patientiæ colligebat segetem. Porro tanta animi fortitudine adversa quæque corporis sustinebat, ut patientia saginatus, vivum constantiæ Christianæ se simulachrum exhiberet.

Cujus quidem virtus imprimis cum stupore spectantium enituit in herniæ illius curatione. Cum enim medicorum et chirurgorum consilio incidendus esset, quo promptum serpenti malo remedium adhiberetur, Hieronymus ad talem instrumentorum chirurgiæ apparatum imperterritus, se ultro libentique animo incidendum velut hostiam obtulit, solis suæ patientiæ constrictus funiculis. Neque etenim, uti cæterorum mos est, ligari se permisit. Sui compos in his cruciatibus factus, inter ulnas Procuratoris Melanii conquiescebat, *tanquam Agnus coram tondente se obmutescens ;* totusque in Passionis Jesu Christi recordatione absorptus, rapiebat circumstantes in sui admirationem. In ista carnificina nullam dedit significationem doloris, neque visus est (quod tamen in malorum sensu natura cogit) ingemiscere, corpus contorquere, vultum contrahere: adeo Christi in Cruce passi cogitatione armatus, curationis suæ dolorem acutissimum superabat, et quasi melle temperatum tolerabat

hilari pectore, ad instar divi Thomæ Angelici Doctoris, qui præ mentis excessu sine sensu fuit ad ustionis sensum. Chirurgus autem Hieronymi patientia incredibili tactus, hæresim, qua infectus erat, abjuravit : adeo Sanctorum virtus efficax est ad pellendos animi morbos.

CAPITULUM XIX.

HIERONYMI STUDIUM ORATIONIS ET DEI AMOR.

Etsi germana pietatis sanctitatisque species, qua quis Numen sibi conciliatum habet, non in severa corporis castigatione contineatur, hæc tamen plurima habet ad virtutem adjumenta. Certum est enim mentem non posse libere ad Deum orationis alis subvectam evolare, nisi pars illa inferior, quæ omnium parens effectrixque motuum est, vinculis ligata et Cruci cum vitiis affixa, rationis nutu cohibeatur. Quamdiu enim sui juris est nec ullius subdita dominio, cum permisceatur corporeæ concretioni, suapte mole in terram vergit, nec sinit animum ad divini illius Sponsi amplexus sublimi volatu assurgere. Ubi vero purgata mens et a terrenis sordibus segregata transtulit cogitationes ad Cœlum, tum enimvero divinarum rerum contemplatione mirificum illum voluptatis liquorem ebibit, quem nec ore sordido potari decet, nec immundo vase contineri.

Hieronymus, cui tantum erat in affectiones suas imperium, quique tam perfecte mortificaverat membra sua, rerum piarum meditationi tanta cum libertate se totum permittebat, ut sursum in Deum semper ageretur. Præclarissimis animum gratiæ dotibus ornatum gerens, quo facilius ampliori cumulo virtutum augere posset, orationem sibi tanquam tutissimum præsidium ac bonorum omnium panopliam ab initio suæ conversionis adhibuerat : cui non modo certis et præstitutis horis, verum diu noctuque sedulo solitus incumbere. Præter eas temporis partes, quas in quotidianis laboribus vel in varia summæ Præfecturæ administratione insumebat, reliqua temporis momenta orationi devovisse credebatur. Quis itaque digne valeat explicare, quot incendiis et flammigeris aspirationibus in Deum cor ejus æstuaret jugiter ? secum altare holocausti ubique portans, super quo medulatissimas hecatombas indesinenter mactabat. Præsentem ubique Deum attendens, nihil quærebat extra se, cum in se Dilectum suum in cellario cordis inveniret.

Ad divina Officia pergens aut ab iis rediens jam alter a se ipso videbatur ; gravitatem et totius corporis disciplinam cohibens in omni censura, et præcipue oculorum aciem, præter terram quam calcabat pedibus, nihil omnino aspiciebat. Cum vero jam in stallo chori consisteret, jam non Hieronymus, sed quasi unus ex Seraphim totus apparebat igneus : ita timorate, ita reverenter, ita humiliter coram Deo

assistens, quasi Deum ipsum, quem aliena specie oculis fidei videbat occultatum, revelata facie quasi jam in Cœlo residens cum cæteris Beatis contemplaretur. In alterutram partem oculos reflectere, nisi urgeretur, in eo miraculum fuit, a voce abstinere crimen, dormire blasphemia. Nonnulli ex circumstantibus intuentes virum Angelicum tam religiose et verecunde se in conspectu Dei habentem, pudore suffusi dabant Deo gloriam, suam accusantes tepiditatem. Hæc sane erat Hieronymi majestas in divinis et reverentia, ut ex ejus aspectu Marpesiæ cautes liquefactæ fuissent ad devotionem.

Hoc spiritus ardore concitatus, cum perpetuo in Deum animi motu raperetur, nonnunquam per octo horas in Ecclesia Deum Cœli præsentem summa veneratione adorabat, quamvis acutis podagræ doloribus torqueretur, identidem repetens *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, ut et mens et lingua se invicem coadjuvantes, divinis se se laudibus occuparent. Sæpe etiam statum nocturnæ quieti tempus insumens in oratione, pedibus nudis pernoctabat ante Augustissimum Altaris Sacramentum; cereumque accensum manu gestans, circuibat primariam aram. Vidisses hominem, fixo in cœlum obtutu, totum ex Salvatoris cogitatione atque amore pendentem, ut crederes animam emittere foras; audivisses inclamare *Tu es Christus Filius Dei vivi,* eo vocis sono, qui facile indicaret tantam vim esse copiamque superfundentis se voluptatis, quantæ capiendæ vix satis esset mortalitas. Post iteratos vivæ fidei actus, intererat antelucanis Officiis; quibus peractis, reliquam noctem aliquando transigebat in cœmeterio. Diurnum autem ac nocturnum infatigabiliter quasi unus ex gregariis claustralibus frequentabat Officium, quamvis sæpius gravissimis laboraret infirmitatibus; viribusque plerumque deficientibus, animo corpus fulciens, se se reptabat ad templum.

Paucis ante Sacratissimi Sacramenti Solennitatem diebus, in morbum incidit, adeo ut lectulo affixus propter podagræ dolores, litare desperaret. Interim cum ab Officiali post Primam visitaretur, derepente in alium transmutatus e strato prosilit, pergit ad ecclesiam, nulloque febris apparente vestigio, Sacrum peragit conventualiter, pretiosissimum amoris Divini pignus defert adorandum, aliisque conventualibus muniis strenue perfungitur cum omnium stupore, spiritus fervore superante corporis infirmitatem. Unde nec mirum si vir ita spiritualibus addictus extases sæpius pateretur: quas nomine alio vocitabat, ut celaret virtutem. Aliquando facie et oculis micantibus ex vi fusæ orationis ad suos redibat discipulos, qui tantum fulgorem non valebant sustinere.

Singulari compassione affectus erga Galliæ regnum bellicis tumultibus et ærumnis divisum ac desolatum, fatiga-

bat Cœlum suis orationibus, jejuniis, macerationibus et lachrymis, quo exoratum terris Numen ignosceret humano generi, et de regali solio suæ Majestatis pœnitentibus misereretur. Quapropter mandavit, ut singulis ferialibus diebus, ab aurora usque ad meridiem, coram Sacra Eucharistia Missæ celebrarentur; insuper statuit processionem quotidie fieri post Vesperas per magnum Cartusiæ claustrum.

Nicolaus Molin, hujus eremi professus, postea Prior Sylvæ benedictæ ac Burgundiæ Visitator, literis consignavit, quod cum aliquando huic interesset ceremoniæ, Joannes Michel tunc assistens deinde Hieronymi successor, cum illum a processione præter consuetudinem abesse animadvertisset, monachis ante cellam R. Patris transeuntibus, innuerit Nicolao Molin, ut ingrediens cubiculum requireret absentiæ causam. Timebat etenim ne improvisa et repentina infirmitate servus Dei detineretur. Cellulam ille ingressus, minime R. Patrem reperit; festinat ad bibliothecam, ubi Hieronymus interdum vacabat contemplationi cœlestium, piumque Patrem ibidem inclusum esse suspicatus, prospexit per ostii foramen : illum in aera sublatum videt, brachiis extentis facieque ad processionem conversa. Hæc, ut qua vi is animo in Deum ferretur, eo testimonio perspicuum fieret.

Porro cum orationi deditissimus esset, monachi nec ante decimam horam illum convenire neque post Vesperas præsumebant. Noverant etenim R. Patrem per id temporis statum suæ devotionis pensum persolvere, Divinoque fruentem colloquio interrumpere nefas arbitrabantur : quamvis tamen sui copiam libentissime faceret Officialibus, dum rei domesticæ necessitas exigebat, nam jugis Dei memoria ac sedulus Hieronymi mentis in res cœlestes ascensus, tempora orationi semper idonea eidem præstabant.

Suavissimi Nominis Jesu vehemens amator, anno 1592, Solennitatem illius per totum Ordinem præcipuo cultu celebrandam sanxit, quam et universus Cartusiensium cœtus obviis excepit brachiis. Talis est autem hujus Ordinationis tenor :

« Jesu Nomen Nazareni crucifixi cum tantæ sit majestatis, et dignitatis et venerationis, ut in eo flecti debeat omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum ; tantæ item reverentiæ apud Patrem, ut in eo Nomine quicquid petimus accipiamus ; tantique amoris, ut omnium etiam rerum excellat amorem; tantæ autem virtutis, ut in eo sit victus diabolus, et mundus conversus, patrataque omnia miracula; tantæque salutis et vitæ, ut non sit nobis aliud nomen datum sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri; tantæ demum suavitatis, ut in aure melos, in ore mel, et jubilus in corde vere sit : ideo speciali veneratione et celebritate officiendum meritissime judicamus. Unde ejusdem SS. Nominis Solennitatem indicimus universis et

singulis personis Ordinis celebrari et peragi die 14 Januarii cum omni devotione, sub Officio quod Domus Cartusiæ quamprimum poterit assignabit, quod jam receptum sit vel ab Ecclesia universali, vel a particularibus ecclesiis, idem Sanctissimum Nomen celebrari particulari Officio. Quo etiam die volumus a singulis summas gratiarum actiones agi pro beneficio factæ solennis professionis, quam huic SS. Nomini merito tribuimus, Officiumque totum hujus Solennitatis esse Prioris, et in Missa commemorationem haberi convenienter eidem nostræ professioni. »

Cultor fuit etiam egregius Sanctissimæ Trinitatis, cujus memor semper, suis literis *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto* præfigebat. Nihil aggrediebatur nisi sub auspicio Triadis Augustissimæ; præfatum versiculum in mente volvebat et in ore. Vidimus jam virum inter nocturnam quietem flammigeris aspirationibus *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto* recitantem, adeo ut, Procuratorem agens, per vicos et plateas absque intermissione hæc verba sibi in tesseram assumpta pronunciaret. His siquidem sæpissime in die ac omni loco repetitis, mentem a terrenis rebus abductam ad superna consueverat attollere.

CAPITULUM XX.

EJUS DEVOTIO IN BEATISSIMAM V. MARIAM.

Stat inconcussus ab incunabulis Cartusiensium Ordo sub tutela Beatissimæ Virginis Mariæ, quam in Patronam prisci Patres incolæ Majoris Cartusiæ adoptantes, lac ejus devotionis posteris suis instillaverunt. Filius non degener Hieronymus lac illud sugens, ipsam Cœlitum hominumque Reginam, per quam omnia in mortalium genus ex immenso Divinitatis inexhaustoque fonte derivantur, principe studio et reverentia, velut Dominam servus, filius Matrem venerabatur. Primas partes et secundum Deum (quod par erat) proximas nuncupabat Sanctissimæ Dei Genitrici, quam unam cultu haud vulgari demereri connisus, nihil quod virium suarum esset prætermittebat. Hac enim propitia, Deum norat infensum esse non posse.

Inter septa tesquorum Cartusiæ sacellum extructum est uno circiter leucæ quadrante a monasterio distans, a constructis circum ædiculam sacram casis denominatum *S. Maria de Casalibus.* Ibidem primi Cartusiensium candidati fixere domicilium; sed cœli inclementia et nivium immensitas illos coegit deserere frigidissimam et horridissimam S. Brunonis habitationem, ac descendere tantisper inferius. Locus est etiamnum frequentatus magna religione, et propter sanctorum Patrum commorationem usque ad annum 1133 (quo delecta est statio paulo minus immitior) ne nunc quidem destitutus rore divino. Etenim non ita pridem Paulus Alard laicus notæ pietatis, ilium procidentia laborans, ferreum subligar, quo con-

strictus ascenderat, monimentum collatæ subito sanitatis appendit, regressus plane incolumis.

Difficile creditu est quo animi sensu ædem illam tot impressis beatorum Patrum vestigiis consecratam Hieronymus inviseret. Nonnunquam solebat cum toto Conventu hanc processionaliter visitare nudipes incedens super nivem; divinique amoris facibus accensus, per Missæ solenniter decantatæ spatium perseverabat in eo corporis habitu. Ibi cor effundebat ante conspectum Beatissimæ Virginis, somni cibique prorsus immemor. Aliquando tres quatuorve dies transigebat in hoc sacello, ubi altis suspiriis pectoris illius fores aperiebantur, ex oculis ejus fluebant imbres lachrymarum, oris singultus intercipiebant; animique fornax Dei Genitricis amore succensa, tam ardentes flammas eructabat, ut cum eas debilis caro ferre non posset, vehementiori motu, animo in Deum rapto, plerumque illa fieret insensibilis.

CAPITULUM XXI.

CHARITAS EJUS IN PROXIMUM.

Perpetuæ contemplationis vehiculo ad Beatorum sedes Hieronymus frequenter evolans, alter Prometheus ignem deferebat in terras : redibat etenim ad homines Angelico radians splendore charitatis. In specula Ordinis universi constitutus, haud deses nec incuriosus Pastor, sed singulas oves perlustrans, uniuscujusque mores, statum, qualitates, morbos, vulnera considerabat, illas pharmacis curabat opportunis. Lucerna erat lucens et ardens vir Dei, qui sanctissima conversatione eos, quibuscum versabatur, ita compellebat ad virtutem, ut omnes ab eo velut e salis petra, vitæ cœlestis exempla quibus fierent meliores lamberent. Aperiebat singulis laxissimum paternæ pietatis et confidentiæ sinum, amoreque tenerrimo commissum sibi gregem complectebatur. Universorum communicabat necessitatibus ; circa tentatos potissimum bene affectus, expandebat eis viscera misericordiæ ea cum suavitate verborum, quæ nubila tentationum dissiparet.

Hoc vero præcipuum circa Novitiorum educationem et aliorum regimen habuit, ut nunquam durius aut austerius cum iis, si purgarentur in tentationis conflatorio, ageret. «Quorsum enim, inquiebat, affligamus eum, quem Deus jam affligit? Qui tentatur, non tantum quantum ad se pertinet, tentatur, sed etiam tentatur ratione nostri, ut tentato succurramus.» Si quis vero conspexisset Hieronymum cum tentato confabulantem et adhibentem remedia vulneribus, nunquam existimasset eum vel Primatem Ordinis agere imo nec patrem, sed potius matrem cum indefessa charitate, benignitatis et benevolentiæ mamillis filios lactantem. Ex quo quis non obstupescat qualiter unus et idem homo, ex uno eodemque canali dulces

et amaras fundebat aquas, amaras sibi, cæteris dulces : sibi myrrham, suis recondens aromata?

Supra omne miraculum est quod ad extremam usque diem sibi fuerit durus et immitis, et exemplo potius quam verbo, Cartusiæ monachos ad consimilem vitæ rigorem consectandum adeo provocaverit, ut frenis potius quam calcaribus opus esset. Referebat quandoque V. Antonius des Marests Cartusiæ Conventum per ea tempora tanto fervore spiritus excelluisse, ut necesse fuerit lustrare cellulas singulorum, et instrumenta quamvis piæ, parum tamen consultæ austeritatis, auferre. Verumtamen ascetæ hujus monasterii credebant membra tenuiora posse licite, quod in Capite spinoso videbant, absque periculo propriæ voluntatis imitari. Quod si Dei servus interdum alicui mortificationem quamdam injungendam esse existimaret, id agebat eo cum verborum lenocinio, quod animum Marpesia caute duriorem molliisset. Sic autem non tam imperando quam obsecrando pelliciebat ad sui imitationem, dicens : « Fili mi, rogo te ex intimo cordis affectu, ut mei gratia hodiernam diem pane et aqua contentus transigas. Tui causa vicissim idem faciam. » Is erat suis subditis imperandi modus asperior.

Monachos invisens sollicite sciscitabatur, num quidpiam ipsis deesset. Si vero caligis vel pedulibus aliquem comperisset indigere, confestim sua detrahens, eisdem porrigebat, cruribus nudis et pedibus incedens, donec ab aliquo sic deprehensus alia reciperet : sic aliena magis quam sua necessitate torquebatur.

Solent hujus asperæ solitudinis incolæ venerabiles, solutis generalibus Comitiis, turmatim quotannis per octiduum honestissimæ animi remissionis capiendæ gratia divertere ad Cureriam. Hos Hieronymus opipare perhumaniterque excipiens, post refectionem quaternos in ecclesiam deducebat Hymnum vel Responsoria decantaturos. Quibus peractis, Religiosi per sylvam spatiantes, in Domum reduces advesperascente die, pium Patrem in eodem loco reperiebant. Ipse etenim flexis genibus librum aliquem manu gestans, submissa voce personabat cantus suavissimos, cœlesti plane inenarrabilique gaudio perfusus. Cumque aliquandiu mentem verborum dulcedine refecerat, statim exclamabat, familiari ad Deum colloquio conversus : « Bone Deus, quam sapit Hymnus ille ! Credo divinæ Majestati tuæ hunc esse multum acceptabilem ; lubens iterum atque iterum illum repetam. » Sicque Dei laudibus vix poterat imponere finem et modum.

Non solum suos, sed mortales omnes amore sincero complectebatur, utpote pretiosissimo Christi Sanguine redemptos, ac propterea charissimos ei esse non ignorabat. Unde die noctuque pro illorum salute preces, lachrymas fundebat et sanguinem, ardentissime cupiens omnes salvos fieri.

CAPITULUM XXII.

EJUS CHARITAS ERGA PAUPERES.

Admirabilis plane hujus religiosissimi Patris in egenos charitas fuit; quos tenero amore matris instar complectens, necessaria sibi ipsi, ut plurimum, subtrahebat alimenta, quo illorum necessitatibus subveniret. Creverat cum eo miseratio in calamitosos, in quorum ministerium natus videbatur. Cujus rei fidem exempla subsequentia faciunt.

Cum annuos redditus Obedientiæ Villetæ reciperet, debita a conductoribus exigere pertimescebat, cum illos intelligeret laborare penuria rei familiaris. At mancipes, cognita Hieronymi clementia, plerumque imponebant illius facilitati, dum majorem, quam par erat, simulantes indigentiam, se non habere unde solverent suadebant.

Circa S. Stephani locum visitur hospitium destinatum elephantiæ morbo laborantibus. Ibi Procuratorem Villetæ agens Hieronymus Sacrum sæpe faciebat, et pro pace leprosis dabat oscula. Inter hos unus aderat aspectu multum deformis, quem vir Dei conveniebat frequentissime. Tanto in hunc miserum ferebatur charitatis æstu, ut nonnunquam illum in cubile suum admitteret; lepræ fœda scabie horrentem amplexabatur, non secus ac si Christum excepisset eo corporis habitu. Hunc olentissimum et præ cæteris miserabilem studiosius curabat et officiosius, non immemor hujus modi Lazaros Deo maxime cordi esse, quos tanto securiores esse sciebat æternæ felicitatis, quanto minus hic de præsentis vitæ gaudiis gustarent.

Verum dum ex hujusmodi familiaritate cum leprosis charitas Hieronymi saginata in dies incalesceret, veriti Superiores ne quid contagii ex assidua illa conversatione vir pius contraheret, et osculum simul et illorum frequentationem ei prohibuerunt. Exilientes tamen charitatis in illos flammas tanti Patris haud potuerunt postea continere ; nam ad clavum Ordinis assumptus, mire delectabatur pauperum consortio. Plurimos juxta cellulam congregaverat fœdis affectos morbis, quibus omnia exhibebat Christianæ pietatis officia : horum pedes mundabat et osculabatur, illosque non sine miraculo nonnunquam dimittebat donatos beneficio sanitatis.

Sæpissime circa prandii horam accersebat aliquem parvulum e pannosis, instructaque mensa, sedenti puero suam apponebat pitantiam : dum ipse vicissim ab hospite suo frustulum panis atri mendicans, vitam suam tolerabat hoc cibo aqua condito. Pauperculi etiam pedes lavans, ab eo efflagitabat, ut ter versiculum *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto* recitaret in honorem Sacratissimæ et Sanctissimæ Trinitatis. Aliquando pauperis benedictione desiderans adaugeri, mendico suggerebat hæc verba : « Benedic, Domine Deus, huic misero peccatori Fratri Hieronymo Marchant. »

Si quid cibi lautioris ei subministraretur, per posticum egrediens in Cartusiæ desertum, lignatorem obvium clam advocabat in suam cellulam, cui prandium porrigens mutuo petebat ab eodem panem atrum. Sicque vacuam paropsidem reponens ad fenestram, pia fraude illudebat coquinarium, qui lætus catinum referebat ad culinam, ratus Hieronymum hac die sibi fuisse indulgentiorem.

Egenorum afflictionibus ita movebatur, licet ipse cum suis egens bellorum occasione, ut largas fieri eleemosynas janitori Domus sæpe sæpius inculcaret. Visus est pluries exuere se veste propria (si quando per horrida Cartusiæ tesqua obvium habuisset nudum pauperem), cum oblonga cuculla rediens Domum absque tunica superiori, quam dimiserat in mendici gratiam. Nec curans quid adstantes effutirent, dicebat: « Quidam pauper mihi a Deo missus est, cujus misereri compellor; nam si sic eum vacuum dimiserim, a nullo forte subsidium habebit, et ego immisericordiæ reus ero, qui mox alia veste indui potero. »

Vices Domorum, quas malitia dierum ad inopiam redegerat, dolebat affectu plane paterno; quarum paupertati subvenire satagens, ditiores hortabatur, ut Fratribus necessitatem patientibus opitularentur. Cumque Ordo noster ab ipsa sua origine præcelleret hospitalitate, ne calamitosis temporibus refrigesceret charitas, paulo ante obitum suum, in Comitiis videlicet anni 1594, hanc Ordinationem ordinavit :

« Quia nihil tam decet Christianum nedum Cartusianum, quam charitatis officia et hospitalitatis jura servare erga consortes naturæ, maxime autem ejusdem professionis et vocationis ; ideo pertinere ad Nos judicavimus ea diligentius Nostris commendare, et rogare, ut personas Ordinis ad se adventantes lubenter suscipiant et humaniter tractent, et gratis omnia propter Illius amorem, qui suscepit nos, et omnia imo se ipsum gratis nobis donavit. Hac tamen occasione nolumus personas Ordinis vel ibi diutius manere vel frequentius exire de suis Domibus. Ita tamen officium charitatis commendamus, ut etiam justitiæ partes non debeamus negligere, ad quam maxime spectat reddere unicuique quod suum est. Unde plurimum Nostros rogamus, et in Domino hortamur, ut quæcumque Domus sunt aliis debitrices, quam citissime fieri poterit, satisfaciant creditis. Ad quod compellantur per Visitatores etiam per suspensionem ab officiis : quorum prudentiæ committimus ita sapienter et suaviter omnia disponere, ut a cætero inter Nostros propterea non sint schismata, rixæ et contentiones. Et ideo Cartusia sinum aperiens, offert omnibus filiis suis omnia gratis hospitalitatis et charitatis officia. Domus tamen vicinæ Curiis, nimis frequenti et longa Officialium quorumdam mansione grava-

tæ, possint uti Statuti libertate et indulgentia. »

CAPITULUM XXIII.

PAUPERTATIS AMOR.

Pauperum amator Hieronymus, paupertatem, votis ad paupertatis studium obstrictus, velut pretiosissimam Religionis gemmam colebat. Hujus sic amore afficiebatur, ut nec quicquam penitus illius animum oblectaret, nisi in eo intueretur vestigia paupertatis. Hanc sibi in cella adhibebat familiarem; hanc in habitu, in cibo, in potu ac in rerum omnium usu individuam sibi comitem copulans, in ejus amplexu atque amicitia summam videbatur voluptatem collocasse. Nam quo cibo putas eum famem repulisse? Non pane azymo, oleato vel primario, sed omnino, ut supradiximus, secundario, autopyro et cibario, eoque avenaceo vel hordeaceo, quali utuntur Alpini Allobroges, qui in montium scopulis et tabernaculis demorantur. Potum ejus frigidam dixisse sufficiat. Quali vero lecto uteretur si quis ad cellam venisset internoscendi causa, vidisset lectum cum cæteris communem; sed in eo non reclinabatur nisi febris æstro vehementioris, sed in cellæ aut oratorii pavimento ligneo, imo sæpius nec in ligneo, sed in humo frigida: canibus se inferiorem reputans, qui in modica saltem palea sibi lectisternia componunt. Peduliis raro in hyeme utebatur, nudas plantas crassiori calceo seu sotulari solummodo muniens, non contra frigoris aut nivium pertinaciam, sed contra inanis gloriæ ventum.

Ad totius Ordinis gubernacula sedens, invigilabat paupertatis observationi. Quod si quid vel in rerum usu superfluum, vel in victu abundans, vel in locorum ædificatione exuberantius aut minus eidem virtuti religiosæ consentaneum alicubi esse disceret, protinus curabat tollendum, resecandum, destruendum. Id patet ex mox subjiciendis Capitulorum generalium Ordinationibus ab illo promulgatis. Utque se ipsum testimonio luculentiori prorsus alienum a terrenorum cupiditate demonstraret, munera quorumdam Reverendis Patribus offerri solita respuit hoc Capituli generalis anni 1589 Decreto, cujus tenor talis est:

« Munera vero sive eleemosynas, quæ fortasse spontanea piorum Ordinis virorum vel Domorum voluntate mitti possent vel Domui vel Priori Cartusiæ, vel aliis singularibus ejusdem Domus personis, respuit ipsa Domus Cartusiæ pro sua integritate, et ideo Capitulum prohibet sub pœna absolutionis quoad Officiales, et carceris quoad alios, quantumcumque illa munera sive eleemosynæ aut magnæ aut exiguæ viderentur. Sed si in futurum contingat Cartusiam egere, proponat publice in aula Capituli generalis in schedula suam indigentiam. »

Quamvis, ut supra memoravimus, omni cultu Sanctissimam Eucharistiam

vir Dei veneraretur, audiens tamen Cataloniæ Cartusianos ceremoniis (quæ non olebant simplicitatem Ordinis et paupertatem, imo iis omnino refragabantur) festum hoc celebrare, talem Constitutionem describi curavit in Charta anni 1590, qua prohibet pompam sæcularibus magis quam monachis paupertatem profitentibus convenientem. Cujus tenor talis est :

« Etsi nihil cogitare, nihil desiderare, nihil agere valeamus quod satis sit ad omni honore celebritateque prosequendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, semper et ubique, maxime cum per claustrum processionaliter, juxta Ecclesiæ ritum et Ordinis Statutum, circumferendum est; Regularium tamen apparatus, ornatus et cantus, regulari disciplinæ et gravitati, non sæculari pompæ, debere convenire judicamus. Propterea aulæa, tapetia, aureaque vel argentea et similia ad ornatum vasa vel utensilia, maxime foris quæsita et mendicata, sed et musica omnia, reprehendimus et a nobis arcemus, ut et invitationes sæcularium et convivia sub prætextu ejusmodi officiorum et processionalium devotionum. Super quibus Visitatores Provinciarum vigilent, et transgressores debite puniant, vel ad R. Patrem deferant. »

In iisdem Comitiis zelo zelatus Hieronymus noster pro paupertatis observantia, quam in cibo et vestitu labefactari audierat, huic malo remedium adhibiturus, in eos, qui parum memores suæ professionis delicatiores escas appetebant mollibusque in eremo volebant vestiri, tale Decretum sanxit :

« Etsi semper fuit alienum a Cartusiana simplicitate et paupertate murmurare de victualibus, semperque necessarium vigilare pro resecandis in victu et vestitu superfluitatibus et excessibus; at nunc multo magis, cum in ea inciderimus necessitatis et iniquitatis tempora, ut velle abundare, ut ante, multis fame pereuntibus, et magna ex parte direptis Domorum facultatibus, sit irrationabile et inhumanum; et nolle aliquid pati pro peccatis propriis et communibus, sit impium. Unde cogimur quascumque Domorum consuetudines de lautioribus cibis et vestibus ministrandis, tam in quantitate quam in qualitate, tam diebus solennibus quam festivalibus et ferialibus, ad omnem simplicitatem, mensuramque rationabilem, apparatumque facilem et religiosum ac monasticum reducere, prout tenore præsentis Decreti et Ordinationis facimus : Nostris omnibus intimantes inter media ad profectum conducentia, interque remedia ad Divinam iram mitigandam adhibenda, hoc plurimum valiturum, si prædictas consuetudines Domorum in lautiori victu et cultiori vestitu patiantur et ferant reduci ad limites justæ necessitatis; debereque monacho sufficere, si fames undequaque propulsetur, et nuditas operiatur : ita tamen ut Priores id faciant ratione non

tenacitate, quorum judicio nihilominus in his omnibus stari volumus. »

Statuit etiam R. Pater, anno 1593, ut in constructione Domus Romæ servaretur Cartusiensis et monastica simplicitas, ad quam etiam mandavit reduci jam ædificata. Deo suo mente jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videbatur, despiciens, solam paupertatem ambiebat, memor priscos Patres nostros Pauperes se cognominasse. Nam apud Petrum Cluniacensem, Prior Majorevi, quod est Cartusianorum cœnobium, inscribit se Priorem Pauperum Majorevi. Ab hoc igitur spiritu primigenio non desciscens, sollicitus erat ne quis leges paupertatis voto semel oblatæ supremo Numini violaret : atque ideo semper invigilans, semper erat pavidus.

Cumque ipse suo exemplo virtutem hanc religiosam prædicaret, ipsam anno 1594 per Chartam Capituli generalis commendat his verbis : « Maximo nostro dolore intelleximus quosdam ex Nostris ita suæ professionis et paupertatis oblitos, ut non ex divitiis ad paupertatem, sed a paupertate ad divitias et cupiditates transisse videantur. Unde illos gravissime monemus et hortamur in Domino, ut tandem intelligant, nihil sibi licere apud se servare, nec Superioribus concedere, quam quæ ad simplicem usum et vitæ necessitatem pertineant, juxta sacros Canones et maxime sacri Concilii Tridentini : quæ satis nostra Statuta declarant. Super quo primum Priores, secundo Visitatores, si illi neglexerint, diligentissime invigilent, ne Deus offendatur, et tam sancta professio violetur. »

CAPITULUM XXIV.

CHARITAS ERGA DEFUNCTOS.

Nullis Hieronymi charitas spatiis coarctabatur. Suspeximus ejus sublimitatem, qua velut aquila ardentissime ferebatur in Cœlum. Illius latitudinem mirati sumus, qua sincero complectebatur amore singulos homines. Nemo dubitabit de virtutis ejus eximiæ profundo, si dejiciat oculos in virum quotidie spiritu descendentem in regionem expiationis, in horroris locum, in acerbissimum ignem, ubi defunctorum animæ detinentur non ad iram quidem sed ad misericordiam, non ad destructionem sed ad instructionem : ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Summa motus compassione servus Dei, surgebat in adjutorium illis, interpellabat gemitibus, implorabat suspiriis, persolvebat Officia, exercebat flagellationes, pro iis celebrabat Missas, singularique satisfaciebat sacrificio, ut Deus laborem illorum converteret in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim et hujusmodi pietatis Christianæ officiis sciebat justum placari Judicem, ipsum reddi propitium, resecari mortuorum pœnitentiam, finiri laborem, destrui pœnam,

flammas extingui piaculares, et animas educi in refrigerii locum.

Quoties pius Pater, peractis Matutinarum precibus, cellam repetens, statim ad cœmeterium accessit! Quoties ibidem reliquam noctem transegit Deum deprecans Judicem! Nunc in hoc tumulo gramineo nunc in altero prostratus, singulis spirituales erogabat eleemosynas indesinenter, dicens hunc versiculum : « *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis*. Dona eis, Domine, requiem æternam, et eis luceat lux perpetua ; » sicque centum modis hujus versiculi verba transponens, illum millies repetebat tam lamentabili lugubrique vocis tono, ut e silice lachrymas elicuisset. Sic perseverabat in oratione, donec sæpe sæpius nive coopertus, vehementia frigoris ad cellam redire cogeretur. Hæc pietatis officia defunctis præstare solitus erat non solum post Matutinas, verum etiam quoties præ infirmitatibus, medico sic ordinante, a sacra synaxi nocturna aberat. Per illud temporis spatium nonnunquam, remotis arbitris, pernoctabat in cœmeterio quoadusque e loco cedere compelleretur : timebat enim deprehendi a Religiosis e templo egressuris.

Sistebant se Hieronymo Fidelium animæ, ut preces ad Deum pro eis funderet, quibus ad Cœlum evolarent celerius. Multos etiam obiisse divinitus cognoscebat, in cujus rei argumentum duo exempla subjicio.

Ad vitam meliorem Maria Rion monialis Gosnay migravit anno 1589, die 11 Aprilis, ingenti relicta sanctitatis opinione. Antequam autem mortis ejus nuncius pervenisset ad Majorem Cartusiam, R. P. Hieronymus Mariæ obitum in Charta Capituli generalis describi mandavit, dicens : « Inter Defunctas recenseatur Soror Maria de Rion Monialis Gosnay. » In quo uter major sit sanctimonia, judicandum relinquitur, an illa cujus mors præcognita fuit, an qui præscivit?

Ea ipsa hora qua R. P. Guillelmus Cheilsomius, quondam Vasionensis episcopus, Prior Cartusiæ Romanæ, decessit, certissime constat Hieronymum illius mortem divinitus cognovisse. Cum enim solus tunc ob incendium habitaret Cartusiam, vixdum ab Ecclesia reversum Antonium des Marests Sacristam adiit, indicans se petere Cureriam, justa persoluturus Reverendissimo Præsuli fatis functo. Nec mora; viæ se committit, et venit opportune pro defuncti requie Sacrum peracturus. Literæ postea a tabellario delatæ piissimam Guillelmi mortem annunciantes, revelationis veritatem comprobarunt.

CAPITULUM XXV.

DE HIERONYMI DISCRETIONE.

Simplicitatem hujus eximii Patris, de qua jam egimus, destruere videbatur non vulgaris illa discretionis maturitas, qua in rebus gerendis supra omnem existimationem pollebat. Rursus si quis

ad amussim, discretione seposita, simplicitatem solum attendisset et trutinasset, nulla alia virtute illum præcellere asseverasset quam simplicitate. Et tamen utræque in eo virtutes miro quodam nexu colligatæ erant, ut æqualiter in discretione simplex, et in simplicitate discretus haberetur. Simplicitas enim, quæ in eo relucebat, non erat illa hebetudo animi ad socordiam vergens, quæ rusticarum mentium esse solet; sed virtus quæ reperitur in ipsis discretioribus, cum sit animi quidam candor et ab omni dolo prorsus dissita ingenuitas, quæ nocere non novit, et non attendit in nocentes. Discretionem igitur non extinxit Hieronymi angelica simplicitas, sed eam etiam magis adauxit; adeo ut, inter tantam negotiorum molem quam sustinere debet Ordinis Antesignanus, quicquid actitaret, disponeret, decerneret, in nullo a nasutissimis quibusque lima correctionis raderetur.

In Superiores vero potius quam in cæteros monachos claustrales animadvertebat, si a rationis orbita vel tantillum deflecterent. « Quid enim (inquiebat) mihi cum gregariis monachis? Nonne ipsi suos Prælatos habent, a quibus, si quid distorte egerint, corrigantur? At vero Priores, qui vel monitis vel exemplis inferiorum ad meliora proficere renuunt, a quo demum purgabuntur correctionis cauterio, nisi ab eo quem Dominus in hoc posuit? » Unde cum percepisset quemdam Priorem durius egisse cum quibusdam Nobilibus, unde Domus illius magnum in temporalibus damnum perpessa erat, acrius eum objurgavit, quod austerior et rusticior fuisset in illos Magnates. Insuper et arguit illum, quod penuriæ Domus providere volens, seniores emisisset, junioribus retentis.

Spiritu discretionis illustratus, quid unicuique expediret, cognoscebat. Aliquando venerunt ad Cartusiam duo ex Capucinorum familia Patres, ea intentione ut, dimisso S. Francisci habitu, cuculla Cartusianorum induerentur. Quos pluribus horis Hieronymus detinuit, inconstantiæ et deceptionis ab antiquo hoste omnes angulos reserans, multa super illorum Regula disserens, rogans denique ne primam facerent irritam vocationem et se perditionis exponerent periculo. Qui tandem illius verbis ad mentem saniorem reducti, non valentes Spiritui Sancto resistere qui per illius os loquebatur, plurimas agentes gratias, ad propria redierunt. Ex quo mire exhilaratus Hieronymus, ad suos reversus dicebat : « Congratulamini mihi, filii mei, quia modo duos Capucinos a periculo damnationis eripui. Si enim nobiscum mansissent, non essent salvati nobiscum. »

Unde vix admittebat aliorum Ordinum Religiosos qui ad Cartusienses transire postulabant, nisi ea lege, quod nunquam ad Ordinis officia assumerentur. Cujus rei Decretum emanavit a Capitulo generali anni 1589 his verbis: « Prohibemus præsenti Decreto, ne quis

imposterum cujuscumque alterius Religionis admittatur in Ordinem nostrum ad habitum Ordinis, nisi cum expresso pacto, quod nunquam promoveatur ad officia Ordinis. Hi vero qui jam sunt recepti ad Novitiatum, possunt habere officia, si Superioribus illorum visum fuerit; et qui jam habent, possunt ea retinere et ad alia promoveri. »

Habitum etiam denegavit cuidam Augustiniano, qui licentiam obtinuerat intrandi in Domum de Paulari. Verba Chartæ anni 1593 subjicio : « Declaramus præterea Fratrem Franciscum Guevarra Augustinianum non esse recipiendum, juxta sententiam et patentes R. P. Prioris Cartusiæ, non obstantibus literis quas a Pœnitentiaria Romana obtinuit, quæ sunt subreptitiæ et obreptitiæ. »

Cum enim unusquisque debeat permanere in vocatione qua vocatus est, facessunt nobis plerumque multa negotia, qui de uno ad alium Ordinem transeunt. Pertæsi namque statim novæ Religionis, ad illam quam dimiserunt, cogitant remeare.

Eodem spiritu discretionis actus R. Pater, se se prudenter gessit in negotio quod referimus. Joannes Trehoult Gynæcei Gosnayensis olim Vicarius, vir omni conspicuus bonitate, cum quadam die in oratione positus vidisset quasdam moniales, quæ pridem in communi cœmeterio tumulatæ fuerant, simul ascendentes et quasi in cœlum volare nitentes, ornatas vestibus illis, quarum usus est in benedictione et consecratione monialium, audivit etiam quomodo petebant ab eo, ut curaret apud Patres Ordinis, quatenus earum corpora transferrentur in locum decentiorem. Qui mox rem totam Hieronymo significavit. Cui R. Pater respondit, jubere se ut prædictis Beatis monialibus diceret Ordinem Cartusiensem non ita splendide ditatum, quo in ejusmodi elevationem sumptus haberet sufficientes, ac proinde contentæ essent gloria illa, quam in Cœlis erant adeptæ. Quapropter ab eo tempore amplius non comparuerunt.

Circa vero Novitiorum receptionem, quam mature et librate penitissima quæque scrutaretur, plures mirati sunt; quibus hoc unico satisfaciebat : Melius est mori absque filiis, quam relinquere filios impios.

Quidam Novitius Hispanus se Doctorali laurea inauguratum jactans, cum in refectorio legeret, oratorisque personam effingeret contra Ordinis nostri simplicitatem in pronunciatione, illum deprimendi gratia R. Pater circa quosdam accentus, quos extra quantitatis regulam ab eo pronunciari cupiebat, emendavit. Contumax Novitius reprehendenti noluit acquiescere. Unde post peractas in ecclesia gratiarum actiones, ad colloquium convocatis Patribus Novitii arrogantiam exponens, ipsum ex Ordine eliminavit.

Cum autem animadverteret obser-

vantiam regularem jacere in parvis Domibus, statuit, anno 1594, ne ulli imposterum Novitii reciperentur in illis monasteriis. Talis est autem Ordinatio :

« Quoniam ex bona Novitiorum receptione et educatione præcipua Ordinis nostri reformatio et profectus pendet, ordinamus ut in posterum nullus Novitius recipiatur in Domibus, in quibus nec divinum Officium cum cantu et celebritate debita persolvitur, nec cellæ et silentii aliarumque regularium observantiarum custodia exacte servari potest. In cæteris vero Domibus non aliter recipiantur Novitii nisi cum consilio Visitatorum aut alterius eorum quando ambo consuli commode non poterunt, ad quos mittentur nomina et qualitates recipiendorum. Ipsi vero considerabunt in qua Provinciæ suæ Domo recipiendi possint utilius institui, et ad eam mittent illos suscipiendos a Conventu, juxta formam Statutorum nostrorum. Volumus præterea ejusdem Domus Novitios unius Magistri directione institui juxta formam ab Ordine præscribendam ; quæ, ut exactior prodeat, committitur Visitatoribus Provinciarum, quatenus seligant aliquos Priores aut monachos suæ Provinciæ doctrina, experientia et zelo Ordinis præstantiores, qui formam instituendorum Novitiorum describant et ad R. P. Priorem Cartusiæ mittant, ut ex omnium laboribus per aliquos a se deligendos Directorium Novitiorum colligatur et perscribatur offerendum postea Capitulo generali, et, ejus judicio adhibito, imprimendum nomine totius Ordinis. »

Mandavit etiam R. P. Hieronymus, ut Patres Ordinis penes se et inter se perpenderent, quo pacto parvæ illæ Domus in unam aliquam Conventualem conflarentur. Hujus autem rei gratia duæ emanarunt e Capitulo generali Ordinationes. Prima fuit anno 1592 promulgata, quæ sic incipit :

« Cum sciamus in parvis Domibus observantiam vix posse observari, ut cætera taceamus, committimus Visitatoribus Provinciarum maxime Franciæ et Italiæ, ut inter se conferant de modo faciendi uniones. Propter quod conveniant personas quæ conveniri debent, cæteraque agent diligentissime quæ ad hoc negotium promovendum facere videbuntur, in quo zelum fidemque in Ordinem maxime testatam facient. Porro illis sit etiam concessum uti opera cujusvis ad id idonei Prioris, qualem judicamus esse in Provincia Lombardiæ propinquioris Priorem Domus Parmæ, et in Provincia Franciæ Priorem Belnæ. Expensæ itinerariæ fient ab ipsis Commissariis postea distribuendæ, prout æquitas suggesserit. »

Altera Ordinatio facta fuit anno 1594; cujus tenor talis est :

« Inhærentes Ordinationi Capituli generalis anni 1592, quæ incipit, *Cum sciamus in parvis Domibus...*, injungimus omnibus Italiæ præsertim ac Fran-

ciæ Visitatoribus, ut cum auxilio eorum quos ad hoc idoneos judicaverint, omnes et singuli in suis Provinciis omnem operam impendant et omni sollicitudine laborent in procuranda parvarum Domorum unione, vel inter se, vel cum aliis ejusdem Provinciæ Domibus. Quod si aliquæ aliis uniri nequeant, iidem Visitatores expensis Provinciæ totius, ac diminuto in majoribus Domibus, si opus fuerit, numero monachorum, provideant ut hujusmodi parvæ Domus in eum statum redigantur in quo possint alere duodecim monachos, ut tam in divino Officio celebrando quam in aliis regularibus observantiis vigere in eis valeat Ordinis disciplina. In cujus Ordinationis executionem, Visitatores Lombardiæ propinquioris Domos Montis benedicti et Montis Brachii simul uniri procurent, permittentes locos Genuæ ad Domum Savonæ pertinentes posse distrahi et converti in emptionem bonorum stabilium, pro ampliatione majori dictæ Domus Savonæ, cum eodem onere apposito in comperis S. Georgii. »

Quamvis autem super hoc hæ fuerint Ordinationes constitutæ, reclamantibus tamen nonnullis ex genere præcipue Fundatorum, res infecta remansit.

CAPITULUM XXVI.

DE FERVENTI ILLIUS ZELO.

Ad totius Ordinis moderamen assumptus, sciens de commisso grege se redditurum rationem, Principesque populi fuisse suspensos olim in patibulis et affixos contra solem propter populi peccata, resecabat mala, quæ quandoque in Religione serpunt; et eorum authores, ne in pejus ruerent, neve Dominicus grex inficeretur eorum tabe, debitis castigabat pœnis. Qui enim, teste Gregorio, non corrigit resecanda, committit; et facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.

Cum autem Pastor debeat fieri forma gregis, sollicitus erat imprimis eos præficere, qui cæteros virtute potius quam dignitate præcellerent. Et quia homines amplius oculis quam auribus credunt, curabat viros irreprehensibiles instituere in Priores. Cujus rei gratia talem Ordinationem anno 1589 promulgavit: « Quoniam per malos et ineptos Officiales magna malorum pars oritur, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ neminem unquam posse eligi aut institui Priorem, Vicarium, Antiquiorem, Procuratorem et Sacristam, multo autem minus Visitatorem cujuscumque Domus aut Provinciæ, qui semel crimen commiserit de quo constet, vel qui sit aperte malæ famæ, aut etiam dubiæ et suspectæ apud probos et graves viros vel Ordinis vel etiam extraneos, prout expresse habetur in Statutis. Quod si aliter alicujus Officialis electio aut institutio facta fuerit, ipso jure nulla sit. »

Ne autem licentiis observantia regularis labefactaretur, eodem anno, revo-

cat eas quæ concessæ fuerant, his verbis : « Quia multæ licentiæ tam recreationum, quam aliarum rerum, contra Statuta multis permissæ sunt, præsenti Decreto omnes illas revocamus, et de cætero ne fiant prohibemus. »

Conventuales cujusdam Domus Picardiæ instíterunt apud Hieronymum quatenus, ob palustrem situm suæ Domus et crassiorem aerem, liceret eis per tres dies continuos spatiari extra Domum tribus diebus Minutionum generalium, et insuper festivis diebus post Nonam pergere in viridarium Domus, quod *retrocellas* dicunt, sicut non ita pridem R. P. Carassus ejus prædecessor hoc idem concesserat monachis Montis Dei ; querentes insuper apud eumdem, quod VV. PP. Joannes Michel Parisiensis et Jacobus Cadet Fontis B. Mariæ Priores in postrema Visitatione his licentiis subscribere noluissent. Ad quæ respondit propria manu Hieronymus in hunc modum : « Dilectissimi in Christo Fratres, Ordinationem Patrum Visitatorum quos nuper Commissarios ad vos direximus, secundum Deum et juxta mentem Ordinis factam censemus. Nobis olim, sicut modo vobis, grave fuit his prætensis commodis caruisse. Sed pro amore Dei ab his nos continuimus ; ex quo jam non minimum gaudemus, sicut et vos idem facere ex animo rogamus : quod et facturos vos speramus. Confratres nostri de Monte Dei idem quod et vos facere deberent. F. Hieronymus. »

Nonnullos etiam Religiosos morum probitate, pietate ac religione præstantes misit in Italiam, qui sua conversatione disciplinam monasticam stabilirent.

Excelluit imprimis Hieronymi zelus, ut Ordinis nostri moniales per sanctioris vitæ semitas graderentur. Cum enim intellexisset observantiam multum intepuisse in nonnullis earum asceteriis, et ea necdum ad Concilii Tridentini formam fuisse reducta, omnem movit lapidem quo Christi Sponsas uni viro Christo copularet, abdicatis earum faciem deturpantibus maculis. Sed in hujusmodi negotio magnanimitate haud vulgari opus fuit. Clausura nulla erat apud eas, quæ sicut monachi gaudebant extra Domum hebdomadali Spatiamento, quamvis per totam hebdomadam nec silentium nec cellam, ut monachi, tenerent. Promiscuus accessus virorum et mulierum ad eas intra septa parthenii, jam Cartusianismum ab eorum monasteriis profligaverat. Erat ergo videre miseriam. Si quando Visitatores durius solito contra vulpeculas illas, quæ vineas demoliebantur, inclamassent, protinus aderant, qui minas intentabant ex consanguineis monialium. Verum his non obstantibus, zelo suo armatus Hieronymus nunquam destitit donec cunctas ad limam correxit et regulam, primo precibus, deinde minis, et tandem coactionibus.

Anno 1589 prohibet ne monachi nostri Ordinis accedant ad Domos monialium. Talis est autem hæc Ordinatio :

« Ut quieti et utilitati nostrarum monialium consulamus, prohibemus omnibus personis Ordinis, ne ad illarum monasteria adeant, nec suos famulos mittant, nec ab illis munera vel literas accipiant vel dent. Si quid tamen Priores vel Conventus dare eleemosynæ nomine ipsis monialibus voluerint, mittant illud non singularibus personis, sed toti Domui et Conventui earum. Visitatores tamen poterunt ad Domos illarum proficisci secundum formam Statuti. Quam Ordinationem extendimus ad omnes moniales exterarum Religionum. »

Anno subsequenti ad clausuram illas exhortatur his verbis :

« Inhærentes Capitulorum præcedentium Chartis et Patrum decretis, quæ renovamus in quantum subsequentibus consentiunt : Omnes et singulas moniales professas monemus, et obsecramus, et hortamur in Domino, ut pro Dei et Domini nostri Jesu Christi earum Sponsi amore et reverentia, suscipiant reformationem clausuræ et vitæ communis ad formam sacri Concilii Tridentini Bullarumque Summorum Pontificum, super quibus certum est Capitulum generale et minus Priorem Cartusiæ nullo modo posse dispensare, cum unum sit de essentia Religionis et alterum de sexus decentia sub præcepto. Et ne illas videamur nimis urgere, tres illis terminos assignamus singulos singulis mensibus a se sejunctos, quibus ordinamus illas moneri et induci tam probabilibus quam necessariis causis ad salutem ad recipiendum utrumque : quod si non præstiterint, dictis tribus terminis elapsis, ex tunc prout ex nunc, illarum cura tam in temporalibus quam in spiritualibus Nos nostrumque Ordinem liberamus, et eas gubernationi Reverendissimorum Episcoporum Ordinariorum relinquimus vi sacri Concilii Tridentini Brevisque peculiaris a Summo Pontifice in hunc effectum emanati, ne peccatis alienis communicemus, qui propriis plus satis oneramur.

« Et ut nihil intentatum relinquamus, quo commodius illarum saluti consulamus, volumus, ut a Priore Cartusiæ tempore opportuno Commissarii deputandi ante executionem præsentis Ordinationis accedant illustres et nobiles Dominos monialium parentes et affines, quos conveniendos judicaverint; quibus declarent sanctam intentionem Ordinis, qui eousque se dimisit et progressus est, ut non dubitaverit se ipsum onerare ad suppeditandum illis quæcumque necessaria ad effectum superiorum, judicio bonorum virorum determinanda. Quorum Nobilium idem Ordo implorat sicut et quorumcumque Magistratuum, quantum necessarium fuerit, consilium, favorem et auxilium pro Dei honore et Status ecclesiastici et monastici conservatione.

« Per hoc tamen Decretum non intendimus Nos nostrumque Ordinem privare suo jure, quod in dictis monialium monasteriis habemus ex pia Fun-

datorum intentione et voluntate vel alio quocumque titulo : sicut nec in Polensi monasterio nos privare donatione et consensu Principis dicti monasterii Fundatoris, qui voluit dictum monasterium fieri seminarium Religiosorum Ordinis nostri, translatis inde sub congrua pensione ad alia monasteria ejusdem Domus professis monialibus ; quibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut infra duos menses significent Priori Cartusiæ gravamina et falsa per eum Principi proposita, quorum prætextu asserunt prædictum Principem huic translationi et donationi consensisse. »

Multis itaque supplicationibus præviis promittens se curaturum quatenus earum pomœria dilatarentur ad spatiandum, et de rebus aliis necessariis eisdem provideretur, hanc Ordinationem anno 1593 fecit :

« Capitulum generale, pro subventione monialium pauperum nostri Ordinis, quo facilius ad reformationem et susceptionem clausuræ perpetuæ et vitæ communis promoveantur, committit Visitatoribus Provinciarum, ut pro facultate singularum Domorum inducant Priores ad conferendum aliquid eleemosynæ, juxta taxam et distributionem infra scriptam, usque ad decennium. Si tamen dictæ moniales reformationem jam cœptam et tentatam non receperint, nullo modo intendit idem Capitulum eas juvare, sed singulis Domibus reddi quod pie in eas contulerint. Prædicta autem eleemosyna solvetur juxta distributionem ab eodem Capitulo generali ordinatam et confirmatam, ut videlicet Provincia Lombardiæ remotioris solvat 380 scuta auri; Provincia Tusciæ, 100 ; Lombardiæ propinquioris, 250 ; Castellæ, 200 ; Cataloniæ, 150 ; Provinciæ, 50 ; Burgundiæ, 70. Dictaque summa a singulis Domibus per Visitatores collecta mittetur singulis annis ad R. P. Priorem Cartusiæ, cui Capitulum generale commisit curam reformationis dictarum monialium, eisque providendi pro sua prudentia et pietate. »

Tam strenue laboravit Hieronymus noster pro restauranda apud moniales regulari disciplina, ut ea, quæ nunc viget in earum asceteriis, observantia, cultus silentii et solitudinis, clausura partheniorum, et laudabilis earumdem conversatio, paternis illius curis, fusis ab eodem ante Deum precibus et lachrymis adscribenda sint. Nec silentio premendum moniales Gosnayenses et Brugenses, quæ minus præ cæteris ab Instituto defecerant, minus etiam præ cæteris cunctatas fuisse ab subeundam reformationem. Cujus causa idem R. Pater gratiosas et benevolentiæ plenas literas eisdem congratulatus scripsit.

Accepit etiam illius zelus armaturam in vitiis corruptos et duræ cervicis Religiosos. Hanc vero consuetudinem sibi adsciverat, ut pro unius animæ salute, quam deliquisse compererat, disciplinarum aspergillis carnem suam laceraret usque ad sanguinis effusionem.

CAPITULUM XXVII.

EJUS PATIENTIA IN ADVERSIS.

Cum perfecta mentis humilitas nunquam sterilis sit, sed fœcunda, eam in servo Dei progignebat patientiam, quæ non solum illum inter corporis molestias et dolores præstaret immobilem, sed etiam inter adversa quæque constantissimum. Cum enim suis in oculis sibi vilescens se scelestum hominem esse crederet et prædicaret, quicquid sibi calamitatis accidebat suis peccatis adscribens, se longe majores mereri pœnas existimabat. Æquo tulit animo Cartusiæ Majoris et Correriæ incinerationem aliosque adversos casus, qui sub illius regimine contigerunt. Verum hæc omnia non fuerunt ad illius ruinam, sed virtutem tanti Pastoris magis ac magis illustraverunt.

Gratianopolitana civitate per id temporis a Calvinistis intercepta devastataque, Hæretici, viribus animisque pariter audacia crescentibus, circumvicinas regiones depopulati, grangiam Melani non multum ab hac urbe remotam exspoliarunt. Ad malorum culmen nongenta scuta fuerunt direpta, quæ Conventus Gallicanæ Ecclesiæ collegerat ex prædiis emancipatis, in exercitus regii subsidium contra perduelles Hæreticos.

Quid postea? Non Chaldæi sed Delphinenses milites, imo prædones fecerunt tres turmas : primam ad Pontem, secundam ad fortalitium de l'Œillette, tertiam vero ad granaria Correriæ; sub prætextu, ut dicebant, viæ monasterii et montium conservandæ, sed potius ut cibariam monachorum annonam comederent, quibus tunc frequens erat abstinentia. Cum secundarius deerat panis, sufficiebat eis ater, modo haberent honestiorem ex civitate pro refectorio. Nam ex diuturnis bellorum dissidiis et ex recenti calamitate quam ignis invexerat, Cartusia Major ad eam devenerat paupertatem et tenuitatem, ut et ipsamet mendicare cogeretur, et qui erant tum ibidem Novitii unico indusio seu subucula attrita uterentur ad carnem, quam post octo menses nonnulli eorum ob fœtorem urgebantur exuere ad lavandum.

His et aliis flagellatus ærumnis R. Pater Deo semper regratiabatur, in ejusdem bonitatis et providentiæ laudes effusus ; cumque, bonorum suorum operum parcissimus æstimator, appenderet sua peccata et calamitates quas patiebatur in statera, severus sui judex credebat longe graviorem esse suam iniquitatem. Hac armatus cogitatione, omnia sufferebat. Ex multis unum hic exemplum adjicio.

Cum adhuc Cartusiæ Vicarium ageret, inter cæteros Novitios erat quidam, quem ob immorigeros mores decebat sæpius objurgare. At ille cum in reprobum sensum datus esset ac nollet a vesania desistere, perrexit aliquando ad Hieronymum licentiam petiturus incongruam. Quam ubi denegavit, mox in eum insurgit Novitius truculenter,

et tusionibus repetitis et ictibus vulneratum dimittens, rediit ad cellam quasi nullius mali conscius. Decumbit interea Vicarius ex livoribus et vulneribus; rogatur, quis vel unde tales plagæ. Nihil respondet omnino patientissimus vir, donec obedientia præstrictus rem pandit; sicque Novitius, qui nive innocentior videri volebat, dimissus est ad ollas et allia Ægypti, quæ reliquerat.

Feliciorem in subsequenti Capitulo prolem licebit deprehendere, quæ mœrorem Patris excutiet. Multiplicata namque gens sancta, Hieronymi tot attriti tribulationibus lætitiam magnificavit, ut ex mox recensendis ejus alumnis licet conjicere.

CAPITULUM XXVIII.

NONNULLI EX R. P. HIERONYMI DISCIPULIS VIRI ILLUSTRES ET SANCTITATE CLARI.

Damna a pseudomonachis illata Religioni nostræ resarciunt alumni, quos summus hic Cartusiensium Præses in Christo genuit. Hos Deus suis adauxit benedictionibus dulcedinis, ac feliciter eorum amplificavit numerum; ita ut e primaria Cartusia sub tanti Patris regimine viri prodierint, qui per Burgundiam vicinioresque imo et remotiores Provincias se se diffunderent, Ordinemque nostrum revocarent ad suam pristinam plenitudinem. Primus autem quos omine faustissimo ad professionem recepit Hieronymus, fuit Vianus Gravel.

Vianus Gravel, natione Lotharingus, votis monasticis se constringit anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, in ipsa Beatissimæ Virginis Mariæ Visitationis Solennitate. Ad omnem observantiam regularem efformatus a magistro suo spirituali, primum Cartusiæ Romanæ Vicarius instituitur. Paulo post mittitur ad Domum Seiz in Styria. Jam dudum hoc asceterium ob bellicos tumultus deficiebat in utroque statu; cumque indigeret homine cujus industria ac moribus religiosis ad primævum reduceretur monasticæ disciplinæ splendorem, delectus ad id operis Vianus, ea cum vigilantia solertiaque suum implevit ministerium, ut jure merito alter hujus cœnobii Fundator habeatur. Nemo pro rei magnitudine potest exprimere, quanto ipse zelo æstuque pietatis exarserit, quam sedula opera institerit, ut sua Domus, imo tota Provincia Alemaniæ Superioris cujus erat Visitator, expurgata omni nævo nequitiæ floreret in Statutorum nostrorum observantia, cujus ipse leges semper servavit illibatas. De Ordine nostro optime meritus ad beatam immortalitatem migravit, anno 1623, die 14 Januarii, divinis signis post mortem coruscus.

Thomas Cocquebart, ex oppido de Salency in Picardia oriundus; vota monastica nuncupans, anno 1588, die 1 Novembris, præfuit Cartusiæ Lugdunensi. Cujus abdicato regimine, fatis cessit anno 1617, die 11 Maii, relicta sanctitatis opinione.

Bruno d'Affringues, anno 1591, die 1 Aprilis, votis adscriptus inter Cartusianos, ob virtutem et doctrinam singularem toti Cartusiensi familiæ præficitur. Ejus Vitam dedimus ad diem 6 Martii.

Michael Boudet, Sammenchildensis, anno 1591, 8 Decembris, Institutum nostrum professus, ea sanctimonia floruit eaque in pauperes charitate, quæ Gebennenses hæreticos rapiebat in sui admirationem. Pie moritur 27 Maii 1629.

Petrus Paulus Robineau, juxta Cartusiæ Lugdunensis Chronicon, recensendus est inter Hieronymi professos. Hic, circa annum 1590, divino illustratus lumine ab hæreseos tenebris ad æternæ veritatis lumen oculos aperiens, orthodoxæ Fidei dogmata sectatus, ita plene et perfecte ad Deum convertitur, ut Spiritus Sancti gratia impulsus, sæculo valedicens, Christi suave jugum in Cartusia Majori amplexatus fuerit. Se autem Divino famulatui mancipans, sua etiam adjecit, dum ultimis tabulis ante professionem suam duo millia scutorum legavit ad Cartusiæ Lugduni, unde oriundus erat, constructionem. Hac summa in ædificiis expensa, Petrus Paulus tria alia librarum millia in honorem Sanctissimæ Trinitatis superaddidit, quæ statim sex etiam millibus libris adaucta fuere. Quibus non contentus præ ardenti desiderio quo flagrabat pauperem fieri, Christum suis ditaturus divitiis, septem alia millia vir plane munificus elargitus est, ut septiformem Sancti Spiritus gratiam et veneraretur promereretürque. Demum tanto benevolentiæ ac devotionis exarsit affectu, ut sicut Deum Unicum in Trinitate, et Deum Hominem et Magistrum coluerat, discipulos quoque honore prosecuturus, in eorum memoriam duodecim scutorum millia, in suos usus reservata, libentissime distribuit. Tanti benefactoris obitus notatur in Charta Capituli generalis anni 1600; ubi mortuus dicitur Antiquior Cureriæ, donaturque beneficio Missæ Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ per totum Ordinem. Decessit die 21 Januarii.

Deodatus du Tillet, vir tam in sæculo quam in Religione percelebris; anno 1593, die 1 Novembris, per solennem professionem inter Nostros annumeratus, vitæ admodum religiosæ exemplis Ordinem illustravit aliorum regimini admotus. Cætera de eo subticemus, plura dicturi ad diem 25 Decembris, qua requievit a laboribus suis.

Basilius de la Varde, Auxicensis, Vitam monasticam professus die 4 Februarii, anno 1594. Rector Cureriæ decessit anno 1650, 27 Julii. Cognatus erat Hieronymi et sedulus imitator.

Anthelmus Ginodi, nepos Reverendissimi Joannis Gotofredi Ginodi episcopi Bellicensis; die supra memorata Februarii quarta anni 1594 votis astrictus monasticis, diem extremum clausit Romæ, anno 1636. Alias Priorem egerat Capri et Trisulti. Mathematicus insignis et Patribus purpuratis percharus ob mores religiosissimos.

Christophorus Agnesius professionem emisit anno 1594, 17 Aprilis. Admotus regimini Cartusiarum Capri et Petræ Castri, Visitatorque Lombardiæ remotioris institutus, cum Pastorale munus abdicasset, ad vitam meliorem migravit anno 1630, 19 Martii. Vir fuit eximiæ in pauperes charitatis.

Petrus Serval, patria Remensis, canonicus ecclesiæ Cathedralis et Archidiaconus; interfuit nomine Cleri Remensis Comitiis Blesensibus; bis Romam perrexit. Anno 1593, mense Octobri, ab Hieronymo donatus habitu Novitii, vix vota monastica nuncupaverat, anno subsequente, die 6 Octobris, cum ob rerum agendarum peritiam ad diversa Ordinis munia assumptus est. Multos pro Religione nostra labores et longinquas peregrinationes, in Italiam videlicet, Belgium et Hollandiam usque, subivit. Mandatum etiam accepit lustrandi Provincias Hispaniæ, ubi tam honorifice a Rege Catholico fuit exceptus, ut Princeps venerandum senem nudato capite stare coram se non pateretur. Scriba fuit Capituli generalis, deinde Lugdunensis Domus Prior et Montis Dei Picardiæque Visitator. Postea revocatus ad Cartusiæ Lugdunensis moderamen, post triennium propter ætatis jam provectæ incommoda et attriti corporis continuas infirmitates (in quibus per annum languidus jacuit) ad suam instantiam ab officii sarcina exoneratus est.

Labente autem mense Julio tam mentis quam corporis factus impos, minus tamen urgente vi ægritudinis, interdum resipuit; clarescenteque rationis lumine, quicquid ab ultima peccatorum Confessione generali commiserat, summa contritione cordis expiavit per Exomologesim. Incredibili etiam humilitatis et devotionis affectu, Sacro refectus est Eucharistiæ pabulo. Et quamvis positus in extremis, lecto tamen extrahi se vestibusque indui curavit, majori reverentia suscepturus venientem ad se Salvatorem. Ubi præsto fuit Augustissimum Altaris Sacramentum, duorum monachorum manibus innixus, in genua erexit senile corpus ægritudine confectum, ac tanti Numinis Majestatem adorans, in hæc verba prorupit suum alloquens Judicem :

« Tu vere es Christus Filius Dei vivi, qui factus Patri obediens pro hominum salute, quorum ego miserrimus sum et peccatorum maximus, turpissimam in Cruce mortem sustinuisti. Verum in tua plane confido misericordia, Deus clementissime et Pater misericordiarum. Ignosce, quæso; da, precor, veniam eorum quæ me reum constituunt, et non intres in judicium cum servo, qui toties sive Christianus sive monachus in Cœlum peccavit. Ne, bone Deus, expetas a me pœnam delictis meis debitam. Si vitæ calamitosæ spatia protrahere vis, ex animo, tu scis, cordium Inspector, promitto conversionem; etenim mei valde pœnitet. Sin minus, quicquid de me fieri statuisti, tuæ

parere voluntati pectus offero paratissimum, lubensque adsum quo me vocas; Passionis tuæ fretus meritis, mortem excipio tanquam initium vitæ melioris. Tu vere es mortalium Cibus, quem qui manducat vivet in æternum. Tu hinc abeuntibus viaticum præbes saluberrimum. Te colo, te veneror, te adoro, te Deum esse confiteor. Non eram dignus ut intra lares meos venires, qui me vel uno tantum verbo potuisses servare. »

His dictis, summa pietate ac reverentia hausto illo divino Nectare, viribus corporis deficientibus, se se in lecto composuit. Die Dominico, sacra Extremæ Unctionis perceptione orationibusque ferventissimis ad supremam illam horam et Domini adventum totis studiis animum parans, instar strenui ac fidelis operarii, quo se ad lucis hujus occasum ferri celerius conspicit, eo magis animam suam virtutibus ac perfecta in Deum charitate excolendam curat : perfectum opus Domino remuneratori exhibiturus, quod justus Judex tandem æterna dignum corona existimet. Sæpissime dicebat suo Superiori : « Jam vocamur ad patriam, in domum Domini ibimus. » Per totam hebdomadam rebus cœlestibus inhærens, identidem hos Psalmi versiculos submurmurabat : *Domine, non secundum peccata, quæ fecimus nos, etc...Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, etc... Adjuva nos, Deus, Deus salutaris noster, etc.*

Appropinquante autem Dei Genitricis Assumptionis Festo, cum de hac solennitate præmonitus fuisset, instareque horam, qua forte pretiosam Beatæ Mariæ Virginis mortem suo obitu honoraret, ac fausto omine Deiparam Cœlos cum triumpho penetrantem comitaretur ; his verbis mirifice exhilaratus est, quasi præscius quod propediem anima sua remearet ad suam sedem. Interim frequenter repetebat : *Maria, Mater gratiæ, etc... Maria, Mater Domini, etc... Per tuum, Virgo, Filium, etc.* Has autem oratiunculas magno cum pietatis sensu in ore versavit, donec biduo ante mortem gravi somno depressus usuque orbatus rationis, tandem vivere desiit, die 14 Augusti, anno 1620, ad vitam evocatus meliorem. Hujus cadaver ad Cartusiam Lugdunensem e Domo Poletensi, ubi decessit, translatum, depositum est in novo minoris claustri cœmeterio.

Joannes Baptista Perreau, Divionensis, anno 1594 ad Ordinem susceptus a R. P. Hieronymo, fecit professionem anno subsequente in ipsa Purificationis Solennitate. Ex officio Scribæ institutus Prior Domus Borboniensis, ibidem naturæ debitum persolvit, anno 1624, die 16 Octobris.

Jacobus de Claire, Nortmannus, ad tyrocinium admissus mense Junio, anno 1594, a R. P. Hieronymo, Vitam monasticam solenniter professus est 14 Junii anni subsequentis. Vir fuit magnæ religionis et probitatis, qui ob innatam animi bonitatem verus Israelita

nuncupabatur. E vivis excessit Procuratorem agens Cartusiæ Borboniensis.

Joannes Baillet, Jacobi de Claire comprofessus, Scriba Capituli generalis, vir eximiæ virtutis; cujus Elogium dedimus die 17 Septembris.

Joannes Charles et Joannes Le Roy, ambo alumni R. P. Hieronymi a quo inter Novitios annumerati sunt, anno 1594. Sic autem res accidit. Joannes Charles, canonicus quondam et cantor ecclesiæ Meldensis, cum Cartusiæ Romanæ nomen dare decrevisset, ejus familiaris amicus Joannes Le Roy, Nobilis ejusdem urbis juvenis, author ipsi fuit ut ad primariam Cartusiam prius diverteret. Excepit illos perhumaniter Hieronymus, invocatoque super eos Numine divino, ita cor immutavit utriusque, ut negaverint se ulterius progressuros. Igitur coma deposita et sæcularibus exuviis, in monachos detonsi sunt; magnisque profectibus in via Dei proficientes, digni tandem habiti sunt qui aliis quoque præficerentur. Quorum ille Cartusiam Montis merulæ rexit cum ingenti prudentiæ opinione, in qua et obiit anno 1617, 8 Januarii, laudatissimus ob morum bonitatem, gravitatem et conversationem religiosam; alter, Joannes Le Roy, postquam varias Domos gnaviter administrasset, pie obdormivit in Domino, anno 1629, die 6 Augusti, ubi de eo fecimus mentionem.

Petrus Le Vergeur, nobili stirpe oriundus; contempto generis splendore inter Novitiorum Album adscriptus ab Hieronymo, anno 1597, mense Junio, sancte decessit in senectute bona, anno 1649, die 23 Maii, ubi Elogium ejus dedimus.

Nec prætermittendi sunt silentio Novitii, quos Hieronymus agens Cartusiæ Vicarium parturierat, et qui in viros perfectos evaserunt. Nonnullos ex multis selegimus, quorum sparsim in hoc Volumine paulo fusius fit mentio.

Livinus Husman Vitam Cartusiensem solenniter professus anno 1578, Octavis Paschæ. Postquam Domos Allionis, Friburgi et Snals laudabiliter administrasset, propter infirmitates exauctoratus, diem extremum clausit in Cartusia Vernæ, anno 1635, die 22 Junii, dierum plenus ac bonorum operum.

Bertrandus Chalup emisit vota professionis anno 1580, in ipso divi Brunonis Festo. Patria Petragoricensis, sub manu Hieronymi formatus ad ingentia quæque, in Cartusiis SS. Stephani et Brunonis, Valonis, Vallis profundæ et Tolosæ Prioratum, et in multis Provinciis sustinuit Visitatoris personam. Moribus ac gestu gravis, adversus occursantia quæque imperterritus, vultu tamen compositus ad pietatem, bonos quosque inescabat et arcebat malos. Continentissimus suæ linguæ, ne verbulum quidem frustra, nisi sale conditum protulisset. Fuit abstinentiæ prorsus obstupendæ, ac tantæ austeritatis, ut toto vitæ tempore, veste oblonga non fuerit exutus ad corporis quietem,

nec strato aut lecto, sed scamno solo uteretur. Nunquam prætermisit orationis studium. Nam vir erat altissimæ contemplationis, ita ut modicum a consortio sæcularium remotus, jugiter in Deum raperetur. Nunquam, pro nulla re a celebratione abstinebat. Tanta præcellebat devotione, ut non homo sed Angelus videretur inter psallendum. Abhorrebat imprimis sæcularium familiaritatem et frequentiam, dicens eorum consuetudinem aut servum aut turpem reddere monachum. Decessit anno 1619, 20 Septembris.

Nicolaus Leau, a R. P. Carasso ad professionem admissus, anno 1579, die Pentecostes, etiam ex magisterio et consortio Hieronymi aliquid lucratus est, in tantum, ut Angelus sui ævi dictus fuerit ob singularem qua pollebat cum Deo familiaritatem ex abundantia contemplationis. Præfuit Domibus Boni loci, Sylvæ benedictæ, Saletarum, Divionis et Avenionis. Qui post multos labores assumptos, totus in Deum absorptus, cum ad vitæ metam festinaret et Sacramento Unctionis muniretur, ad singulas unctiones extasim patiebatur, jam effectus candidatus regni cœlestis. Inter verba autem orationis reddito spiritu, anno 1615, die 10 Martii, dum altera die corpus ad abluendum extenderetur, ita nativo colore, vegetum, facie rubicunda rosis æmula conspectum est, ut eo indicio quali immortalitate anima frueretur, omnibus conspicuum fuerit.

Antonius a Sancto Paulo, non solum generis sed virtutis etiam splendore celebris, anno 1579, die 20 Augusti, inter Cartusiæ professos adscribitur. Fuit autem vir oppido contemplativus ; cui a Deo revelatum fuit, non se visurum mortem, donec videret Cartusiam Tolosanam erectam : ad cujus sane ædificationem multa subsidia divinitus præter spem omnem collata sunt. Vitæ cursum absolvit anno 1612, die 4 Septembris. Præfuit Domibus Ruthenæ, Villæfrancæ, S. Crucis, Lugduni ac Tolosæ.

Gilbertus de Launay, Molinensis in Borbonio patria, optimus olim Jurisconsultus ac Lutetiæ Patronus causarum, anno 1579, die 30 Novembris, per vota Religionis se Dei famulatui consecrat in Majori Cartusia, ubi et Vicarium egit. Posthæc ad regimen Lugdunensis Cartusiæ, Belnæ et Montisrivii assumptus est. Solitus erat proborum quorumcumque, quasi Antonius alter, virtutes sibi in exemplum proponere. Proinde cum audisset Germaniam piorum virorum feracissimam, ad eam mitti suppliciter exoptavit et obtinuit, eo quidem animo, ut inde flammam aliquam, ad posterorum mentes igniendas amore Dei, studio sacræ devotionis hauriret. Quem cum ascetæ Coloniensis eremi conspicerent regularis observantiæ tenacissimum, nunquam transilientem stateræ monasticæ lineam, persuavem moribus, afflictorum consolatorem, eum in Priorem eligere de-

creverant. At vir Dei tam celebris hominum cœtus curam ultro defugit, quin et R. Pater Cartusiæ Prior abnuere videbatur, volens eum revocare in Gallias : quod et fecit. Remansitque Gilbertus noster toto vitæ cursu observantissimus æqui, integer vitæ scelerisque purus; qui hebdomadatim tres Ordinis abstinentias invicta consuetudine observabat. Post immodicas corporis angustias mentisque crebros agones, denique post longa jejunia, flagra, humi cubationes multas, post edita doctrinæ salutaris scripta, postquam digne Deo militasset in Domo Cadurcina, e vivis excessit, anno 1609, 2 Maii.

Ludovicus de Moulieres, anno 1581, 12 Martii, vota monastica nuncupavit. Fuit quidem nobilis genere, sed sanctimonia nobilior; totus anagogicus, ita ut Angelicam potius quam humanam vitam degisse credatur. Cujus testes sunt Neapolitana, Pomeriana, Avenionensis et aliæ, quas rexit, Cartusiæ. Ad omnem etenim modestiam, gravitatem, taciturnitatem, pietatem, et jugem cœlestium meditationem figulatus, ex humanis excessit, anno 1620, die 23 Maii.

Paulus Rogerius, Pedemontanus, Institutum Cartusiense solenniter professus, anno 1581, die 21 Septembris, non minus pietate quam eruditione claruit. Qui postquam in Domibus Vallis bonæ, Montis Brachii, Arveriæ et Allionis præfuisset simul et profuisset, ob infirmitates exauctoratus, pie moritur in Domo Siligniaci, anno 1619, die 18 Maii.

Guillelmus des Marests, Laudunensis, fecit professionem die 1 Novembris, anno 1585. Alias Prior Sellionis et Vallis S. Mariæ, ac quondam Novitius et Vicarius R. P. Hieronymi, cujus zelum et virtutes imitari studens, zelabatur Statutorum observantiam. Fatis concessit hospes in Domo Avenionis, anno 1630.

Petrus d'Ast, Andegavensis, ultimus Hieronymi Novitius, emisit vota professionis anno 1585, die 17 Januarii. Vir haud vulgaris doctrinæ et pietatis, qui aliquas Meditationes de Passione Christi Ciceronianam eloquentiam et Bernardinam devotionem redolentes luculenter scripsit. Tandem Siligniacum missus hospes cum valetudine sexagenaria, ibidem spiritum Deo reddidit, anno 1622, 17 Novembris.

Hi sunt filii splendoris, qui ad omnem virtutem et regularem observantiam ab Hieronymo instituti, Cartusiensem familiam illustraverunt, paternæque pietatis ac fervoris hæredes hæc charismata in posteros suos feliciter transfudere.

CAPITULUM XXIX.

HIERONYMUS CLARUS MIRACULIS ET SPIRITU PROPHETIÆ.

Magnum certe miraculum est, ab initio suæ conversionis usque ad ulti-

mam vitæ lineam non solum in sanctimonia perseverare, sed et ipsam adaugere quotidianis virtutum incrementis. Hæc sunt potiora, quibus magis apud Deum quam apud homines Hieronymus innotuit. Verum ne sanctitas illius in obscuro, uti studebat vir humillimus, remaneret, Deus hanc passim apud homines multis declaravit argumentis, ut eos ad vitæ ac virtutum ipsius compelleret imitationem. Horum nonnulla, ex multis quæ nos latent, hic subjicio.

Subticeo infantem ab ipso revocatum ad vitam, cum jam hoc miraculum ab eodem Villetæ Procuratorem agente patratum retulerimus. Ad alia venimus enarranda.

Dum aliquando in parthenio Saletarum Hieronymus versaretur, Divino afflante Spiritu, venit illi in mentem devotionis gratia sacellum B. Mariæ de Balma prope Saletas extructum invisere. Cumque illic in conspectu Deiparæ cor suum in oratione effunderet, fœtum conspexit abortivum, quem tristissimi parentes Deiparæ imagini sisterant, ut, intervenientibus Matris Misericordiæ meritis, daret infantulus aliquod vitæ indicium, quo salvus fieri posset per lavacrum regenerationis. Hoc miserando commotus spectaculo Dei servus qui miseratione plenus erat in afflictos, ante Virginis imaginem una cum infantis parentibus pernoctat, in oratione pro salute fœtus abortivi perseverans. Nec frustra. Infans etenim meritis et precibus Hieronymi revocatus ad vitam, cum ingenti adstantium gaudio sacrum Baptisma suscepit.

Vicarii fungens munere, una dierum cum, monachis animi relaxandi causa e Domo exeuntibus, unus ex domesticis, ob nervos contractos seu pedum dolorem vehementissimum baculo innitens, juxta monasterii januam occurrisset, ad eum modice subridens Hieronymus, causam rogavit cur præ solito gestaret in manu scipionem. Causatur sartor ille dolorem quo cruciabatur. Cui Vicarius subjunxit, ut, dimisso baculo, in nomine Domini vacaret arti sartoriæ. Sicque, Domino dante voci ejus vocem virtutis, salvus et incolumis se se recepit in officinam. Vocabatur ille Laurentius Chaine ; qui postea habitum Conversi suscipiens, decessit anno 1638.

Antonius Malo civis Lugdunensis, singularis amicus Ordinis, et summe affectus ad promovendam novam Domum Lugdunensem, retulit quod, traductis cum sterili conjuge pluribus annis absque ulla spe prolis procreandæ propter uxoris suæ corporis defectum, cum Hieronymum tunc novæ plantationis Priorem cum omni fiducia convenisset, ut orationum illius efficacia impetraret apud Deum uxori suæ sobolem, voti compos factus fuerit. Nam vix elapso anno filium ex conjuge suscipiens, quanta esset pii Patris precum vis, ex hoc miraculo cognovit.

Cum sarta tecta Cartusiæ Majoris

igne combusta restaurarentur, juvenis cæmentarius e muro decidens, omnibus illius ossibus comminutis, reputabatur inter mortuos. His auditis, Hieronymus per posticum externum egrediens, confractos artus et illisos pannis involutos in cellam suam transportari jubet. Ibi per tres dies permanens in oratione, exanimem juvenem ad vitam revocatum, salvum et incolumem ad suum peragendum opus dimisit.

Quidam bonæ voluntatis juvenis ad Ordinem aspirans, Laicorum Fratrum statum ambiebat; sed cum gibbo deformis esset, valde verebatur ne a Patribus rejiceretur ob eam corporis inæqualitatem. Cujus anxietati compatiens Hieronymus, intra modicum temporis spatium suis precibus effecit, ut et gibbus profligaretur nec amplius compareret, ac optatis frueretur votis.

Conspexerat aliquando quemdam ex Fratribus Laicis sclopo et pillulis plumbeis columbas ab horreis abigentem: quem modeste correptum vir columbini candoris Hieronymus voluit de cætero ab hoc abstinere. At prohibitionis immemor Frater, cum hoc ipsum iterato attentasset, disploso sclopo, luit pœnas inobedientiæ. Nam eo in partes disrupto, altera manu ita sauciatus est, ut clamor ejus ad aures benigni Patris pervenerit. Quem cum acrius objurgasset, ejus tamen misertus jussit exhiberi sibi comminutam manum; quam cum proprio sudariolo seu naritergio obvolvisset muniissetque Crucis cataplasmate, paulo post sanata et sana omnino inventa est.

Cum misisset Bertrandum Morel in Lusitaniam ad regimen novæ Domus Scalæ Cœli, abeunti dixit: « Quoniam maximum iter, quo ad destinatum locum pergis, periculis si non a latronibus saltem a tempestatibus maris scatet, en do tibi aliquot cereos *Agnus Dei* sacros, quibus contra tempestates, si insurgant, utaris. Conscenso itaque navigio Bertrandus, cum jam ad stadia multa remigasset, ecce subito valida tempestas oritur, cunctosque qui in navi erant pavore nimio prosternit. Dumque omnes celerem vel mortem vel submersionem imminere conjicerent, Bertrandus cum socio ad ima carinæ descendens, facit peccatorum Exomologesim; qua expleta, etiam ad dimidium palmæ nave submersioni proxima, exurgit Bertrandus, et, prævia oratione, acceptos quatuor ex illis cereis ad quatuor partes navis in mare jactat, et mox navis ab imo resiliit, quasi si pila daret resultum: sicque non solum navis ab interitu imminenti liberata est, sed etiam omnis sedata tempestas. Solebat autem Bertrandus dicere se tunc temporis non valde fuisse miratum, quod tempestas eam potissimum navim invasisset, quæ non tam mercibus et hominibus exundabat, sicut peccatis quorumdam qui illic tunc aderant: quorum prostituta omni flagitio conscientia debuerat ea corripi tempestate.

Mira quoque illum Dei luce ad futu-

ros rerum eventus prospiciendos perfusum duo exempla testantur : atque imprimis ejus vaticinium de Cartusia Tolosana.

Anno 1578, circa mensem Julium, Antonius a S. Paulo secessit in eremum Cartusiæ. In ipso ad hoc monasterium adventus sui limine, futuri sui apud populares suos quandoque opificii, prolata per os spiritalis admodum Patris Divina promissione, pignus accepit : cum venerandus omnimode Hieronymus tunc Vicarius venit in Spiritu in hospitalem aulam, et sociis ejus modice consalutatis, istum accepit in ulnas suas, et arctius eum amplexatus : « Fauste, inquit, adveneris, Domine, et in Domino consolare, qui nostrum consolaturus es Ordinem in operibus manuum tuarum in terra cui maledixit Dominus, in sterili Tolosa tua Domum Deo et nobis erecturus, et fertilem illic plantaturus cœlestium propaginum vineam. Macte animo! tu ad id operis a Deo vocatus es; tu illius eris agricola culturæ; tu hinc illam in propria transferes, ejicies gentes, plantabis et munies illam, quæ, favente Deo, te vidente et agente, mittet radices et implebit terram. » Hæc ille tunc audiens, ac de se modice sentiens, fervidi tantum Patris vota reputabat. Sed succedentibus tandem annis, in ipso positus opere, testimonium credibile factum nimis et veridica esse Dei per prophetam suum verba cognovit.

Obitum etiam suum, ut mox referemus, præsagiens, ultimum vale dixit Brunoni d'Affringues Priori Villænovæ post celebrata Ordinis Comitia ad Domum suam revertenti. Prænuncius fuit mortis Reverendissimi Guillelmi Prioris Romæ, necnon Sororis Mariæ de Rion monialis Gosnay : quod quidem, ut supra scripsimus, nequaquam potuit nisi divinitus cognoscere.

Cum enim, juxta vetus adagium, inter amicos omnia communia sunt, non mirum, si pius Pater Deo per charitatem conjunctissimus, Divinæ particeps factus potentiæ, sanaverit ægrotos, mortuos suscitaverit, resque revelaverit occultiores. Sic enim sæpe fit iis, quos Deus in amicitiæ suæ argumentum voluerit honorare.

CAPITULUM XXX.

HIERONYMI EXTREMUS MORBUS ET MORS.

Ævo diuturniori dignus vir Dei hactenus inoffenso pede cucurrit in agone ab omnibus abstinendo, quid ergo restat nisi ut repositam sibi coronam consequatur? Annus jam vertebatur a Nativitate Domini millesimus quingentesimus nonagesimus quartus, quo tandem ad metam laborum pervenit, immarcescibilis gloriæ præmio beandus. Cum enim infirmitatibus et macerationibus attenuaretur, sensim sine sensu vergens ad occasum vitæ, totis animæ medullis dissolvi cupiebat et esse cum Christo. Ipse persentiscebat extremam sibi diem imminere. Quamobrem Prioribus, qui hujus anni Comitiis adfue-

rant, juxta laudabilem Ordinis morem benedictione R. Patris adauctis, e Cartusia discedentibus, secreto duos advocans, illis sigillatim se brevi moriturum prædixit, eosque illius faciem amplius non esse visuros. At subjungentibus quod, Deo propitiante, in subsequentibus Comitiis ejus affatu et conspectu potirentur, respondit nihil hæsitans jam de sua salute actum esse. Unus erat e duobus, Bruno d'Affringues, tum Prior Villænovæ, qui tam triste oraculum ab Hieronymo prolatum audiens, mœstus admodum recessit.

Hujus autem vaticinii veritatem comprobavit morbus quo R. Pater, die 15 Septembris ejusdem anni, correptus fuit. Lectulo affixus, nullum unquam responsionis verbulum dedit infirmitatis suæ genus et causam rogantibus. Medici chirurgique advocantur ægrotanti medelam adhibituri, sed frustra; nam in silentio perseverans, nunquam morbum voluit indicare. In hoc statu per undecim dies permanens, nihil cibi gustavit nisi obedientiæ præcepto coactus. Quo temporis spatio tenacissimus silentii, nec quicquam locutus est : suspensum animum gerens in suum Creatorem, Verbi cœlestis alloquio recreabatur.

Non solet sine certamine vita terminari, nec potest obtineri victoria. Igitur paucis ante obitum suum horis, horrendo dæmonis aspectu tanquam terrefactus aliquamdiu apparuit. Verum incutere salutis desperationem molientis conatus imbelles ludens, et ad pristinam rediens mentis serenitatem, magno cum fervore spiritus dixit : « *Misericordias Domini in æternum cantabo.* In æternum cantabo misericordias Domini » ; sicque identidem hos versiculos repetebat, donec exhalasset spiritum.

In extremis positus nihil de lecti duritie detraxit : mattam et linteamina, quibus in infirmitate stratum versaretur, nullo modo passus. Cilicium etiam retinuit usque ad mortem, animi viribus naturam superantibus ; nam cum unus circumstantium motus compassione, Hieronymi cilicium extrahere vi conatus fuisset, restitit Dei servus ita fortiter, ut spiritui pœnitentiæ, quo fervebat, acquiescere necessum fuerit : adeo illius pectori libido mortificationis inhæserat.

In ultima salutis linea constitutus cum audiisset Sacrum sibi deferri Viaticum, e lectulo exiliens non secus ac si nulla laborasset ægritudine, obviam processit Domino adventanti. Quem cum devotissime suscepisset, totum animum in hospitem Deum effudit, quem modo visurus erat non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem.

Quid te subducis, calame? quid restitas? Chartæ istius candorem mortis nigredine inficere times? Perge : mors ista, quamvis prolixa, nihil habet acerbitatis, quam mox subsecutura est immortalitatis laurea. Quid, anima, diutius moraris egredi de corporis custodia? Patet Cœli via, ad quod tot sanctis operibus iter tibi stravisti.

Interim per quadraginta horas in extrema vitæ lucta religiosissimus Pater versatur. Adsunt morienti, statasque ab Ecclesia preces monachi recitant; quorum unus testis oculatus fideque dignus, Nicolaus Molin, scriptum reliquit quod ipsissimis ejus verbis subjicio : « Pridie antequam ab his terris abriperetur, cum quatuor essemus prope illum circa tertiam pomeridianam, audivimus ad caput ejus strati levem strepitum, quasi qui digito ad viginti circiter ictus contra asserem lecti dedisset. Ubi foris quamprimum adfui, sed neminem reperi : quod fecissem, etiam si avis fuisset. Dicebant nonnulli signum esse promissæ et juratæ amicitiæ inter nostrum agonizantem et R. Guillelmum episcopum Dumblanensem Priorem Cartusiæ Romanæ, qui anno præterito, die et hora, quibus et noster Hieronymus, obierat. » Hactenus Nicolaus Molin.

Cum igitur fidelis hic Dei servus diu desudasset in vinea Domini, tulisset pondus diei ac æstus, credita sibi talenta Deo multiplicata reddidisset, plurimis pro Religione laboribus fuisset perfunctus, opusque suum consummasset, abruptis corporeæ concretionis vinculis, inter filiorum comprecantium lachrymas liber ad præmia Justorum evolavit, die 26 Septembris. Morientis oculos clausit R. P. Joannes Michel, Exprior Cartusiæ Parisiensis, et ex assessore R. P. Hieronymi, ejusdem in Ordinis primatu successor.

Hic valde observabat Hieronymum. Quamdiu enim vixit, non aliter quam cum viro sanctissimo et quasi uno ex Ordine Angelorum eidem convixit. Animadvertebat in viro humili reconditam sapientiam, quasi in sterquilinio margaritam jacentem, cum eo perinde tractans ac si Moyses alter fuisset. Si quando ad eum vel jussus vel ex debito ventitasset (oculus namque et manus illius erat), ita timorate et reverenter coram eo stabat, quasi David si stetisset coram Arca Dei ; nec tantillum quid fuisset aggressus, nisi antea Hieronymus aut commisisset aut suo probasset calculo rem bene gestam. Et tamen quantus erat ipse Joannes, qui ingenii acumine ac ardore pietatis erat præstantissimus ! Unicum tanti viri testimonium ad comprobandam Hieronymi sanctimoniam merito sufficere debet. A laudato nempe viro laudari si laudabile est, a sancto quoque viro ob sanctitatis privilegium ex animo et non ficte honorari, luculentum est sanctitatis indicium.

Postquam vero Hieronymus in communi cœmeterio depositus est, herbulas vulgares in ejus tumulo enatas quidam Priores Hispani pro Reliquiis asportarunt; quas postmodum diversis ægrotis adhibitas, quamplures eorum pristinæ sanitati restituisse, et voce et literis sunt attestati. Nec incredibile quod Deus, qui pium Patrem, dum in vivis esset, tot miraculis illustraverat, etiam ejus sepulchrum reddiderit gloriosum.

Multi scripsere de Hieronymo, ex quibus illius Vitam in hunc ordinem congessimus. Submisit nobis ejus Vitam Gallico sermone exaratam venerandæ memoriæ D. Joannes Chauvet, Scriba Capituli generalis. Hujus authoris nomen latet ; forsitan hanc concinnavit Petrus Durand Prior Montis rivii, Hieronymi synchronus. Schedas etiam asservatas in parthenio Gosnay nobis subministravere moniales. Codicem etiam habuimus patrio idiomate descriptum e Cartusia Vallis Dei. Nonnulla excerpsimus ex Historia ms. Ordinis Nicolai Molin. Multi honorifice Hieronymi meminerunt : inter quos fuere Jacobus Vastel Prior Siligniaci, Joannes Dagonneau Prior Montis Dei, Theophilus Raynaudus in suo Brunone Stylita, Franciscus Ganneron.

JULIANUS BRUNO

NOVITIUS DE PAULARI

Anno 1612, mense Decembri, susceptus inter Novitios, per varias probatur tentationes ; quibus per arma mortificationis superatis, sancte admodum decessit, anno 1613, die 26 Septembris, postquam obedientiæ, silentii et solitudinis studio, modestia plane angelica et patientia præcelluisset. Singulari præterea dono orationis a Deo ditatus.

XXVII DIE SEPTEMBRIS

NICOLAUS

MONACHUS PARISIENSIS

Primus hujus monasterii professus; qui non solum temporalibus bonis materialem nascentis Cartusiæ fabricam promovit, sed etiam adauxit vitæ religiosæ vividis et præclarioribus exemplis, sub manu V. P. Joannis Jocerandi Protoprioris formatus in omni virtutis disciplina. Pie animam efflavit, die 27 Septembris, prout notatur in Necrologio Cartusiæ Parisiensis, ubi inter Benefactores recensetur.

MICHAEL

PRIOR IN GYRIO

Vitæ admodum exemplaris, conversationisque religiosissimæ; per tredecim circiter annos non minus utiliter quam sapienter huic Domui præfuit, totique Provinciæ Alemaniæ Superioris, cujus Visitatorem egit per decem annos. Cum autem multoties exauctorationem suam frustra petiisset, tandem multis exantlatis laboribus, optime meritus de Ordine, migravit ad vitam immortalem, die 27 Septembris, anno 1401.

Ex Catalogo Priorum.

JOANNES A SOETEREN

PROCURATOR TREVIRENSIS

Juvenis ante Ordinis ingressum Canonicus ecclesiæ Metropolitanæ Trevirensis ; spreto natalium splendore factus asceta Cartusiensis, inter cæteras virtutes singulari excelluit erga Beatissimam Virginem Mariam devotione. Admotus officio Procuratoris, licet externis occupatus, nihil detraxit de Deiparæ cultu, quam impense usque ad obitum dilexit. Nam peste correptus, in Rosarii recitatione, præ teneritudine amoris lachrymas fundens, expiravit, anno 1439, 27 Septembris.

Ex Catalogo Monachorum Trevirensium.

JOANNES PERIGNON

DICTUS DE VIRDUNO

PRIOR MONTIS DEI

A Capitulo generali anni 1500 cogitur hujus monasterii regimen suscipere, quamvis assiduis infirmitatibus lectulo affixus detineretur. Nec solum ipse, sed et plerique monachorum, quos omnes vitæ probatæ sub se habebat in moribus et in morbis sibi similes, nescio qua lue sæviente, languidi decumbebant eodem tempore. Quæ causa fuit, ut Joannis virtus amplius elucesceret. Ipse enim totus in infirmitate contritus, cum patientiam ex propriis morbis exhiberet, patientiam quoque et charitatem ex alienis metebat. Eorum namque compatiens ægritudini, largiores pauperibus erogabat eleemosynas, ad pia loca sua vota destinabat et munera, per pios Fratres Laicos pro languidorum salute procurabat peregrinationes.

Dum vero sic sollicitus est pro aliorum incolumitate, infausto casu, sive potius, ut Chartæ Capituli generalis verba mihi vendicem, miraculo vitam suam ipsi Deo devovendi talem habuit occasionem. Cum enim more solito jaceret in grabato, nec posset ob infirmitatem divinis de die et nocte interesse laudibus, contigit una dierum (quæ erat 27 Septembris, anno 1502) ut persolutis congruo tempore Matutinis, morbo et somno sopitus obdormiret, relicta incaute accensa candela seu cerata cordula. Igne igitur lectuli paleam et alia combustibilia sensim arripiente, cum nec lecto posset surgere vel vocare auxilium, aut quomodolibet vel tantillum dimovere flammam, cuncta statim cella tabulatis circumvestita librisque et chartis referta incendio traditur, ita ut post sopitum incendium soli quatuor parietes remanerent : cætera namque omnia ignis devoravit, id est superius et inferius tabulatum, opus laqueatum, armaria, mensam et cunctam cellæ Prioralis supellectilem. Mane facto monachi stupentes cellam in flammas abiisse conspiciunt, et inter ipsa incendia et ardentes prunas sepultum corpus Prioris. Sed, o miraculum !

elementum illud, consumptis omnibus quæ in cella repererat, venerandum illud corpus non attigit nec in ullo læsit ; quamvis enim inter vivos carbones jaceret exanime, ei ne minimam quidem adustionem seu impressionem, pelle et pilis intactis, intulit.

In Charta anni 1503, ejus obitus denunciatur his verbis : « D. Joannes de Virduno Prior Montis Dei, qui miraculose obiit. » Et in Calendario Domus Montis Dei ad 27 Septembris, ejus obitus signatur in hunc modum : « V. P. D. Joannes de Virduno Prior hujus Domus, vir valde religiosus, cujus, die SS. Martyrum Cosmæ et Damiani post Matutinas, cella casuali incendio fuit combusta; ipse vero sub prunis ardentibus intactus fuit inventus. » De eo quoque agit Georgius Garnefelt in Catalogo Sanctorum Ordinis ; sed hallucinatur, dum facit eum Decanum Virdunensem ante ingressum Ordinis.

Ex Chronico Montis Dei.

VINCENTIUS MANSIUS

MONACHUS BONONIÆ

Professus Bononiæ ; hospes Romæ, ubi vixit annos 25 summa cum laude multoties perfunctus Vicarii officio : erat quippe disciplinæ severioris, silentii ac solitudinis amantissimus. Dies suos sicut palma multiplicavit : humilitate, jejunio, simplicitate, charitate circa infirmos celeberrimus. E vivis excessit die 27 Septembris, anno 1652, plenus dierum ac bonorum operum, dilectus Deo et hominibus, ingenti apud omnes relicto sui desiderio.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

XXVIII DIE SEPTEMBRIS

ANDREAS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

De quo Nicolaus Molin in Historia ms. Ordinis meminit in hunc modum : « Anno 1165, 4 Kalendas Octobris, Domnus Andreas Cartusiæ monachus et senior, miraculis clarissimus, vita nunc felicissimus, defungitur. In cujus funere servus quidam Cartusiæ aridum brachium habens, postquam defuncti Patris vestimenta contigisset, sanitatem obtinuit. »

EUSTACHIUS

PROTOPRIOR FONTIS B. MARIÆ

Vir celeberrimus ; qui circa annum 1300 Cartusiæ Parisiensis moderamen capessivit. Sub ejus regimine hæc eremus ea disciplinæ regularis observantia

florebat, ut non solum ad circumvicinarum Domorum administrationem suos alumnos emitteret, verum etiam ad exteras nationes suos extenderet palmites. Nam præter Cartusiam Noviomensem, ubi, anno 1308, Eustachius præfecit in primum Priorem Joannem de Argenton professum Vallis viridis, anno etiam 1311, duo alii hujus Cartusiæ alumni assumpti fuerunt successive ad gubernaculum Domus Padulæ in Italia. Cum autem Philippo Pulchro Galliarum regi, aliisque regni Magnatibus Eustachius esset acceptissimus, multa ab eisdem beneficia obtinuit in gratiam Cartusiæ Parisiensis.

Per id temporis Carolus, comes Valesius, orbi notissimus ab augustissimi sanguinis origine (nepos sanctissimi Franciæ regis Ludovici, filius Philippi Audacis regis, frater Philippi Pulchri regis, patruus regum Ludovici Hutini, Philippi Longi et Caroli Pulchri, pater Philippi Valesii regis Galliarum), sancti Ludovici amoris in Cartusianos hæres, cum monasterium intra septa et pomaria castri sui Borefontis construere vellet, Eustachius cum pio Principe hac de re ita prudenter egit, ut Carolus intra biennium ecclesiam, claustrum majus, cum viginti quatuor cellis et aliis necessariis ædificiis construxerit. Cui cum perspecta esset Eustachii probitas morum et eximia virtus, obtinuit a R. Patre Cartusiæ Majoris Priore, ut viro tanto novæ suæ Domus administratio demandaretur, circa annum 1325.

Mire profuit novellæ plantationi Eustachius non solum in temporalibus, magna etenim pollebat gratia apud Principem, sed etiam in spiritualibus. Cumque firma monasticæ disciplinæ fundamenta posuisset, ob senium abdicato Prioratu, in hac eremo plenus dierum et bonorum operum in Domino obdormivit, anno 1354, 28 Septembris.

Ex Catalogo Priorum Parisiensium.

LUDOVICUS XIMENES

VICARIUS DE COVIS

Vir ob vitæ sanctimoniam spectatissimus; qui in singulis virtutibus ita excelluit, ut in qualibet de illo dici posset, quod de quolibet Confessore canit Ecclesia : *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.* Per quinquaginta duos annos viam mandatorum Dei currens, nihil unquam remisit de fervore primævo, etiam in extrema senectute. Quamvis ætate decrepita, stomachi calculique doloribus cruciaretur, aderat nihilominus diu noctuque divinis Officiis; ipseque sibi medicus existens, recusabat medicos et medicinas.

Electus aliquando in Priorem Domus de Caçalla, perfectus solitudinis sectator hanc dignitatem constanter respuit. Prioratu etiam de Covis vacante, cum monachi ad Ludovici cellulam concurrissent, ipsum suffragiis suis cohonestantes, rogarentque precibus instantissimis ut acceptaret Præfecturam, noluit

unquam eis acquiescere, abhorrens prorsus ab officiis, quo in silentio salutare Dei præstolaretur. Functus fuerat olim munere Vicarii. Tandem postquam se hostiam Deo beneplacentem diu exhibuisset, cum decumberet in extrema constitutus linea salutis, « Aperite mihi, ait, fenestras, ut cœlum videam » ; quibus apertis, statim exhalavit spiritum, anno 1618, die 28 Septembris, ætatis suæ 75.

Ex Manuscriptis.

MARIA MARG. DE BRONGNIART
PRIORISSA GOSNAY

Atrebatensis ; anno 162.... professionem emittens, diu profuit hoc parthenio in officio Cellerariæ. Post mortem Joannæ de Cornaille Priorissæ, a R. P. Joanne Pegon in ejus locum suffecta, ne latum unguem deflexit a virtutibus suæ prædecestricis *(sic)*. Tandem dysenteriæ morbo per duodecim dies laborans, totam se Divinæ voluntati commisit ; cumque se se patienter admodum gessisset, per frequentes Fidei, Spei ac ferventissimæ Charitatis actus anhelans ad beatam immortalitatem, eadem qua vixerat sanctitate vitæ cursum feliciter absolvit, anno 1676, die 28 Septembris. Fuit præstantis admodum ingenii et in rebus sui monasterii versatissima : uti apparet passim hoc in Volumine.

XXIX DIE SEPTEMBRIS

JOANNES VERSAREN
PRIOR GANDAVI

Professus Cartusiæ Gandavensis ; anno circiter 1454 Prior ordinatus Domus Amstelodami, dexterrimus cum esset, et utriusque hominis exterioris et interioris magnam haberet rationem, solida jecit in hoc cœnobio virtutis fundamenta, iisdem suos imbuens moribus et institutis quibus olim in cellæ solitudine fuerat efformatus. Solitus rectam sinceramque vitam illam dicere, quæ secum tantum et cum libellis loquitur, ex adverso eam spernere docebat, quæ vaga et garrula cum ubique sit, nusquam est : celatam virtutem et in conscientiæ fotam secreto, tutissimam esse ; instabilem autem et desultoriam, esse periculosam et pugnare cum genio Instituti Cartusiensis.

Anno 1460 translatus ad gubernaculum monasterii Gandavensis, paulo post Visitator Teutoniæ renunciatur. Nec immerito sane : nam vir erat, supra quam

dici potest, pietatis deditus exercitiis et in rebus agendis multum industrius. Postquam autem multos labores, et tribulationes non modicas, ad quas invictus stetit, sustinuisset in diebus suæ carnis; obstetricanteque ejus zelo et prudentia, non modo Cartusia Gandavensis sed etiam totus Ordo spiritualibus incrementis adauctus fuisset; collectis bonorum operum manipulis, a Domino remunerandus evocatur, anno 1471, die 29 Septembris.

Ex Chronico Cartusiæ Gandavensis, Raissio in Originibus Cartusiarum Belgii, et Catalogo Priorum Amstelodami.

JOANNES OSTEROW

PRIOR ERFORDIÆ

Alumnus Erfordiæ, pietate, religione ac eruditione celebris; primum admotus fuit regimini Domorum Passionis Christi prope Legnitz et Tuckelhausen. His laudabiliter perfunctus muniis, anno 1448 præficitur Erfordiæ; ubi, pluribus pro Domus utilitate infracto animo laboribus toleratis, perpessisque patienter multis molestiis, anno 1453, ad magnam et devotam sui instantiam (sunt verba Chartæ) absolutus ab officio, tandem pie moritur, anno 1473, die 29 Septembris.

Ex Chronico Domus Erfordiæ.

JOANNES LUDOVICI

VICARIUS MONTIS DEI

Anno 1501 fecit professionem sub D. Joanne de Virduno, cujus animum et pietatem ita imbiberat, ut alter Joannes de Virduno videretur. Nam vitæ exemplis et doctrinæ talentis refulgens, totius illius sæculi unus ex præstantioribus Montis Dei monachis extitit. Obiit vero in ipsa Solennitate S. Michaelis, biduo post dilectum sibi Patrem Joannem, sed multis post eum annis, anno videlicet 1545, plurimis ob pietatem cribratus molestiis. Fuerat in sæculo sacerdos ab eleemosynis pientissimæ mulieris Catharinæ Croyæ, uxoris Roberti a Marcka Sedanensis toparchæ, quæ sæpe post illius conversionem ad Montem Dei invisendi et salubre ab eo reportandi consilium gratia accedebat. Per singula Domus officia excepto Prioratu pertransiens, industriæ ac eruditionis suæ testimonia reliquit.

Ex Chronico Montis Dei.

JOANNES DE BALSAMO seu BRACANCIUS

PRIOR CALABRIÆ

Ante Ordinis ingressum fuit Abbas S. Nicolai prope Padulam. Obtenta autem licentia a Clemente VII Pontifice Maximo, qua posset unire hanc Abba-

tiam Cartusiæ S. Laurentii juxta Padulam, relicto sæculo, habitum Religionis in eadem Domo Padulæ suscepit. Post emissam professionem, cum omni genere virtutum præcelleret, admotus fuit regimini Domorum Padulæ, Calabriæ et Clarimontis, omnium sibi venerationem et amorem concilians. Erat enim haud vulgari benignitate, clementia, humanitate ac pietate exornatus; se se in hospites urbanum exhibebat, pauperumque inopiam sublevabat cum intimo compassionis affectu; suorumque singularem curam gerens, eis affatim subministrabat necessaria. Vir mitis et humilis corde, nulli molestus, cunctis officiosus et affabilis, ab omnibus tanquam verus et bonus Pastor diligebatur. Tandem cum diu paterne gregi sibi commisso præfuisset, senio correptus et tanquam aurum in fornace purgatus variis infirmitatibus, sancte decessit in Domo Padulæ, anno 1574, 29 Septembris.

Ex Manuscripto Nicolai Ricci Procuratore Calabriæ.

JOANNES BRESLET

CONVERSUS DE PAULARI

Patria Narbonensis; anno 1567 per vota professionis inter Conversos hujus monasterii adscriptus, singulari humilitate, charitate fraterna, mansuetudine, patientia in laboribus, summa erga Superiores obedientia, cæterisque virtutibus religiosis effulsit. Diu fuit afflictus podagræ doloribus; quos ita patienter sustinebat, ut quamvis lectulo affixus detineretur, vacabat nihilominus mente iis quæ a Superioribus injuncta fuerant, singula prudenter adeo et diligenter disponens, non secus ac si perfecta potitus fuisset valetudine. Cumque religiosissime conversatus se ad Domini adventum bonis operibus præparasset, Eucharistiæ Sacramento communitus, animum meritis ornatum æterno Conditori reddidit, anno 1598, die 29 Septembris. Ferunt in extrema sui exitus hora ipsum fuisse Beatorum Ordinis nostri conspectu recreatum.

Ex Manuscripto ad nos transmisso e Cartusia de Paulari.

AUGUSTINUS A S. BRUNONE

CONVERSUS GRANATÆ

Vix rationis compos Deo vovit castitatem; quam ut custodiret facilius, annum agens quartum decimum, voce cœlitus delapsa ad sectandum Cartusiense Institutum incitatur. Adiit statim Priorem de Paulari, a quo ob ætatem teneriorem remissus, tandem factus grandior, habitum suscepit in Cartusia Granatensi, ubi et emisit professionem, anno 1577, die 6 Octobris. In eo per totum vitæ spatium effulserunt profunda humilitas, summus paupertatis amor;

tam arcta cibi parcimonia, ut plerumque solo pane vino aut aqua immerso victitaret; promptissima et alacris ad nutum Superioris obedientia; patientia incredibilis, qua nusquam querimoniæ verbum contra quemquam protulit : silentii etiam tenax inter morbos, quorum subticebat dolorem, nihil pati tunc medico significans. Eximiam ejus charitatem in pauperes tempore sterilitatis Deus testatam voluit panum multiplicatione : quam beata remuneravit immortalitate, anno 1622, die 29 Septembris.

XXX DIE SEPTEMBRIS

ANONYMUS

SACRISTA TEUTONIÆ

De quo Dorlandus noster in Chronico Cartusiensi lib. 5, cap. 25, scribit his verbis :

« Inveni scriptis consignatum, fuisse in nostro Ordine monachum hujus nostræ Provinciæ, magnarum virtutum virum, fama celebrem et in Religione sacra observantissimum pugnatorem. Qui lachrymis, suspiriis, jejuniis ac precibus Dominum Salvatorem sibi placabilem reddebat. Et si quando etiam nescius aliquem verbo aut facto offendebat, statim in terram toto corpore prostratus, veniam precabatur. Hic factus Infirmarius (quod est officium pietatis ac miserationis) ita se in illo opere gessit, ut magnis laudibus ab omnibus extolleretur.

« Volente autem Deo, pestis acerba Domum illius omnem invasit, cujus plurimi virulenta clade attacti, emigrarunt e sæculo. At Infirmarius iste, his ignibus audacter se ingerens, timore postposito, nequaquam suo corpori parcendum existimabat, dummodo posset infirmantium fratrum cladibus subvenire. Quid ultra? Cum ipse voluit pestes aliorum pie curare, peste ipsa contigit eum labefieri, Domino tali ægritudine sua merita procurante. Igitur cum his flammis perustus jaceret in lecto, totum se contulit, ut passionibus Christi communicare posset, et salutiferi Crucifixi imitari exemplum.

« Venit autem Prior invisere infirmum sciscitans quo pacto se haberet. Cui ille : « Scito, inquit, mi Pater, quod cras pia morte defungar, et suscipient me sancti Angeli Dei, eritque Fratribus nostris solennitas duplex : una quidem ex ea parte, qua divus Hieronymus celebris habetur, altera vero, qua corpusculum hoc terræ mandabitur. » Credulus Pater verbis ejus, intellexit a Spiritu Sancto illum suæ mortis accepisse responsum. Instante igitur transitus sui

hora, palam dixit astantibus : « Afferte candelam ceream consecratam, ac porrigite. » Cui unus ita respondit : « Cur, Frater, candelam expetis, cum nondum videamus signa mortis instare ? » Cui ille : « Sine modo, nam tempus resolutionis meæ instat. » Hoc dicto, cum candelam accepisset, ait : « Adhuc modicum, et vado ad eum qui me misit. » Et paulo post spiritum emittens, tranquilla obdormivit in pace. »

PETRUS BLOMEVENNA

PRIOR COLONIENSIS

Ejus Vita extat in Chronico Cartusiæ Coloniensis, cujus tenor talis est :

Piissimus iste Pater Lugduni Batavorum (unde et Leidensis cognominatus) ex piis et honestis oriundus parentibus, anno Salutis 1466, 29 Martii ; statim ab ipsis incunabulis ad supremum usque vitæ diem speciali gratia a Domino præventus in benedictionibus dulcedinis, multisque præclaris naturæ gratiæque dotibus ornatus fuit. Nam eo vix in lucem edito, cum parentes et fratres ejusdem sævissima pestis abstulisset, ipse solus tenerrimus quanquam infantulus, hanc luem, qua etiam infectus fuerat, Domino eum protegente, evasit. Matre siquidem illius novissime contagiosa hac lue defuncta, cum ille solus mansisset hæres bonorum, quibus parentes præpollebant, cognati ejusdem, quo sibi per scelus eadem vendicare possent, Divini timoris obliti, quem servare debuissent, ejusmodi consilio extinguere conati sunt. Infantem videlicet ad matris jam mortuæ ubera applicant, ut inde non vitæ sed mortis alimentum exugeret. Sed *non est sapientia, non est consilium contra Dominum ;* contraxit quidem infans pestem, sed absque periculo vitæ.

Deinde annis pueritiæ singulari vitæ innocentia transactis, ab unguiculis (ut aiunt) factus et educatus videbatur ad pietatem. Qui posteaquam bonarum artium studiis aliquandiu dedisset operam, cœlesti illustratus lumine, res sæculi prorsus abjecit et Ordinem nostrum expetivit annum agens vigesimum tertium, atque admissus est Coloniæ, anno 1489. Professionem fecit anno 1490, 4 Martii. Porro bona sua temporalia in pios usus elargitus est, ut expeditius Christum sequeretur. Deinde positis Religionis rudimentis, tantus brevi tempore in illo enituit virtutis splendor, ut in eo cum summo ingenio perfecta humilitas, cum exquisita prudentia conjuncta esset sancta columbæ simplicitas. Fuit enim vir in quo nescias quid primum admirere, morum suavitatem, an vitæ sanctimoniam ; modestiam atque affabilitatem, an pœnitentiæ in se asperitatem.

Toto vitæ suæ tempore in sæculo et Ordine adeo pure et innocenter se gessit, ut qui illi fuerant a Confessionibus, uno ore testati fuerint nunquam ulla mortalis peccati labe animam suam

commaculasse. Virginitatem mentis et corporis semper servavit integram et illibatam, ut nunquam alicujus fœminæ concupiscentia (uti suis familiaribus amicis dicere solebat), nunquam obsceni cujusvis actus desiderium mentem illius tetigerit. Quam ille puritatem non otio aut desidia, sed multo labore, crebris vigiliis ac precibus strictaque sensuum refrænatione atque severa corporis castigatione familiarem sibi fecit. Et quamvis interdum carnis sentiret impugnationes, illas tamen adeo semper restrinxit, ut internam pacem mentisque munditiam perpetim retineret.

Quantæ autem fuerit devotionis, vel ex eo liquet, quod a natura fuerit ad vitam contemplativam cumprimis habilis: cui cum gratia accederet, multum in eo vitæ genere profecit, adeo ut persæpe extra se raperetur, Divini amoris abstractus dulcedine. Quamobrem etiam in mensa, præcipue tamen ubi sacra audiretur lectio aut pii miscerentur sermones, tanta interdum punctione cordis liquescebat, ut erumpentibus ubertim lachrymis gratias nedum absolvere, sed nec incipere quidem posset. At magis id ipsum patiebatur in divinis; ubi si quid ipse solus in ecclesia vel legere aut cantare debuisset, et vel verbulum, quod ad Dei amorem efficacius pelliceret, occurrisset, totus cœpit exultare spiritu, ut præ lachrymis sequentia pronunciare non posset : idque frequentius posterioribus vitæ suæ annis accidisse consuevit. Unde et in majoribus festis, quibus Priori summam dicere Missam ex officio incumbit, non raro privatim celebravit, ut inter sacrificandum liberius se mactare posset. Erat enim corde mirum in modum tenero et Divino amori dedito, quod sagittis amoris facilius tangi et subito vulnerari posset.

Illud certe memorandum, quod de hoc piissimo Patre retulerunt seniores, videlicet eum quotannis, dum Prior esset, a Dominica tertia Quadragesimæ, quam ab Introitu Missæ Dominicam *Oculi* passim nominamus, usque ad Solennitatem Paschalem, se se abstrahere solitum ab omnibus negotiis, colloquiis et hominum familiaritate, denegata etiam suis alloquendi facultate, soli Deo divinisque rebus vacantem, illum Psalmi XXIV versiculum corde ruminantem, ore personantem et opere implentem *Oculi mei semper ad Dominum.* Ita autem tempus illud totum transegit, ut silentium solitudinemque strictissime servarit, nec visus fuerit, nisi cum divina persolvenda essent, a quibus nunquam aut raro aberat. Nullus etiam omnino nec domesticorum quidem ausus fuerit eum interturbare. Mansit igitur in cellula sua inclusus et tacens vere homo Dei, mentisque oculos ad Deum convertit. Sed quibus, obsecro, epulis toto isto tempore mens illa pia fuerit enutrita, quibus deliciis recreata? Hoc solus novit, qui ipsum abstraxit; hoc sensit, qui ad ejusmodi nuptias vocatus fuerat.

Cum igitur vir iste talis ac tantus esset, ut omnibus exemplar quoddam religiosæ conversationis præberet, defuncto Patre Joanne de Bonna, unanimi omnium consensu et suffragiis electus fuit in Priorem, anno 1507, die 30 Novembris, ac deinde a Capitulo generali Visitator Provinciæ constitutus. Ipse vero ad hoc munus et honoris locum evectus, unus idemque semper mansit, nihil de priore mentis puritate aut devotione in Deum remittens, sed adjiciens.

Erga commissum sibi gregem sic erat affectus, quod in castigandis vitiis fuerit acerrimus, in consolandis vero afflictis et sub tentationum sarcina laborantibus mansuetissimus. Si quos aliquando ob culpam aliquam zelus justitiæ illum objurgare compulisset, faciebat id magna quadam cum gravitate et vehementia (monitis tamen suis vino oleoque permixtis ac temperatis), ita ut non unquam commotus esse videretur ; sed omnem illam objurgationem nonnisi ex charitate profectam testabatur mira quædam humanitas, qua ejusmodi reprehensiones terminare solebat : blandissimum se illis exhibens quos increpaverat, ut æquianimiores ab illo semper abierint.

Ubi aliquid inordinate fieri vidit, æquo id animo ferre non potuit ; sed instabat opportune importune, increpabat, obsecrabat, etiamsi opus fuisset adhibita pœnitentia, quoad id quod corrigendum fuerat, correctum cerneret. Nec in hoc parcebat etiam sibi magis familiaribus et addictis ; quos offendere non verebatur, justitia id exigente, donec sanctæ obedientiæ, ut par erat, colla submitterent.

Sed nec intra cancellos sui monasterii hunc zelum continere poterat. Nam sicubi intra urbem Coloniensem hæreticum aliquem, vel suspectæ fidei concionatorem, in parochiam quamdam irrepsisse didicisset, ibi tum vir pius et Catholicæ Religionis zelantissimus non cessabat per se et per alios, quibuscumque modis poterat, hortari et compellare Magistratum, quoadusque lupus ille procul fuisset exturbatus. Et quia fuerat in divinis quoque litteris haud vulgariter eruditus, libros quosdam conscripsit de vita interna, et adversus Hæreticos. Dolebat enim pio viro, sub Evangelii prætextu impuros tenebriones, nonnisi animas jugulare, suæque carnis fœdissimas voluptates et mundi hujus opes atque honores aucupari.

Nec minor in viro Dei erat patientia et tolerantia rerum adversarum : ut ob quamlibet ipsi illatam injuriam, damnum vel vituperium, nullum unquam senserit se se ulciscendi desiderium ; nec ulla unquam, quantumvis gravis calamitas et afflictio, id ab illo extorquere poterat, ut animo mœreret et tristaretur. Aiebat enim nulla re alia tristari debere aut dolere hominem Christianum, nisi ob culpam et noxam in Deum commissam. Afflictos plerumque his verbis solabatur : « Nihil utilitatis ha-

bet tristitia, nulli quicquam confert, sed multa ex ea nascuntur incommoda »; quæ tum etiam per ordinem recensere solebat.

Fuit vero vir adeo vitæ integritate suspiciendus, ut ideo vel maxime coleretur a pluribus tam Ecclesiastica quam sæculari dignitate præditis, nec quisquam erat, qui non illius cuperet frui conversatione. In conviviis cunctorum animos honestissime recreabat; ita tamen ut si quid leviter aut otiose dictum videretur, id mox repetens, ad spiritualem significationem, non absque eorum qui aderant eruditione et ædificatione, accommodaret.

Hic illud præterire nequeo, quod senex quidam septuagenarius ac eruditus Pater, referente sibi V. P. Laurentio Surio, cognovit, et ad posteros transmisit.

« Erat quidem V. Pater Prior erga alios mitis, placidus et benignus, sibi vero durus nimium, rigidus ac severus. Cumque esset sanguineæ complexionis et conscientiæ puræ (ex quibus animi jucunditas morumque suavitas oriebantur), videbatur sibi nonnunquam excedere lætitiæ metas, maxime in triclinio apud convivas, ad quos recreandos hilaris erat secundum faciem Sanctorum. Reversus igitur a mensa ad cellam suam, veluti ad tribunal actuum suorum, quando putabat se gravius excessisse, animum gemitibus excruciabat, et corpusculum, jejuniis alias satis exhaustum, plurimis sulcabat flagris, et aliquando tam vehementibus, quod V. P. D. Joannes Justus Lanspergius ejusdem Vicarius et cellæ vicinus, audiens semel suspirantis vocem et strepitum virgarum, aperta cella, audacter intraverit, inveniensque illum mœrore et verberibus deformatum, strictissime inhibuerit, ne unquam de cætero hujusmodi tentaret. Acquievit pientissimus vir devoto Patri Lanspergio tanquam Vicario suo ac spirituali Patri, et deinceps abstinuit a tali pœnitentia et voluntaria disciplina. »

Tandem Angelicus iste vir et virgo, Pater sine felle, Deo et hominibus charus, plurimis confectus laboribus, omnem vitam religiose transigens, in morbum incidit, qui et vitæ finem ei attulit, anno nimirum 1536, die 30 Septembris, ætatis anno 70. Cui domestici simul et extranei cum lachrymis parentaverunt.

Petri Blomevennæ meminerunt Arnoldus Raissius in suo Auctuario ad SS. Belgii, Bibliotheca Cartusiana, Sacrarium Coloniense et alii.

MARIA DE LIGNO OSTERWICANA

Altera sui sæculi Catharina Senensis, virgo divinis exornata charismatibus et in vita contemplativa plurimum exercitata; cum aliquamdiu Cartusiensium Coloniensium eleemosymis sustentata fuisset, moriens, anno 1557, die 30 Se-

ptembris, cum ingenti opinione sanctitatis, sepulta fuit in sacello Cartusiæ Coloniensis. Ad diversos Religiosos Deique amicos vernacula sua lingua diversas scripsit Epistolas, easque mirabiles, quæ suppresso nomine per Colonienses typographos omnibus sunt publicatæ.

De hac virgine supra memoratus Petrus Blomevenna, Prior Cartusiæ Coloniensis, scribit in hunc modum : « Maria illa Osterwick, in Christo filia mea, virgo miræ sanctitatis, etiam in domo paterna extra omnem professionem monasticam vitam agens ; cujus orationibus et meritis hodie non parum fulcitur Ecclesia, et quod experti sumus, ad meliora quotidie, qui suas illi animas commendant, proficient, etc. »

Georgius Garnefelt, professus Coloniensis, etiam facit mentionem de Maria ; et quamvis referat, ut supra diximus, ipsam obiisse anno 1557, constat tamen ex ejus epitaphio, quod visitur in sacello Cartusiæ Coloniensis (quod extruxit anno 1427 R. D. Theodoricus de Morsa archiepiscopus Coloniensis), illam decessisse anno 1547. Talis est autem inscriptio :

« Maria de Osterwick, virgo admirabilis, magna meritis et occultæ sanctitatis, anno 1547 sepulta fuit.

Virginibus virgo præfulgens illa Maria,
Cujus erat genitrix Osterwick, hac cubat urna. »

HUGO TAYLOR

CONVERSUS LONDONIARUM

Professus primo Londoniarum, secundo Shene ; pulsus ex Anglia, cum exilium multasque ærumnas pro defensione sanctæ Sedis Apostolicæ ac orthodoxæ Fidei constanter sustinuisset, anno 1575, die ultima Septembris, Brugis decessit, mercedem a Domino recepturus. Exegerat in Ordine quinquaginta septem annos. Hujus venerandi senis memoria est in benedictione apud Patres Anglos, a quibus nobis exhibitum est Manuscriptum ubi Vita ejus describitur in hunc modum :

« F. Hugo Taylerus fuit vir magnæ virtutis, et Deo tam familiaris factus, ut quicquid petebat, vel statim impetraret, vel saltem responsum acciperet. Contigit ut quidam sæcularis, qui dubitabat utrum sibi melius esset uxorem ducere vel Religionem ingredi, commendaret se precibus hujus Fratris, difficultatem suam ei exponens. Et Frater Hugo ad eum : « Faciam, inquit, libenter quod petis; post dies aliquot revertere ad me. » Igitur oravit Dominum pro viro illo, et responsum accepit, quod homo pro quo petebat, primo ducturus esset uxorem, et postquam ex ea liberos suscepisset, tum Religionem esset ingressurus. Reversus est homo, et indicavit ei, quomodo prius uxoratus, et postmodo Religiosus futurus esset. Factumque est ita.

« Duxit ille uxorem. Et cum aliquamdiu cum ea habitasset, Religionem ingredi cupiebat; sed mulier assensum negabat, dicens : « Non ideo te in maritum mihi assumpsi, ut tam cito dimitterem te. » Vixerunt igitur simul, filios procrearunt, et sic paulatim propositi immemor factus est. Sed Deus,ut famulum suum verum dixisse ostenderet, misit in cor mulieris desiderium Religionis. Accessit illa ad virum suum et ait: « O bone marite, fac nunc, sicut olim desideravit anima tua; nam et ego statum Religiosum amplecti parata sum. » Cui ille : « Quomodo mundum hunc relinquere possumus, cum parvulos nostros alere teneamur ? » Et mulier : « Mihi, inquit, curam illam relinque ; tu tantum meo consilio assentire. » Consensit ille, et illa læta effecta liberos suos parentibus suis educandos tradidit : et sic factus est ille Religiosus in Domo Shene, et illa Religiosa in Domo Syon in Anglia.

« Promisit aliquando F. Hugo uni ex Confratribus, se certa hora venturum, ut opus aliquod charitatis simul implerent. Interim dum orat in cella, apparet ei Salvator (quod illi sæpissime accidebat), cum quo dulcia commiscebat colloquia. Et ecce hora statuta, ille promissi memor, petita venia a Salvatore, ad Fratrem pergit. Et opere absoluto, ad cellam rediit et Salvatorem expectantem reperit, qui dixit ei : « In hoc mihi magis placuisti, quod in ullo opere quod unquam fecisti : quia me reliquisti, ut Fratrem tuum juvares. » Quadam die sæviente hyeme, gravi tentatione carnis vexatus projecit se nudum in nivem, ac tamdiu in ea volutus est, donec frigoris asperitate illicitum mentis calorem extingueret.

« Alio tempore Salvator ei apparens, ait : « Frater Hugo, amas me? » Cui ille : « Imo, Domine, ex toto corde. » Et extendit Salvator pedem suum, quem Frater Hugo osculatus est. Tunc dixit ei : « Pete a me quod vis, ut dem tibi. » — « Nihil volo petere, inquit F. Hugo, o bone Domine; sed da quicquid sanctissimæ voluntati tuæ placuerit. » Tunc Salvator : « Faciam pro te plus, quam pro ullo homine, qui nunc sit in terra. » Et cum hoc dixisset, statim disparuit. Hoc Frater Hugo narravit ei Petro, qui hoc scriptum reliquit, et addit: « Quid autem hoc fuerit quod præstitit ei Salvator, nemo novit, nisi forte quod Conventum nostrum in tot periculis conservaverit. »

Subjicit etiam hæc Auctor Manuscripti de Fratre Hugone :

« Hic ille est, qui V. P. D. Mauritium Chancæum Priorem humero apprehensum de medio judicum consessu extraxit, et cum illo servavit hunc Conventum. Quicquid prædicebat, ut superius diximus, certissime eveniebat : quod vel inde evidenter apparuit. Nam anno 1566, Regina Elisabeth ceraso se pene suffocaverat; ita ut fama mortis ejus longe lateque sparsa, etiam trans mare Brugas perveniret. Quam audiens

F. Hugo : « Falsum est, inquit, mortua non est. Longior illi vita restat; et eo mense expungenda e vivis est, quando cerasa inveniri non poterunt. » — Diem extremum clausit F. Hugo inter acutissimos calculi dolores, quos cum ingenti patientia sustinens, Deum precabatur, ut adderet dolorem, cum patientia et tolerantia. »

Hic Frater venerandus fuit Conversus ille, cujus pietas tantopere laudatur in Vita V. P. D. Joannis Houghton Prioris Londoniarum et martyris : cui Fratri visio illa de Sacramento Altaris facta est.

Consule Historiam Martyrum Angliæ, cap. 2., et Vitam Joannis Houghton, quam dedimus ad diem 4 Maii.

JOANNES CARPENTIER

VICARIUS GANDAVI

Eximiæ devotionis, et haud vulgaris pietatis Religiosus; cum hanc eremum virtutum suarum fragrantia replevisset, spiritum Deo reddidit, anno 1623, die 30 Septembris.

Ex Catalogo Monachorum Gandavi.

NICOLAUS DIERHOUT

SACRISTA BRUXELLÆ

Patria Gorcomiensis, professus anno 1618, 21 Octobris; vir solitudinis, silentii ac pietatis eximius cultor, Statutorum Ordinis observator studiosissimus. Qui cum decorem et ornatum Domus Dei mire promovisset, Sacristæ officio perfunctus laudabiliter, ad vitam immortalem abiit, anno 1638, 30 Septembris.

Ex Catalogo Bruxellensi.

JOANNES ANTONIUS ZAPATA

PRIOR XERITII

Splendoris genere clarissimus, Eminentissimi Cardinalis Zapata nepos, comitisque de Baroxas ejusdem Cardinalis fratris. Calcato sæculi fastu, pauperem Christum secutus in Cartusia de Miraflores, ob eximiam virtutem in Priorem Xeritii eligitur; verum qui mundo perfecte renunciaverat, hanc dignitatem plane recusavit, ratus sibi melius esse in silentio præstolari salutare Dei. Interim opportune importune agunt Conventuales Xeritii, ut electioni Joannes daret manus; qui eorum tandem precibus fatigatus, promisit se humeros oneri suppositurum, modo R. Pater id imperaret. Intervenit Prioris Cartusiæ auctoritas; cui vir religiosissimus obtemperans, post laudabilem triennii administrationem e vivis excessit, 30 Septembris, anno 1643.

ALEXIUS VIVET

VICARIUS BONI PASSUS

Patria Avenionensis; statura pusillus et delicatæ admodum complexionis, sed permagno ingenio præditus ac doctrina, et a primæva ætate virtutibus omnigenis exornatus. Doctor eximius et Canonicus ecclesiæ Metropolitanæ Avenionensis ac Pœnitentiarius Summi Pontificis, cum hoc officio per 14 annos laudabiliter functus fuisset, spreto sæculo, se recepit ad Cartusiam Boni passus. Ubi singulari modestia, solitudinis studio, charitate, simplicitate ac humilitate præfulgens per triennium, decessit anno 1660, die 30 Septembris, relicta sanctitatis opinione.

MENSIS OCTOBER

I DIE OCTOBRIS

JOANNES DE MONTE MARTYRUM

PRIOR GLANDERII

Professus et Prior Glanderii, deinde primus Prior Lupatoriæ, ubi et obiit 1 Octobris, circa annum 1324. Vir ob innatam morum bonitatem, et doctrinam laudatissimus.

GASPARUS RUPRECHT

CONVERSUS SEIZ

Alias dictus Aubry, patria Lotharingus; qui receptus ad Ordinem a Viano Gravel hujus monasterii Priore nominatissimo, et per vota professionis anno 1612, 1 Januarii, adscriptus inter Conversos Fratres, Viani exempla sequens, fuit angelicæ conversationis. Vix autem effulserat moribus religiosissimis, cum in brevi consummatus rapitur ad cœlestem patriam, anno 1613, 1 Octobris.

Ex Catalogo Fratrum Conversorum Seiz.

JOANNES JUSTUS BERTRANDUS

MONACHUS AULÆ DEI

Cum purus et innocens accessisset ad Religionem, purior et innocentior inde emergens, in ipso juventutis flore et suæ professionis exordio, Cœlo maturus, Sanctorum cœtui morte prœmatura feliciter aggregatur, anno 1615, die 1 Octobris. Fuit singulari devotione, patientia et spiritus fervore præditus, tantoque Dei timore repletus, ut nunquam lethalis peccati labe animam suam maculaverit.

Ex Manuscripto Cartusiæ Aulæ Dei.

MICHAEL ROLAND

VICARIUS SALETARUM

Professus Sylvæ benedictæ, quondam Prior Belnæ; assumptus ad moderamen hujus parthenii, tot virtutibus præcelluit, ut apud omnes sanctus audiret. Cumque verbo simul et opere Sponsas Christi per justitiæ semitas

deduxisset, ad repositam sibi coronam concessit, anno 1650, die 1 Octobris juxta Necrologium Saletarum, et 2 Octobris juxta Chartam Capituli generalis. Rexit hoc Gynæceum ab anno 1627 usque ad annum 1650.

Ex Catalogo Vicariorum Saletarum.

CYRILLUS ABENDAÑO

MONACHUS VALLIS CHRISTI

Anno 1619 Valentiæ nascitur in ipso beatæ Mariæ Magdalenæ Festo, quam singulari cultu prosecutus est, se fortunatum credens die huic sanctissimæ Pœnitenti sacra primum aspexisse lucem; cujus tutela et patrocinio sperabat se peccatorum veniam impetraturum. Cyrilli pater Petrus Abendaño, mater vero Francisca Moret, quamvis aurifices, præter generis sui nobilitatem erant ambo justi et a malo recedentes. Studebant imprimis optimæ liberorum suorum educationi. Cumque ab ipso ætatis orientis crepusculo futuræ virtutis indicia in Cyrillo animadverterent, ipsumque viderent egregio a natura instructum ingenio, puerum cultui divino devoventes, Clerici tonsura initiatum Beneficio ecclesiastico, suis mediantibus amicis, impertiere.

Studiis igitur circa decimum tertium ætatis annum operam navans, arctissimam cum Sebastiano Ruiz conjunxit necessitudinem. Cor unum et anima una erat in ambobus. Ex morum et naturæ proclivitatis similitudine nascebatur eorum familiaritas, adeo ut suavissimo amicitiæ nexu conglutinati, se se invicem postea traxerint ad ineundam Cartusiensium professionem. Humanioribus litteris probe instructus, non solum ad Philosophiæ et Theologiæ, sed etiam ad pietatis studium mentem applicuit.

Interim propenso admodum in Cartusianos Vallis Christi affectus animo, ipsos summopere venerabatur tanquam prisci sæculi redivivos Anachoretas. Cumque ob loci distantiam hujus eremi ascetas ad libitum adire nequiret, Cartusiæ Procuratorem hospitantem Valentiæ sæpe sæpius conveniens, ejus conversatione mirifice delectabatur, cui mentis arcana patefaciebat; huic Missam celebranti Cyrillus ministrabat cum volupe. Interdum etiam invisebat Cartusianos; utque conceptum Religiosæ vocationis consilium foveret, sacro Eucharistiæ epulo frequenter reficiebatur, applicabat se ad pios homines, quorum colloquiis ire posset de virtute in virtutem. Familiaris erat admodum Cyrillus venerandæ Matri Franciscæ Lopez, quæ adolescentem hunc diligebat tanquam filium spiritualem.

Quamvis nihil nisi honestum et laudabile in Cyrilli nostri moribus appareret, hærebat tamen anceps in mundi bivio, et minime satagebat egredi de terra suæ cognationis. Verum Deus qui præelegerat illum in Cartusiæ Val-

lis Christi alumnum, dormientem e somno excitavit, dum Cyrillum simul et socium ejus Sebastianum Ruiz febre periculosissima percussit. Ambo in extrema salutis linea constituti, sæculo prorsus valedicere sanctumque Cartusiense Institutum amplecti statuerunt, modo Deo propitiante incolumes evaderent. Convaluerunt de infirmitate; sed paulo post in pristinum recidentes teporem, parum memores erant vota sua Domino reddere. Minus erat Sebastiano (parentibus suis conjunctiore) frigidus noster Cyrillus, adeo ut expeditior esset, parumque rebus sæculi detineretur.

Decurrebat annum ætatis suæ vigesimum primum, cum promotus ad Subdiaconatum permutavit suum Beneficium situm extra civitatem, cum altero Parœcialis ecclesiæ S. Thomæ Apostoli. Ibidem residens per aliquot menses, assiduus erat in divinis Officiis, quibus ea cum modestia intererat, ut astantes suo exemplo provocaret ad devotionem. Obsurdescebat nihilominus ad vocem Dei vocantis; torpebat pariter Sebastianus, surdasque præbebat Divinis inspirationibus aures : licet Deus flagellis quibusdam interdum ambos admonens, vexatione daret eis intellectum. Sæpe in extremum vitæ discrimen adducti, non sine miraculo ereptos e periculo se conspicientes, hic Dei digitum esse non diffitebantur. At propriæ infirmitatis pondere prægravati, nondum poterant e procelloso sæculi pelago ad tranquillum Religionis portum appellere.

Verum Deus pulsabat Cyrilli cordis fores. Utque tandem aliquando aperiret, induratum quodam modo cor emollivit sapientissimus animarum Medicus, dum Cyrilli fratrem, quem unice diligebat, morte violenta sustulit. Quo quidem acerbissimo casu commotus, iniit consilium lacernam Cartusiensem induendi. Mentem suam Sebastiano patefaciens, post multas tergiversationes tandem habitum susceperunt monasticum, die 20 Septembris, anno 1642.

Vix palæstram ingressus Novitius noster, varias molestasque patitur tentationes; tamque acre illi bellum diabolus indixit, ut hosti succubuisset Cyrillus, ni Beatissima Virgo Maria succurrisset prælianti : cujus patrocinio corroboratus, victor evasit, in arrepto proposito perseverans. Sic autem inimici technas novus Christi miles illusit.

Divertit aliquando Religiosus quidam Ordinis S. Francisci sanctitate nominatissimus ad hanc Cartusiam, invisit Novitium. Divino forsan illustratus lumine ejus animæ statum cognoscens, de industria miscuit sermones de tentationibus, quas a diabolo sustinuerat, suum obiens munus Apostolicum (erat quippe percelebris salutis animarum zelator). Cumque intimas hujus adolescentis penetraret cogitationes, ita tristitiæ ejus causam patefecit, ut cum tyronem docuisset ad Domini prælia præliandum, nutantem antea et fugam ad sæculum

fere meditantem, dimiserit in sancta vocatione confirmatum, divinisque perfusum consolationibus. Excussis igitur tentationum nubilis, adfuit serena dies 21 Septembris, qua Cyrillus juravit in verba Magistri. Aberat tunc Benavente Vallis Christi religiosissimus Moderator, cujus vices supplens Franciscus Pallas, Prior Aræ Christi, excepit Novitii professionem.

Porro cum hominis vita sit militia super terram, humani generis hostis videns Cyrillum Divino famulatui votis astrictum monasticis, quem ideo e Religionis gremio non valebat amplius ejicere, alias adhibuit machinas, quibus illum affligeret, ejusque nocturnam interturbaret quietem. Si enim pius adolescens statum indulgeret somno tempus, statim aderat decumbenti tentator, mole quadam jacentem suffocaturus; cumque ille signo Crucis fugare dæmonem adnitebatur, id præstare nequibat, eo quod se lectulo affixum constrictumque sentiens, immobilis hæreret.

His præstigiis liberatus, novis fuit agitatus tribulationibus; recedenti siquidem tentationi statim altera succedens, novam præbebat Cyrillo patientiæ segetem. Erat a natura proclivis ad iram, quamvis summa morum urbanitate unumquemque alliceret ad sui amorem. Cumque interdum nonnulli præfervidioris parumper commotionis motus in eo assurgerent præter ejus voluntatem, illos indefesso mansuetudinis studio statim comprimens, supra modum contristabatur ad pœnitentiam, hos animi nævos lachrymis eluens ac suspiriis. Hæc collyria Deus Cyrilli oculis apponens, illum efficiebat in sui cognitione perspicaciorem; unde ex verbere eruditus, non alta sapiebat, sed de se sentiebat humiliter perfectissimus sui contemptor.

Studebat imprimis observantiæ regulari; nihil vel minimum prætermittens, se se in omnibus monachi muniis præbens irreprehensibilem. Rarissime aberat a divinis Officiis propter corporis infirmitates, chorum assidue frequentans, quamvis adversa affectus valetudine. Promotus ad Sacerdotium, erga Divinissimum Altaris Mysterium summam adhibebat venerationem, ad quod accedebat magna cum devotione, adeo ut tanquam Angelus Domini circumstantibus appareret. Deditus etiam erat singulariter orationi et cæteris quæ decent solitarium exercitiis. Ne autem ex assidua spiritualium meditatione animus Cyrilli fatigaretur, solebat relaxationis gratia imagines Beatissimæ Virginis efformare. Hæc manuum opera Cyrillo negotium facesserunt; nonnulli etenim credidere hujuscemodi rebus plus justo occupatum, minus esse deditum spiritualibus exercitiis. Verum cum nihil sibi conscius esset, debitumque orationi impenderet tempus, patienter tulit linguas loquentium iniqua, se se benigniorem in eos exhibens, quos sibi magis contrarios experiebatur.

Jam octennium exegerat in Religione,

cum incogitanter mortem suam præsagiit. Morabatur per id temporis in hoc monasterio quidam pictor, quem Cyrillus rogavit instantissime ut illum depingeret mortuum. Nativis adeo coloribus expressit ille Cyrillum, ut ipse cadaverosam effigiem tanquam sui simulachrum contemplans, ex vehementiori mortis cogitatione noctem illam duxerit insomnem, annos æternos in mente habens, Dei judiciis perterritus. Illucescente prima Septembris die, gravissima febre corripitur. Cumque medicus illum periculose ægrotare declarasset, de tota vita Cyrillus rite confessus, Sacræ Eucharistiæ viatico refectus est ingenti cum devotione, in gratiarum actiones pro tanto beneficio effusus.

Inter hos actus Christianæ pietatis suavi capitur somno ; verum paulo post expergefactus advocat astantem sibi monachum, cui dixit : « Scias velim, dilectissime Pater, quod, dum tibi dormire videbar, raptus fuerim ad fontem de Ribas, ubi conspexi nostram Dominam sacræ Speluncæ. Cumque ad eam propius accessissem, abluit me a planta pedis usque ad verticem, mihique alabastri frustum ostendens, dixit : Fili mi, ad instar hujus lapidis dealbabo te ac purificabo. His dictis, Beatissima Virgo remeavit ad sacram Speluncam super montis apicem constitutam, e cujus radice fons emanat supra memoratus. Cumque eam abeuntem cernerem, illam sum secutus, rogans ut me dignaretur expectare : quod quidem illa bis aut ter fecit. Quibus peractis, me dimisit cœlesti consolatione repletum. »

His visionibus Deipara servi sui animum recreabat. Quam cum singulari devotione semper coluisset, nihil ei jucundius erat, nihil delectabilius quam audire Mariæ nomen. Si quis ægrotum inviseret Cyrillum, statim ille rogabat, ut sermones fierent de laudibus nostræ Dominæ de Spelunca : quod quidem jacens in lecto ea facilitate faciebat, non secus ac si nullo fuisset affectus morbo.

Monachis autem ad cellas suas recedentibus, statim ille Fidei, Spei et Amoris intentissimi actus ingeminans, multoties recitabat devotissime versiculum nostræ professionis : *Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam, et non confundas me ab expectatione mea.* Interdum se convertens ad Dei Genitricis laudes, lætabundus cantabat Antiphonas *Salve Regina* et *Sub tuum præsidium.*

Ingravescente morbo, die 18 Septembris, sacrum petiit Epulum ; quo inter infirmitatis dolores confortatus, per duas horas divinum quem susceperat Hospitem alloquens, cum ingenti spiritus fervore identidem dicebat : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Cui versiculo subjungebat sæpe sæpius : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum,* gratias agens Deo pro suæ vocationis dono; suaque mox vota renovans, repetebat : *Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam,*

58 *b*

et non confundas me ab expectatione mea. Cum autem brevi se redditurum de factis propriis rationem cogitaret, totus ad horrendum Dei judicium contremiscens, plurimas effundebat lachrymas, suumque gemitibus ac suspiriis deprecabatur Judicem. Verum in Divina confidens misericordia, se ad omnia paratissimum dicebat ; seque natum esse mortalem sciens, lætus expectabat adventum Domini.

Porro attritus morbi diuturnitate, petiit instanter Extremam Unctionem ; quam devotissime percipiens, die 30 Septembris, se jungebat psallentibus monachis, ipseque respondebat sacerdoti statas preces recitanti. Purus tandem Cyrillus atque instar argenti purgatus, cum supremum parasset discessum orationibus ferventissimis continuisque dissolutionis suæ et esse cum Christo desideriis, in extrema salutis constitutus linea, suum in Beatissimam Virginem Mariam testificaturus affectum, has voces stante monachorum corona protulit : « Maria absque peccati originalis labe concepta. » His dictis, oculos ad mortis somnum claudens, æternum victurus ad Deum feliciter migrat, anno 1650, 1 Octobris. Nonnulli divinitus cognovere Cyrillum ab ignibus Purgatoriis immunem statim post mortem ad Cœlos evolasse. Hujus etiam corpus, dum quidam Vallis Christi monachus tumularetur, integrum repertum est.

Fuse descripsit Cyrilli Vitam Hispanico sermone [*Joachim Alfaura*], *ex quo hæc collegimus.*

II DIE OCTOBRIS

JOANNES

VICARIUS MAJORIS CARTUSIÆ

Vixit sancteque obiit, R. P. Jancelino Cartusiensis Ordinis clavum tenente. De quo Nicolaus Molin in Historia Cartusiensi ms. meminit in hunc modum :

« Circa hoc tempus terras cœlis commutabat D. Joannes, Majoris Cartusiæ Vicarius, insignissimæ sanctitatis, et qui virginitatis florem ad mortem usque illibatum conservavit. Huic aliquando anxio, quod multi austeritatem Ordinis ferre non sustinentes discederent, apparuit Christus Dominus inter Divam Virginem Matrem suam positus, divumque Joannem Baptistam ; et manu caput illius demulcens : « Ne turberis, inquit ; quamdiu Mater mea vestri curam geret, non deerunt, qui Cartusianum Institutum suscipiant et perseverent. » Et interim in momento aspexit navem quamdam Fratribus Cartusianis

onustam secundo flumine ferri in cœlos; vocemque rursus Christi dicentis audivit : « Ecce, potius Angeli de cœlo venient et Cartusiam meam inhabitabunt Cartusiani effecti, quam ea aliquando absque habitatore fiat. »

JACOBUS MARTINEZ

MONACHUS PORTÆ CŒLI

Ejus Vita describitur a Joanne Baptista Civera in Chronico Portæ Cœli, cap. 11, his verbis :

V. P. D. Jacobus Martinez, natione Valentinus ex civitate Setabensi, a parentibus non infimæ conditionis ortus est. Hic cum honorificentia paterna nutriretur, contigit quadam die, ut in aula domus parentum saltaret cum quadam puella sorore sua ; vel, ut alii narrant, ipso citharam pulsante, puella saltabat. Sed heu ! infelix sequitur casus, cithara in vocem flentium versa est. Saltans enim puella tota hilaris et jucunda, subito et inopinate tremula et exanimis in terram cecidit ; nulloque valens adjuvari remedio, protinus expiravit. Quo miserabili casu juvenis ipse totus conterritus salubriterque compunctus, statim de sua cœpit salute cogitare. Et illud recogitans Salvatoris, *Nisi quis oderit patrem et matrem, adhuc et animam suam, non potest meus esse discipulus,* statuit parentes fugere, divitias contemnere, honores et omnia, quæ hujus sæculi sunt, toto corde relinquere, et nudus nudum sequi Christum.

Nullam jam agit moram. Venit Valentiam, venerabilem quemdam presbyterum consulturus, quem statum et locum eligeret. Cujus consilio ad hanc Domum venit. In qua receptus et monachali habitu indutus Vigilia Dominicæ Incarnationis, anno 1451, tanto cœpit fervore Christo famulari, ut totum antiqui Statuti rigorem sibi imponeret. Sed cum in hoc inexpertus juvenis non satis prudentia uteretur, videntes juvenem suo arbitratu periclitari experti Patres, coacti sunt illi moderationem constituere. Obedivit juvenis et a periculo liberatus est. Inde venit quod postea senex jam dicere solebat juvenibus : « Filii, obedite Patribus, obtemperate senibus ; nam si ego non obediissem, forsitan periissem. »

Tantam sibi gratiam efficaciamque in consolationis et exhortationis verbis collatam fuisse fertur, ut nemo, quantumcumque mœstus vel etiam desperatus, ab ejus colloquio non valde consolatus aliquando discesserit. Fuit insuper in quibusdam adversitatibus, incommodis et injuriis (si quæ irrogatæ fuissent) virtute patientiæ ornatissimus. In perferendis Fratrum importunitatibus valde mansuetus, ipse vero, in suis, quas patiebatur, necessitatibus nulli esse gravis aut molestus conabatur. Unde aliquando dicere solebat : « Quicquid Deo placuerit, pati non recuso ; hoc tantum mihi molestum erit, si meis

incommodis, Fratribus gravis fuero. » Quare se Deum deprecari dicebat, ne se aliam, quam quæ sine Fratrum gravamine sustinere posset, infirmitatem incurrere sineret.

Introivit ejus oratio in conspectu Domini, et eam, quam integro corde petierat, gratiam, ut infra patebit, nactus est. Nam cum servum suum exercere Dominus disposuisset, ejusque orationem exaudire (uti amicos solet), talem ei permisit accidere casum. Cum enim quadam die, mundandi vestes gratia, caldariam aqua plenam igni supposuisset, aqua vehementer fervente, infelici casu super venerabilis Patris tibias et pedes caldaria eversa est. Ex quo, Divina dispensatione sanitatem recuperare non permittente, usque ad vitæ terminum ulceratus in tibiis remansit. Quæ ulcera absque alieno adjutorio usque dum vixit, quamvis patientissime, magno tamen dolore ipsemet curabat, glorificans Deum in doloribus suis.

Fuit etiam adeo in victu et vestitu aliisque cellæ utensilibus paupertatis amator, ut præter unum vel duos libros, quos de armario (ut Statutum disponit) vel a Fratribus mutuabatur, quicquam non haberet. Quod si aliquando munuscula, ut sudoriola comestibiliave, sibi mitterentur, nihil sibi reservans, Fratribus omnia dividebat.

Fuit etiam ita dulcissimæ contemplationis exercitio deditus, ut mentalibus eum non caruisse excessibus ipsa docuerit experientia. Contigit enim semel, ut sæcularis quidam sibi amicus et ipse devotus quædam de Salvatoris nostri Passione devotissima vulgari sermone conscripta afferret. Qui cum venerabilem Patrem interrogasset, utrumne ea audire vellet, maxime id sibi acceptum fore (dummodo distincte et devote ea legeret) respondit. Incœpit igitur sæcularis ille, ut V. Pater mandaverat, legere. Incœpit et V. Pater, tribus aut quatuor perlectis carminibus, a se ipso alienari; sicque sensibus privatus et a se ipso factus alienus, ut per grande temporis spatium, nullum corporis membrum naturali posset fungi officio.

Illud etiam non oblivioni tradendum (quod quidam V. monachus, D. Joannes Sangarrent nomine, post obitum prædicti Patris asserebat), qualiter scilicet Sabbati die Beatissimam Virginem Mariam V. P. D. Jacobo Martinez visibiliter apparuisse, familiariterque eidem allocutam fuisse : quod prædicto seni in Confessione Domnum Jacobum Martinez notum fecisse creditur.

Nec caruit spiritu prophetico Pater hic venerabilis, quod pluries manifestatum est. Nam cum, anno 1478, Illustrissimus Princeps Henricus de Aragonia, qui alias Segobricæ Infans nuncupabatur, Segobricensium civitatem expugnaturus venisset, multisque damnis illatis eam obtinere non potuisset, iterum cum majori fortiorique exercitu civitatem omnino expugnaturus rediit. At cum prædictus Henricus genti suæ, cui dominari cupiebat, plura inferre

mala horreret, V. Patrem rogaturus huc venit, quatenus Dominum oraret, ut Segobricensium civium corda emollire dignaretur, ne eis mala inferre iterum cogeretur. Cui V. Pater respondit, ut iret secure, quia sine pugna eos obtenturus erat. Et ita factum est.

Contigit etiam quadam vice, ut quidam Valentinus civis, cujus uxor ab Inquisitoribus Patribus quasi venefica diu detinebatur, V. Patrem rogaturus veniret, ejus se orationibus uxorem recuperaturum sperans. Qui postquam suam necessitatem Patri manifestavit, post multas consolationes et ad patientiam exhortationes, tandem ei respondit : « Vade, fili, consolatus ; nam antequam domum pervenias, quod diu desideras, obtinebis. » Et ita factum fuit. Nam rediens Valentiam, in vico qui dicitur Murviedro, obvios habuit Patres Inquisitores ; quos salutans, dixit : « Domini, quid fiet de mea uxore ? » Cui illi promiserunt se eadem nocte eam sibi restituros : quod et fecerunt.

Nec caruit miraculis, etiam vivens, hic V. Pater. Ex quibus unum aut pauca ad Dei laudem et legentium ædificationem proferemus.

Fuit in quodam pago Valentino ex his, quæ circa urbem sunt, vir quidam agricola honorabilis valde et dives, cui unica erat filia. Quæ ægrotans, pervenit ad extremum mortis periculum, ita ut nulla jam esset spes vitæ ipsius. Miseri parentes, quibus unica erat consolatio, videntes eam jam morituram, in lamentabiles irremediabilesque fletus proruperunt. Quod videns quidam eorum amicus, ait patri puellæ : « Tu si Domum Portæ Cœli adires, et antequam puella expiret, ad quemdam sanctum virum D. Jacobum Martinez pervenires, profecto haudquaquam filia tua moreretur. » Quod anxius pater audiens, statim equum ascendens, festinus ad hanc Domum pervenit.

Cumque Domui appropinquaret, accidit ut V. Pater eadem via animi recreandi gratia deambularet ; quo factum est, ut primus ei occurreret. Quo viso et ignoto, ei quasi alteri mœstissimis verbis ait : « Pater, ubi est ille sanctus monachus D. Jacobus Martinez ? » Cui V. Pater respondit : « Quid tam mœstus es, fili ? » Exposuit ille miserabilem causam suam ; cui post aliquot consolationis verba dixit : « Fili, de viro, quem quæris, valde deceptus es ; nam nos nequaquam habemus eum sanctum, ut tu putas, sed omnibus infeliciorem. Quare, taceas hoc, et accipe consilium meum. Domum ascende et omnibus Patribus tuam causam expone ; ipsisque pro filia tua Deum rogantibus, absque dubio vivet, et non morietur. » Quæ verba absque novis lachrymis vir ille audire non potuit, sua se credens expectatione frustratum. Fecit tamen quod V. Pater consuluerat. Cumque Domum ascendens illum esse D. Jacobum Martinez, qui primus in via sibi occurrerat, didicisset, nimiam ejus cernens humilitatem, majori

revertens fiducia suam eidem necessitatem vehementius commisit. Quem V. Pater consolans, taliter allocutus est : « Vade, inquit, fili, lætus; non enim morietur filia tua. » Quod factum est ita. Nam domum revertens, suam absque ullo periculo puellam sanitati restitutam invenit.

Quidam etiam civis Valentinus, dominus Berengarius Martinus nomine (illius Berengarii Martini filius, qui ædificavit capellam S. Martini deditque custodiam argenteam et est sepultus in nostro cœmeterio), vir multum honorabilis et Deo devotus, valde venerabili Patri afficiebatur, habebatque eum in magna reverentia et devotione. Quapropter petiit ab eo quemdam, quo ipse utebatur, pileum laneum, simulans se eo indigere : cupiebat enim aliquid habere, quod ipsius carnem tetigisset. Cui Pater quod petierat simpliciter præbuit. Prædictus vero Berengarius summa cum devotione eum accipiens, multos cum eo sanavit languores. Contigit enim quemdam amicum suum magnis infirmari febribus; quem ille visitans consolarique cupiens, quamdam se habere Reliquiam dixit, qua mediante eum sanitatem recuperaturum confidebat. Quid plura? Prædictum attulit pileum, infirmi capiti imposuit, et a febre immediate liberatus est. Multos etiam alios solo pilei contactu, ut Berengarius ipse narrabat, sanitati restituit : quod nemini manifestavit, nisi post Patris obitum.

Cæterum ad ejus felicem transitum veniamus. Sui namque obitus die Missam de Angelis celebravit, interfuitque Horis divinis in ecclesia, et Officii Defunctorum Lectiones, ut moris est, post Vesperas in ecclesia cantavit. Quibus perlectis, ab ecclesia statim recessit. Dumque in cella Officii residuum persolveret, accidit ei frigus, quemadmodum infirmis ante febrim accidere solet. Cumque, Defunctorum Officio dicto, totus Conventus ab ecclesia discederet, quidam juvenis monachus, Gilbertus Canell nuncupatus, visitare V. Patrem perrexit. Quem cum ipse videret : « Bene, inquit, veneris, fili; operi me, et vade, voca ad me Patrem Priorem, dicesque ei ut veniat cito : volo enim confiteri. » Quod cum juvenis recusaret, subjunxit : « Vade cito, fili, et noli morari. » Perrexit ergo juvenis, et quod Pater venerabilis dixerat, Priori retulit.

Advenit Prior, et consolari se eum existimans, dixit : « Nondum in tali necessitate positus es, Pater. » Cui ipse respondit : « Scio, Pater, quod dico : festina mihi conferre Extremam Unctionem, alioquin tempus deerit. » Audita ergo ejus Confessione, contulit ei quam petierat Extremam Unctionem. Receptis igitur omnibus sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis cum tota mentis et sensuum plenitudine ac integritate, præsentibus omnibus Fratribus ejusque exitum precibus et orationibus munientibus, sancta illa anima, paulo post Completorium, cum quodam gaudio et

sine agonia, a nostris his tenebris ad supernæ patriæ claritatem translata est, anno millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, in cella B, relicto ingenti sui desiderio.

Vestes ejus non solum a Nostris, verum etiam a sæcularibus in tanta sunt habitæ reverentia, ut felicem se crederet quisquis, si aliquam particulam habere potuisset. Vidi ego lineas illas fasciolas, quibus ipse tibiarum plagas fasciare consueverat, ulcerum in se vestigia adhuc retinentes, quas quidam discipulus ejus Domnus Simon Ros in quadam capsula magna cum reverentia servabat. Nec frustra servatæ sunt Reliquiæ istæ a piis et devotis sæcularibus; nam, ut ipsi narrabant, multis infirmis sanitatem cum eis restituerunt.

Dignum est adnotare hoc unum, videlicet hunc sanctum Patrem tantæ fuisse perfectionis, ut (sicut in relatione antiqua Patrum accepi) in præsenti Domo residens, et sanctissimus atque extaticus vir D. Joannes Fort, monachus professus Scalæ Dei (de quo extat pergrande Volumen revelationum sibi divinitus factarum), vivens in dicta Domo, quæ ab ista distat per quinque dietas, sibi invicem in spiritu mutuo loquebantur, tractabant et cœlestia conferebant : Divina id agente virtute, cui nihil impossibile in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. »

Hactenus Joannes Baptista Civera. Dedimus Vitam Joannis Fort ad 14 Maii.

MARCUS ANTONIUS DE TOSSIGNANO

VICARIUS BONONIÆ

Ex nobili familia natus Bononiæ; in sæculo degens, natalium splendorem majori luce virtutum illustravit. Sacerdotio siquidem initiatus se se totum impenderat in aliorum salutem, nulli parcens operæ, ut omnes Christo lucrifaceret. Audiebat ut sanctus apud Bononienses Marcus noster, cum Deus ad sui servi probationem turpissima macula famam illius notari permisit hoc inopinato plane casu. Puella quædam, dum pater suus morbo decumberet, juveni cuidam ad rem inhonestam pellicienti sponte concesserat. Cumque jam tumescens ejus venter flagitium proderet, nolletque virginitatis suæ corruptorem indicare, omnem culpam contulit in Marcum. Soluta in lachrymas clamat hunc pietatis simulatorem, sub prætextu suum parentem infirmum visitandi, clam ad scelus indecorum induxisse. Mendacibus verbis nimium credulus pater fidem adhibens, Marcum conviciis affectum e domo sua eliminavit. Hujus rei rumore per totam urbem sparso, qui modo erat apud omnes in existimatione, factus est statim in opprobrium et derisionem.

Interim venerabilis sacerdos sibi bene conscius, imperturbatus permanebat, satagens pro maledictis, quibus impetebatur, non maledicere; sed effusus

in Dei laudes, gaudebat quod pro Christo dignus haberetur pati contumeliam. Nihilque protulit in suæ innocentiæ patrocinium; donec Deus ipse defensor factus, probatam hoc improperio virtutem cum fœnore restituisset in pristinum splendorem.

Jam puellæ instabat luctuosa puerperii dies. Verum natura licet et arte medicorum obstetricantibus, nequibat fœtum emittere. Venerat ad partum et parturire non poterat; diris cruciata doloribus, in extrema salutis linea constituta jacebat in lecto. Adstantes medici stupent ad parturientis laborem gravissimum : quem quidem non virium imbecillitati aut impotentiæ remediorum adscribentes, sed cuidam supernaturali causæ, puellam rogant, num alicujus noxæ conscia iram Dei provocasset ; subjunguntque, ut conscientiæ latebras et recessus lustrans videret, an in se tantæ pariendi difficultatis causa et origo lateret, supplexque ad iratum Numen confugiens, cito citius secreti criminis pœnitens sibi conciliaret propitium.

Instantis mortis periculum expressit admissi sceleris confessionem. Judiciis etenim Dei perterrita, dedit gloriam Deo, dum palam omnibus, animo plane contrito, dixit se violati pudoris crimen Marco affinxisse, veniam tam atrocis calumniæ instanter petere, circumstantesque rogare, ut suum crimen sacerdotisque innocentiam divulgarent. Se seque ad omnia paratissimam, quæ sibi Dei servus pro noxæ expiatione injungeret, testans, illico fœtum enixa est.

Statim atque id innotuit, singuli pessimam de Marco conceptam opinionem deponentes, alii patientiam, alii silentium, alii laudabant humilitatem. Solus inter gratulantium amicorum plausus tristis erat; et honoris sibi a plebe exhibiti prorsus impatiens, non secus ac si, perspecta jam innocentia sua, nocens fuisset, fugam adornat, et vitæ obscurioris desiderio secessit ad Bononienses Cartusianos.

Ab his exceptus perhumaniter, licet jam ætate grandis effectus, tanquam parvulus se se ad moderatorum imperia accommodabat : iis exhibebat promptissimam obedientiam ; quorum voluntatem ita sibi sequendam præstituerat, ut ab ea ne latum quidem unguem unquam recesserit. Erat præterea humilitatis, paupertatis et Christianæ simplicitatis eximius sectator; nihilque in illo apparebat, quod non suavissimum sanctitatis spiraret odorem.

Unde tot suffragantibus meritis, non multo post emissa professionis vota, Vicarii officio admotus est, ut cæteris exemplari conversatione præluceret. Impositum onus suscipiens, perfectissime suum implevit ministerium : forma gregis factus et exemplar, in quod exercitatores studiosi Cartusianæ perfectionis respicerent. Statutorum imprimis erat observantissimus, et ita sollicitus super sui custodiam, ut nihil ageret, quod etiam aliis non crederet esse lici-

tum. Satagebat opere simul et sermone ascetas provocare ad gradiendum per sanctioris vitæ semitas; solebatque dicere sufficere viro Religioso simplicitatem, ad conscendendum apicem monasticæ perfectionis. Hanc appellabat Vitæ cœnobiticæ compendium, ac unicum finem quo monachus tendere debet. « Vis, inquiebat, puritatem cordis possidere ? Simplex esto. Vis intime Deo uniri ? Simplex et humilis esto. Deus enim est actus simplicissimus et ipsa simplicitas. » Hanc simplicitatem prudentia, bonitatem sapientia, affabilitatem morum gravitate temperans, omnium sibi devinciebat animos.

Philtrum atque illex erat Marci modestia singularis, quæ illi omnium conciliabat existimationem. Unde Cardinalis Paleottus, archiepiscopus Bononiensis, dulci ejus congressu attractus, sæpissime divertebat ad Cartusiam, ipsumque consulebat de gravibus negotiis. Nunquam viri Dei cellam Archiepiscopus intrabat, ni prius factus fuisset certior Marcum Canonicas Horas persolvisse. Oranti veritus esse importunus, dicebat se nolle sponsam suscitare donec ipsa vellet, cavens plurimum ne pietatis exercitiis vacantem interpellaret. Observabat Officii pulsum; moxque audita campana, recedebat cum domesticis suis, satius ducens monachorum quieti consulere, quam sui ipsius consolationi. Mirifice delectabatur Marci colloquiis; nunquam etenim religiosissimus Pater nisi de rebus divinis miscebat sermones.

Si quis autem, unde tot Marco virtutes excrescerent, curiosius investigare velit, orationem harum parentem nutricemque agnoscet. Huic erat deditissimus ; ipsique sufficiebat oculos in cœlum direxisse, ut mox præ amoris Divini suavitate lachrymarum imbres effunderet. Cæterum cum vitam traduxisset in omni sanctitate, Cœlo jam maturus, perceptis devotissime Sacramentis, purum Deo spiritum reddidit, anno 1571, 2 Octobris.

Ex ejus Vita ab Anonymo Italice descripta.

III DIE OCTOBRIS

MAGISTER RADULPHUS DE CRUCIFIXO
PRIOR CALABRIÆ

Sancti Brunonis alumnus, qui ejus successori Lanuino cum cæteris obedientiam promisit. Ob vitæ sanctimoniam, anno 1128, Magistro Germano succedens, cum præclaris virtutum exemplis in hac eremo effulsisset, morte beata vitæ cursum absolvit, anno 1132, 3 Octobris. Hujus monasterii pa-

trocinium Deus suscepit, dum ibidem præerat Radulphus, contra quemdam Comitem, cujus historiam subjicio.

Anno Domini 1131, cum Gaufridus de Lorotello comes Cantazarii in Calabria, filius Radulphi comitis de Lorotello, nepotis comitis Rogerii fundatoris ac dotatoris eremi S. Mariæ de Turre, revocasset donationes cujusdam ecclesiæ Omnium Sanctorum et terrarum et vinearum in tenimento oppidi Badulati a se et a matre sua Berta factas, Deo vindice, gravi apostemate fuit in pectore sauciatus; unde et ad extrema devenit. At condito testamento cum morti proximus esset, a Rogerio de Arenis admonitus ut res injuste ablatas restitueret, simul ac ablata restituit, sanguine ex ore et naribus fluente, sanitati pristinæ redditus est. Quod clarius ex ipsiusmet verbis et Instrumento restitutionis patebit, ubi sic ait :

« Anno ab Incarnatione Domini 1131, Indictione octava [al. nona], mense Octobri, cum ego Gaufridus de Lorotello Cantazarii comes, juvenili cupiditate tenerer, ne quod Domina mater mea venerabilis Berta pro ecclesia Omnium Sanctorum de tenimento de Padulato, quam dederat B. Mariæ de eremo ac beato Protomartyri, terras cultas et incultas, arbores domesticas et silvestres, villanos quoque et vineas confirmarem, sed potius revocarem, plus expetens temporalia quam æterna; Deo permittente, post meæ revocationis triennium in stomacho fui horribili apostemate sauciatus, adeo dure ut, vitalibus spiritibus diminutis, a medicis desperarer. Verum post conditum testamentum, dixit mihi Dominus Rogerius de Arenis, qui modo testis adfuit testamento apud Castellum novum, ubi eo tempore infirmabar : « Confirma puro restituendi proposito, quæ revocasti, B. Protomartyri Stephano; est enim tanti meriti apud Deum, quod te poterit ab isto apostemate liberare. »

« Quibus verbis auditis, jussi per novum testamentum, quod in momento iterum condidi, confirmari. Mirum in modum cœpi subito sanguine putrido fluente de ore et naribus liberari. Quo viso miraculo devotus misi litteras Fratribus Eremitis, eo die quo navis Genuensium ab Alexandria veniens, in portum Castelli novi ruinam est passa. Venit autem ad me ad castrum meum Cantazarii Radulphus de Crucifixo, Eremitarum S. Mariæ et S. Protomartyris S. Stephani Magister, et cum eo Frater Arnaldus, et Odo et Guido monachi, quibus præsentibus præcepi præsens Privilegium per manus scribæ Roberti conscribi, et quæ Domina mater mea dederat.... »

Ex Schedis D. Severi a Neapoli, et Vita S. Brunonis edita a Suriano, et Libro ms. D. Constantii de Rigetis quondam Rectoris Domus SS. Stephani et Brunonis.

ANONYMUS

PROCURATOR CALABRIÆ

De eo præfatus Constantius de Rigetis in suo Manuscripto meminit his verbis :

« Fuit quidam Frater ab ineunte ætate bonis moribus pollens, et sicut patet operum indicio, Deum valde diligens : qui videlicet relicta sæculari pompa, habitum Religionis accepit. Hic igitur Magistri Lanuini jussu omniumque Fratrum assensu, cujusdam Cellæ, quæ Metabris dicitur, Procurator statuitur. Hæc itaque Cella terris et possessionibus ac vineis perabundans habetur. Est igitur apud eamdem Cellam quædam ecclesia in honore S. Jacobi apostoli ibi fabricata, cui jam dictus Frater cum cæteris sub ejus regimine positis serviebat : curisque mundialibus exequendo, officium sibi injunctum insistebat, Fratribusque Eremi de eadem Cella, id est grangia, quod justum est reddens. Fuit vero sic in eadem Cella duodecim annis, ibique Deus hujusmodi visionem ostendere dignatus est, quam non sine metu, lachrymis testantibus, recolit.

« Nocturna igitur visione ostensum est ei quasi ædificium rotundum, magnos muros et altos habens per gyrum; et quamvis nesciret quomodo, tandem ingrediebatur in illud, videbatque inibi stare magnam hominum multitudinem, et stare super muros Æthiopes omni fuligine nigriores, funesque in suis manibus tenentes, partemque illorum Æthiopum in terra esse, et de ipsis funibus homines per colla ligare, illosque qui sursum erant trahendo levare. Audiebatque quemdam sibi dicentem : « Isti sunt criminatores, hoc est qui crimina commiserunt, nec pœnitentia delevere, sed vitam ita terminavere. » Audiebatque nihilominus voces hominum fœminarumque, qui cum ingenti ploratu dentiumque stridore dicebant : « Ego miser talis tale crimen operatus sum. » Similiter fœminæ, cogentibus tormentis, licet sero et sine fructu, scelera sua plangendo confitebantur. In medio autem prædicti ædificii erat quoddam ingens antrum multo incendio plenum, ardebatque quam terribiliter. Ante vero antri foramen innumeri homines stabant, qui in illo specu ab illis Æthiopibus omnes maxima vi et eo modo impingebantur, quo a Pastoribus oves in ovili sive in caula truduntur.

« Prædictus itaque Frater hoc videns multum stupebat, valdeque perterritus in se ipsum aiebat : « O Deus, quomodo effugere vel abscondere me possum, ne ab istis spiritibus videar, et quod alios pati video, patiar ? » Illos enim esse spiritus sciebat, et ideo se evasurum nullatenus credebat. Enimvero hæc intra se cogitans, sicut nescivit quomodo vel qualiter introiit, ita fatebatur se nescire quomodo exiit. Eum tamen inenarrabiliter lætum fuisse sciatis, cum de ædificio se exisse

murosque evasisse cognovit. Dum enim intus erat, securitatem qua similia pateretur, non habebat.

« Istis majora magisque stupenda succedunt. Post modum etiam vallis quædam sibi ostensa est, quæ multis clibanis grandi incendio ardentibus replebatur ; viditque ibi homines, quos in sæculo cognoverat, ardere et penitus cremari. Recognovit quoque ibi quemdam senem decrepitæ ætatis et longo senio confectum, in uno clibano non multis carbonibus pleno, sed tamen non ardebat. Vidit etiam ab illis Æthiopibus quemdam furnum parari, ut in eo quidam presbyter, cujus cognitionem in sæculo habebat, cremaretur. Matrem quoque suam, facto de spinis rogo igneque supposito, ardere vidit. Quo viso inenarrabiliter stupens, admirabatur et cogitabat, qua de causa sic mater sua cremaretur ; nam, sicut moris est infantium, semper cum illa fuerat, nec aliquid vitiosum seu reprehensibile de ea aut viderat, aut comperierat : sapiens enim et valde religiosa juxta sæculi opinionem putabatur. Cum igitur hæc cogitaret, dictum est sibi pro qua re tam intolerabili pœna afficiebatur.

« Vidit denique quamdam domum, in quam cum intrasset, eam plenam rabidis canibus se vidisse refert. Exiensque de illa domo per quoddam ostium, agnovit patrem suum quasi in sublimi sedere juxta domum, suisque genibus strictim circa se collectis, manum velut nimia actus mœstitia ad maxillam tenere, plangendo dicens : « Væ, væ mihi misero ! O Maria, quam male et ad quantam infœlicitatem meam te vidi! » Hoc quare diceret, bene prædictus Frater noverat, dicens, matre sua mortua, ancillam unam in domo remansisse, cum qua patrem suum coeundo peccasse animadvertit.

« His ita peractis vidit alium clibanum quasi recenter factum, clausum, neque ignem neque os habentem; dictumque est sibi ab illo qui ostenderat, suum esse. Quo audito, cor ejus valde contremuit ; et ex ipso metu quem habuit a somno evigilans, expergefactus est. Postea cœpit in corde suo recordari omnium quæ viderat, et præ ineffabili timore eorum quæ audierat, lachrymas fundebat. Protinus itaque surrexit cucurritque ad ecclesiam, et projiciens se in terram, mentali affectu clamavit ad Dominum, ut sibi propitius esset, seque eriperet de cruciatibus et pœnis quæ peccatoribus imminent.

« Non minori etiam devotione totius creaturæ Dominam, Sanctissimam videlicet Mariam, omnesque Angelos et nominatim S. Jacobum cum cæteris Apostolis, omnibusque Sanctis, ut Deum suis sanctis precibus sibi propitium facerent, Deoque supplicarent ne pro suis culpis cruciaretur, exorabat. Oratione itaque completa, visionem quam viderat, tacitus recolendo seriatim et per ordinem descripsit. Et valde perterritus, nocte vigilare, seque ab hujus mundi

actibus demere, et singulis diebus semel tantum comedere cœpit, omnique die pro fidelibus defunctis Missam canere et psalmos ut poterat dicere studuit. »

Hactenus Manuscriptum. Vixit ille Anonymus circa annum 1131.

JOANNES FRANCISCI

SACRISTA LOVANII

Vir orationi ac rerum cœlestium contemplationi addictissimus; quique tam stricte silentium servabat, ut quadam die cum videret auferri stanneam matulam, non ausus fuerit inclamare furi, ne violaret silentii leges. Naturæ debitum persolvit anno 1636, die 3 Octobris.

DOROTHEUS DE OLENDA

PROCURATOR BONONIÆ

Nobilibus parentibus ac ingenuis mercatoribus natus Coloniæ, liberalioresque disciplinas edoctus, a suis Venetias mittitur, ut Italum idioma et peragendæ negotiationis usum edisceret. Verum tenerrimo devotionis sensu affectus erga S. Brunonem concivem suum, ejusque Institutum sectari concupiscens, mortificationis ac pœnitentiæ exercitiis animum et corpus in dies magis ac magis cœpit affligere, quatenus impulsibus Divinis fideliter obediens, voti sui finem assequeretur.

Bononiam igitur venit anno 1604; habituque donatus a V. P. Cappono, juventutem suam ad instar aquilæ renovare contendit, et oblitus quæ retro erant, se extendit ad anteriora. Fuit aspectu venustus, comis, moribus placidissimis, cunctis redivivus Dositheus sancti Dorothei discipulus videbatur: lætus semper secundum Sanctorum faciem, omnium virtutum se se normam præbens. Ad Altaris Sacrificium ipse mortificationis ac contriti cordis victima accedens, plerumque resolvebatur in lachrymarum rivulos, et ob angelicam suam modestiam et fervorem lachrymas etiam ex astantium oculis eliciebat.

Dum in silentio et solitudine cum Maria audiret verbum Domini, coactus est Marthæ subire ministerium, factus Procurator in Domibus Vedanæ ac Montelli. Hoc etiam munus obivit in Cartusia Bononiæ, summa honestate, gravitate, oculorum custodia, charitate, prudentia, animarum zelo, patientia, vigilantia ac paupertatis studio, apud omnes laudatissimus. Præsentiæ Dei exercitio deditissimus, suum ubique implevit et honorificavit ministerium cum magna Domorum utilitate.

Præcellebat cæca in Prælatum suum obedientia, a quo vel in minimis pendere volebat, eique non tergiversans, sed prompto alacrique obtemperabat animo. Hinc homo aliunde prudentis-

simus ad eam venerat simplicitatem et animi candorem, qui omnes in admirationem raperet. Nunquam ab ejus ore excidit verbum malum aut querela de absentibus, osor ipse maximus detractionis. Unde Eminentissimus Cardinalis Spada cæterique supremi Magistratus Dorotheum velut verum Dei servum venerabantur; ejus integritatem causidici, notarii suspiciebant. Inter sæculares etenim conversabatur tanquam mundo plane crucifixus : omnino mortuus rumoribus sæculi, nihil unquam præter verbum bonum et de rebus divinis sermones eructans. Erat officiosus in omnes, neminique suum denegabat obsequium.

Abstractus ex temporalium administratione, Vicarius Bononiæ ordinatus, minima quæque Instituti Cartusiensis observari sollicitus fuit. Mater universorum, omnes in pace et spiritualium exercitiorum praxi continebat. Sui libenter faciebat copiam, factus mœrentium consolator, refugium ac nutritius suorum amantissimus. Semper sibi similem et inter quoscumque casus æqualem, nemo vidit unquam morosum, tristem, asperum, vel inurbanum; sed benigne et affabiliter excipiebat omnes, exemplo magis quam verbo edocebat, trahebat post se in suarum virtutum odorem. Prudens animorum ponderator, singulorum explorabat vires, unde facile parcebat mœrore pressis; errata minuta dissimulabat, si perspiceret correctionem fieri absque proventu; ægrotis et tentatis aderat peramanter; perfectionis monasticæ studiosos teneriori affectu complectebatur, ingenii durioris homines dulcorabat unctione lenitatis.

Tot charismatibus gratiæ decoratus, in Domino obdormivit, anno 1641, die 3 Octobris, relicta sanctitatis opinione.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

IV DIE OCTOBRIS

BALDUINA DE LA CROIX

MONIALIS GOSNAY

Sacristina; cujus prudentia, discretio, judicii maturitas, et præclaræ dotes ad Novitias, in iis quæ nostrum Ordinem et pietatem spectant, instituendas, illam utpote ad id peridoneam præfecerant. Habuit Novitiam quamdam, quæ Domum hanc anno ætatis quinto ingressa, sub annum ætatis duodecimum, ut mos erat per id temporis, Religionis habitum suscepit. Ubi autem primum canendi canonem a Balduina magistra didicit, tantam in eo perpessa est difficultatem, ut præsentis laboris magnitudo, sustinendæ sequentis difficultatis esset ar-

gumentum. Ut igitur vocis ruditatem vinceret, qua privatim, qua publice diu noctuque exercebatur ; at incassum. Neque enim docentis sollicitudo assidua, neque discipulæ indesinens conatus vel minimum quid proficiebant. Verum quicquid disceret, facillime rursus, sicut ex doliis Danaidum pertusis aqua diffluebat, infidelis memoria illud dimittebat citius, quod longo studio sibi putabat comparatum.

Ut ergo manifestum fieret omnibus nullum laborem hujus vitæ pro Deo susceptum frustraneum esse, ipse Deus, qui solus cordium intima scrutatur, utriusque, magistræ videlicet et discipulæ, sudores quanquam diversimode sic remunerari voluit. Factum est enim ut, post Novitiæ obitum, Balduinæ pro Matutinis ex officio ad pulsandam campanam eunti chorumque monialium ingressæ lux magna sæpe sæpius appareret, cujus splendore vis oculorum ejus perstringebatur ; qua novitate stupefacta, secum apud se tacita considerabat, unde lux tanta posset oriri. Multis iteratisque vicibus (rem enim statim manifestare noluit) illo fulgore est perfusa, donec tandem aliquando suam discipulam distincte cognovit sedentem in hemicyclo suo, splendore et gloria radiantem et in manu gestantem codicem deauratum mira prorsus contextum arte, ac per suavissima vocis discrimina, non jam ut rudimentariam aut tyrunculam, sed ut doctissimam psaltriam melos dulcissime canentem.

Unde Balduina in extasim rapta, discipulam sibi dicentem audivit : « Hæ sunt, mea Mater amantissima, hæ sunt retributiones, illa sunt munera, quibus Deus, liberalis remunerator Sponsusque fidelis, susceptos libenter pro ejus nominis honore modicos labores exsolvere consuevit. » Quibus dictis, redditisque de exhibita quondam ab illa charitate gratiarum actionibus, æternas sedes novis semper laudum carminibus Christum adoratura remeavit. Superstes Balduina e vivis excessit anno 1542, 4 Octobris.

Ex Schedis Cartusiæ Gosnay ad nos transmissis.

VILLEBRORDUS JOANNIS DE MIDDELBURGO

MONACHUS ULTRAJECTI

De quo Chronicon Cartusiæ Ultrajectinæ meminit his verbis : « Anno 1554, 4 Octobris, mortalitatem explevit D. Willebrordus Joannis de Middelburgo, primo professus Ordinis Præmonstratensium, in quorum Abbatia quasi septem annis laudabiliter stetit. Sed majori attractus devotione, Ordinem nostrum ingressus, professionem emisit in hac Domo. Iste bonus Pater studiosus fuit sacrarum literarum usque ad senectutem et cæcitatem oculorum ; multos pios et doctos sermones composuit, ut libri ipsius testantur, quam-

vis non polita litera exarati. Vixit in Ordine nostro perquam laudabiliter 36 annis et 8 mensibus. »

MARTINUS LAMO DE LA PUEBLA

CONVERSUS DE MIRAFLORES

Transegit in Ordine quinquaginta annos laudabiliter et fructuose; laboravit enim continue, etiam in extrema senectute, summa cura et diligentia in officio Sutoris. Fuit præterea humilis corde, Fratri sibi in adjutorium concesso viliora præstans officia. Magnus Statutorum zelator, Fratres minus observantes admonebat charitative, verbisque, quando opus erat, acrioribus corripiebat. Summam exhibuit patientiam in infirmitatibus, quibus jugiter fuit vexatus. Cumque per totum vitæ suæ spatium se bonorum operum exemplar præbuisset, feliciter obdormivit in Domino, anno 1570, 4 Octobris.

Ex Manuscriptis.

ANTONIUS VILLAPADIERNA

PRIOR XERITII

Salamanticæ natus; optime instructus literis, brevi temporis spatio ad perfectionis apicem conscendit. Orationi deditus imprimis et humilitati, Deo dilectus erat et hominibus. Paucis post emissam professionem annis assumptus ad Cartusiæ Xeritii moderamen, non diu clavum tenuit; vix enim Prioratus possessionem inierat, cum statim febre corripitur acutissima. Cujus ardoribus maximis adjunctus illius regionis et æstatis æstus sitim excitabat inextinguibilem : quam religiosus Pater mortificare satagens, nunquam potum a famulo sibi ministrante petiit ad ipsam extinguendam. Unde famulus ægroti patientiam et silentium admirans, rem narravit cuidam Fratri Laico, cujus suasu postea congruentem potum propinavit : qui hactenus heri sui patientiæ facturus de industria experimentum, aquam ei necessariam subtraxerat. Interim Antonius cum ad Deum fortem vivum desideriis sitiret ferventissimis, molesteque ferens impositum sibi regiminis onus cuperet dissolvi et esse cum Christo, tandem a Domino exauditus, pie moriens anno 1598, 4 Octobris, ab ubertate Domus Dei inebriatur in perpetuas æternitates.

Ex Manuscripto de Paulari.

PETRUS GIRAULT

PRIOR ROTHOMAGI

Alumnus Cartusiæ Parisiensis, ubi decessit Antiquior, anno 1599, die 4 Octobris, postquam 57 annos vixisset in Ordine laudabiliter. Admotus fuerat diversis officiis, quæ honeste, religiose

ac pacifice gessit. Fuit namque Vicarius Saletarum, Prior Partis Dei, Vallis S. Petri, Vallis profundæ, et Rothomagi; perfunctus etiam munere Visitatoris Provinciæ Gebennensis et Convisitatoris Picardiæ.

ROBERTUS DARBYSHIRE

PRIOR ANGLORUM

Vir insignis pietatis, disciplinæ regularis admodum studiosus; qui ante Ordinis ingressum pro causa Fidei tetro carceri Londinensi Newgate nuncupato mancipatus, nihil aliud desideraverat, quam martyrii gratiam. Ibi detentus est per menses sexdecim; unde eductus et ad omnem sanctitatem institutus, ita virtute præcelluit, ut anno 1596, die 19 Augusti, electus fuerit in Priorem. Ad suam instantiam exauctoratus anno 1611, pie decessit anno 1612, die 4 Octobris.

Hunc mire laudat Arnoldus Havensius in Epistola dedicatoria Martyrum Angliæ.

MATTHÆUS SEVIN

PRIOR BELNÆ

Nobilis Parisinus, filius famosissimi Præsidis domini Sevin quem vocabant Ratiociniorum regiorum Præfectum; alumnus R. Patris Joannis Michel, sub cujus regimine vota professionis emisit in Cartusia Majori, anno 1599, die 12 Aprilis. Ubique Ordinis fautor et insignis benefactor, sed et pietate simul ac religiosæ vitæ conversatione omnibus charus et amabilis. Priorem egit in Domibus Belnæ et Allionis; munusque Coadjutoris obiens Caturci, ibidem decessit, anno 1615, 4 Octobris, relicta sanctitatis fama.

PASCHALIS OBRERO

DONATUS DE PAULARI

Quinquaginta quinque annos transegit in Ordine; austerus in victu, et in vestitu pauper, decessit anno ætatis septuagesimo septimo. In hoc singularis fuisse visus est, quod alios ex aliis labores quæreret, etiam in senectute. Totum se dedicaverat in antiquiorum monachorum obsequium; unde cum aliquis Paschalis opera indigebat, pergens ad chorum scripta schedula, significabat quid in sua cellula esset peragendum. Sagax Paschalis ad captandam aliis serviendi occasionem, statim injuncta exequebatur absque tamen commissæ sibi a Superioribus obedientiæ detrimento, adeo ut monachi reduces ex ecclesia invenirent res suas a Paschali rite dispositas: qui solus obibat munia multorum, quamvis septuagenario major. Laborum mercedem sancta admodum morte percepit, anno 1635, die 4 Octobris.

V DIE OCTOBRIS

NICOLAUS DE GIENGEN

PRIOR TUCKELHAUSEN

Ab anno 1442 usque ad annum 1465 Buxiæ Prioris munus exercuit. Postea factus Prior Tuckelhausen, ibidem plenus dierum et bonorum operum, diem clausit extremum anno 1470, die 5 Octobris. Vir multa virtute, doctrina et morum affabilitate ornatus.

Ex Chronico Cartusiæ Buxiæ.

PETRUS

PRIOR FRANCFORDIÆ

Vir eruditione, pietate, ac Fidei Catholicæ et Ordinis zelo percelebris. Ex Prioratu Domus Pomeraniæ, anno 1532, per Chartam Capituli generalis Prior instituitur Francfordiæ. Verba Chartæ subjicio : « Præficimus in Priorem dictæ Domus D. Petrum, propterea a Prioratu Coronæ Mariæ absolutum : hortantes ejusdem Domus professos, ut stabiles et immobiles in omni opere bono sub ejus regimine perseverent, cujus monitis prompte et alacriter sicut decet sanctos obediant, neque de cætero circa Prælatorum suorum mutationem levitate uti præsumant. » Hanc Domum et Saxoniæ Provinciam sapienter simul et prudenter administravit usque ad annum 1551, quo requievit a laboribus, die 5 Octobris.

Hic, cum Hæretici Domum Hildesemensem devastassent, Prioremque expulissent ac monachos, ipse Visitator authoritate R. Patris Prior Hildesemensis (quamvis Domum etiam Francfordiensem gubernaret) anno 1543 ordinatus, clam ingressus prædictam Cartusiam introduxit monachos, et novum ibidem præfecit Priorem, postea rediit ad Francfordiensem Cartusiam. Vir sane omni laude dignus, qui labores sustinuit incredibiles pro conservanda Ordinis observantia et pro Fide Catholica contra Lutheranos tuenda : ita ut, anno 1546, generale Capitulum eum his verbis hortaretur, videlicet, « ut viriliter agat et in bene cœptis perseveret, largam a Domino Deo recepturus retributionem. »

Ex Chronico Cartusiæ Hildesii et Catalogo Priorum Francfordiæ et Pomeraniæ.

JOANNES SCHUSTEIN AB EDIGER

PRIOR ARGENTINÆ

Professus Cartusiæ Trevirensis; anno 1585 huic monasterio datus in Priorem, ut erat vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo, ita mox a suscepta administratione totus in eo fuit, ut Cartusia pulchriorem faciem, et pristinum, quantum posset, decorem reciperet. Non solum ergo reparandis vetustate et prædecessoris incuria labefactatis ædificiis, novisque aliquot, necessitate cogente, construendis magnos sumptus et labores impendit, verum etiam integriori Statutorum observantiæ ac disciplinæ postliminio revocandæ diligentem navavit operam: spe bona fretus, brevi futurum ut, Divina imprimis ope, ac tutelaris Beatissimæ Virginis Patronæ interventu, piorumque hominum industria et auxilio, afflictæ monasterii res non solum respirent, verum etiam ad pristinæ felicitatis statum adspirent.

Has tam pias boni Patris cogitationes ac molitiones videns et invidens omnis boni inimicus diabolus, infernalibus mali livoris facibus mox incenditur, omnesque malitiæ suæ vires ac nervos intendit, quo non solum laudabiles Joannis conatus præpediat, sed antiquissimum illud veræ et in Deum et in homines pietatis domicilium tandem omnino e medio tollat. Nec sua spe delusus est malignus, permittente id Altissimo, sive ut devotos sibi famulos hac tentatione probaret, sive ut imposterum Ordini de tranquilliori et commodiori loco provideret, seu denique quod ingrati ac perfidi Argentinenses se fecerant indignos, qui Cartusianorum apud Deum patrocinio infinitisque propemodum aliis beneficiis diutius fruerentur.

Igitur postquam acatholici cives per multos annos frustra Patres nostros sollicitassent ad Fidei defectionem, diversisque malis eos in Fide perseverantes affecissent, videntes se oleum et operam perdere, tali stratagemate Cartusiam diruerunt.

Præstitit huic perpetrando facinori exoptatam occasionem Dux Bullionius ab Henrico tunc Rege Navarræo missus ad colligendos milites. Hic quippe cum a necessariis nummis non esset instructus, triginta coronatorum millia ab Argentinensibus mutuo petebat; qui libenter se daturos promisere, si modo Dux Cartusiam ipsorum in agro suburbano sitam, ipsis nomine Regis venundare tradereque vellet. Bullionio nullam ejus rei sibi esse potestatem facultatemve affirmanti responderunt ac falso persuaserunt, cum Major et primaria Cartusia prope Gratianopolim sub Galliarum Regis jurisdictione constituta sit, ipseque Generalis Ordinis, ad quem universæ Cartusiæ pertineant, ibidem habitare consueverit, procul dubio omnium totius Orbis Cartusia-

rum dominum ac principem (o vecordiam !) præter Galliarum Regem esse neminem. Dux itaque non tam hisce deliramentis adstipulatus, quam coactus nummorum penuria, monasterium et omnia ejus bona ipsis vendidit ac receptis 30,000 coronatorum tradidit, ea tamen conditione si Rex conventum istud ratum faceret. Contigerunt hæc anno 1591, mense Julio.

Argentinenses autem novo hoc et inaudito, ne dicam iniquissimo contractu freti, nihil amplius cunctandum censuerunt; verum omni abjecta mora, quod diutissime desiderarant, effectum dare adorsi sunt. Statim enim subsecuti mensis Augusti die septimo, hora prima circiter aut secunda a meridie, duodecim Senatorii ordinis viri cum curribus et equitibus a Magistratu missi sunt ad monasterium ; qui Priori et monachis in peristylium convocatis denunciarunt, ab amplissimo Senatu decretum esse, ut sibi monasterii claves tradant, et absque mora ac cunctatione conscensis curribus ad ædes Cartusianas intra civitatem se conferant.

His vero non sine stupore causam tam inopinatæ rei quærentibus responsum fuit, Magistratum aliud quid de monasterio facere decrevisse, ipsi tantummodo ocyus se expedirent, urbemque, ut dictum est, peterent. His iterum dilationem in crastinum aut saltem ad vesperam rogitantibus, rotunde negabant, nec quamvis obnixe obsecrantibus concessum est, ut adhuc vel semel cellas suas adire, ibique Deo se suasque causas parumper commendare possent. Priori tamen pertinaciter contendenti permissum, ut sæculares vestes in suo conclavi indueret, tamen non nisi tribus Senatorum adstantibus atque observantibus ne quid pecuniarum vel aliud secum auferret. Vestiebat autem se religiosus Pater mundano habitu, ut eo liberius, si opus foret, hinc inde discurrere suasque res curare posset.

Cum itaque Senatores nullam moram concederent, boni Cartusienses, invitissime licet, currus conscenderunt, uti jubebantur, singuli singulos; sicque Senatoribus permixti et præsidiariis equitibus stipati, non secus ac si malemeriti seu proditores essent, in urbem ad ædes Cartusianas deducti inibique inclusi, ac armatis excubiis ad fores locatis, quatuor integras septimanas cautissime custoditi sunt et observati, ne Superiorum suorum vicinorumve Principum opem implorantes, aut apud cives antiqua ipsis familiaritate amicitiaque conjunctos illatam sibi vim et afflictionem deplorantes, turbas aliquas cierent.

Ipsa autem statim die Magistratus sacramentum fidelitatis a monasterii familia petiit et accepit, et nonnullos ex Senatorio ordine constituit, qui ibi cum militum præsidio die noctuque commorarentur, literas, codicillos, pecunias, cimelia, donaria, calices sacros et vestes, omnemque supellectilem tam ecclesiasticam ac librariam quam do-

mesticam, universa denique bona mobilia convasarent, et ad destinata intra civitatem loca transmitterent. Sequenti vero die trecenti circiter fabri lignarii murariique ex Senatus decreto jussi sunt, nullo sacrorum profanorumque habito discrimine, templum primo, deinde peristylium cum universis monachorum cellis atque habitaculis destruere ac in fundamentis evertere. Qui imperata diligenter effecta dedere, monasterii facultatibus sumptus largiter suppeditantibus; anterioris tamen Domus ædificia intacta relicta sunt et etiamnunc sarta tecta conservantur.

Quis vero sermo facile queat explicare, boni Patres captivi quanta in afflictione fuerint ob devastatam Domum suam? Accessit ad tam acerbæ calamitatis cumulum, quod innocentissimi jam passim Reipublicæ proditores audire inciperent, nec odiose minus quam falso insimularentur apud vulgus, quod Lotharingiæ Ducem et Argentinæ Episcopum hospitio accepissent, iisque prodendæ civitatis operam spopondissent.

In suo ergastulo Prior una cum suis Religiosis diligentissime custoditus fuit usque ad anni sequentis mensem Martium. Tunc etenim primum custodia liberati sunt; ac hinc inde, tum intra tum extra mœnia, obambulandi facultate donati, recto et anhelo gradu ad adamatum illud suum monasterium properarunt, cujus triste ac lamentabile spectaculum non sine lachrymis conspexere. Cumque frustra multoties licentiam abeundi ad Ordinis Domos ab iniquissimo Senatu petiissent, amicorum quorumdam suorum Argentinæ civium opera facti certiores supplices hactenus suos libellos a constitutis super Cartusiensium negotio dominis fuisse interceptos, monachi religiosum habitum exuentes, sæcularem tantisper assumunt; petentesque Prætorium, ab ipso Concilio scriptis, vocibus, lachrymis obnixissime rogitant, ut ad destinatas Ordinis Domos toties postulata abeundi facultas, cum viatico et fide publica, donaretur. Jussi sunt primum pro more parumper secedere, dum quid agendum sit deliberaretur; sed cum illi præ foribus non tam expectarent quam expostularent desideratum responsum, tandem voto suo potiti sunt: Magistratu viaticum et quo vellent transmigrandi facultatem largiente.

Tum illi omni abjecta mora, proxima statim die, quæ fuit 8 Maii, navim conscenderunt, et Moguntiam primum, deinde Confluentiam salvi appulere: Senatus quidem testimonio seu commeatu publico (quem crebro petierant) non muniti, verum Christianæ constantiæ ac confessionis merito et trophæo præclare insigniti. Id quod egregium testatum fecit R. in Christo Pater Hieronymus Marchant, tunc Ordinis Moderator, cum ad eos jam Argentina abiturientes *(sic)* infra positas literas scripsit :

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, Domino Deo et Regi nostro

æterno : et in Eo Venerabiles Patres plurimum laudantes congratulamur, et congratulantes laudamus in Domino vestram in Deum, Ecclesiam et Ordinem nostrum fidem et constantiam, factam omnibus exemplo et miraculo. Neque enim blanditiis et promissis multis, nec vestræ Domus demolitione et bonorum ejus direptione, nec vestra captivitate potuistis (Deo vos confortante) a Fide Catholica nostræque professionis votis abduci. Sit nomen Domini pro his et aliis benedictum in sæcula! qui vos magis ac magis confortet in omni bono et det perseverare sub obedientia Ordinis et P. Visitatoris, quantumvis ab eo vos subtrahere et suæ voluntati subjicere nitantur hi, qui vos captivos detinent : a quorum consortio desideramus vos, quam primum poteritis, recedere, et ad hoc, si opus sit, a vestro Visitatore mandatum recipere.

« Vobis autem sic pro Fide profugis, pro nostræ sacræ professionis et Religionis votis sic exauthoratis et dejectis ab hominibus, sed a Deo receptis et cognitis, offerimus Domum nostram, sive quamcunque harum Provinciarum, cum consilio tamen vestri Visitatoris. Quod si Magistratus urbis vobis ab eo recedentibus aliqua munera vel pecunias obtulerint, videte ut absque ullo cum eis pacto illa recipiatis, et curate ut per publicum Instrumentum constet de receptis et quo nomine sunt recepta. Dominus noster Jesus Christus vobis et nobis et universo Ordini abunde benedicat. Cartusiæ sub Capitularibus negotiis, anno 1592. Vester Confrater in Domino. F. Hieronymus, Prior Cartusiæ. »

Literæ dignissimæ et eo a quo, et eis ad quos scriptæ sunt. Nam primum isti Argentinenses Cartusiani multos annos grave et innumeris periculis ac molestiis plenum jugum tulere, monasterio adhuc stante sub tutoribus, vel potius tortoribus. Deinde subito sicut extra culpam, ita præter opinionem suam capti, in civitatem claro sole instar proditorum transvecti, quatuor hebdomadas armatis excubiis circumdati ; inde alias triginta a suo ipsorum procuratore adeo severe custoditi et observati sunt, ut nemo ipsorum pedem unquam domo efferre, amicis colloqui, Superioribus scribere sine grandi periculo potuerit ; nunquam non circumstabat, circumstipabat, circumstrepebat familia, pueri, puellæ, famuli, ancillæ, herus et hera, et quicquid a Religiosis captivis dicebatur vel gerebatur, mox in odium Catholicæ Religionis atque derisum Ordinis vertebatur et deferebatur ad Senatores.

Horariis precibus exceptis (quas privatim singuli quotidie recitabant), nullum ferme suæ professionis exercitium facere poterant, non Missas celebrare, non sacræ lectioni ac meditationi libere vacare, non silentium solitudinemve observare, imo ob ergastuli sui angustiam nec manualia opera ad recrean-

dum animum exercere. Sacratioribus tamen festis, divino Sacrosanctæ Eucharistiæ epulo, quod ipsis religiosus quidam presbyter clam afferre solebat, secreto se invicem reficiebant et ad tot tantaque mala facilius perferenda confortabant. Cæterum cum his omnibus adversis ipsorum constantia frangi non potuisset, eadem alias iterum quinque hebdomadas variis blanditiis, promissis, invitamentis, conviviis, lenociniis, denique et licentia quo luberet vagandi, attentata fuit. Verum quemadmodum illa, Christo confortante, fortiter superarunt, ita, eodem instruente, ista sapienter respuerunt : adeo ut si viri isti temporibus divi Cypriani vixissent, præclaro Christi Confessorum titulo eos insignire sanctissimus Martyr nihil dubitasset.

Horum nomina hic recensere non pigebit, cum scripta fuisse in Libro Vitæ credere par sit : D. Joannes Schustein ab Ediger, Prior; D. Emericus Reisigel de Gorchem, Vicarius, primo professus Confluentiæ, secundo hujus Domus; D. Antonius Kemerensis, Sacrista hujus Domus, professus Trevirensis; D. Gerardus Roslein, professus Trevirensis; Franciscus de Odendorff, Donatus Rutilæ.

Grex sane merito quam numero major. Tametsi enim postremus hic Laicus tantum et literarum imperitus erat, non tamen religionis expers fuit. Testatur id inter cætera lepidum illud quidem, sed religiosum ac cordatum divique Thomæ Aquinatis æmulum ejus facinus, quod mulierculæ cuidam ipsum ad connubium procaciter pellicienti, ubi sæpius vel gravi silentio, vel acri reprehensione illam nequicquam pudefecisset ac absterruisset, tandem colaphum insignem inflixit, atque inde ejulantem ac injuriam vociferantem hoc ludibrio compescuit : « Stulta tu muliercula, itane nuptiarum appetens es, et contrahendi ritus matrimonii necdum nosti ? non contrahitur nisi manu stipulata. » Locus iste in Germanico idiomate majorem gratiam habet ex æquivoco vocabulo *handstreich,* quod et manum stipulatam, et percussionem pugno inflictam significat.

Æque lepidum et paulo etiam religiosius ac animosius fertur hoc D. Gerardi factum. Vir quidam clari nominis inter convivandum sic eum adorsus fuit : « Quid agis, Domne Gerarde, in isto cucullo et horrido vivendi genere? Quin te in libertatem ac communem hominum statum asseris ? Hanc ipsam profecto filiam meam, ut conspicis, puellam ætate, forma, corpore et honestate præstantem tibi jam nunc, si lubet, despondero. » Ille viri vecordiam demiratus et indignatus, cordate respondit : « Filiam tuam mihi desponderis ? Filia tua mihi si nuberet, infamissimum extra omnem controversiam scortum foret. » Movit id dicti adstantibus risum, puellæ ruborem, parenti bilem. Cui stomachanti ac comminanti ne filiam suam nulli honestate concedentem

scortum vocitaret, Gerardus nihil territus iterum respondit : « Sicut dixi, domine, ita est ; cum etenim ipse sim monachus, ad matrimonium voto proprio inhabilis, filiam tuam mihi si colloces, non conjugem esse vis, sed infamem, ne rursum graviore isto verbo te offendam, concubinam. »

Cum isti Patres tot patientiæ ac constantiæ coronis ornati Argentina discessissent, quarto statim die ab ipsorum abitu, Prior Friburgensis adfuit, et protestatione Senatui solennibus ceremoniis exhibita, testificatus est monasterium cum omnibus bonis suis ab Ordine Cartusiensi repetitum iri. Nec ejus rei negligens fuit Ordo ; nam Priores Confluentiæ et Moguntiæ, Visitatores et Prior Argentinensis obstricti authoritate Capituli generalis, freti fiducia in Deum, nullum non moverunt lapidem, quin potius omnia pertentarunt ac periclitati sunt, ut suis partibus non deessent.

Et quidem ubi plurimum bis terve amicabilibus supplicibusque literis devastati monasterii reparationem, illati damni compensationem, ablatorumque omnium restitutionem a Magistratu Argentinensi nequicquam petierant, nihilque præter repulsam variis injuriis, calumniis, fallaciis minisque instructam acceperant ; necessitate coacti, ad severiora et certissima juris subsidia confugere, dictosque Argentinenses apud Rudolphum Romanorum Imperatorem (tribus Reverendissimis et Illustrissimis Archiepiscopis Moguntino, Trevirensi et Coloniensi, sacri Romani Imperii Electoribus, per literas commendatitias aditum aperientibus negotiumque benevolentissime promoventibus) injuriarum simul et repetundarum accusavere ; ac tandem justissimæ causæ favente quoque Deo, post innumeros pene septem annorum labores, sudores, curas, peregrinationes, sumptus, impensas, supplicationes, necnon et concertationes (dum rei interim nihil non, quod vel minimam æqui speciem præ se ferebat, ut de commentis, calumniis, fraudibus taceatur, in suam excusationem, purgationem et defensionem adducerent), convicere : ipsos eodem sacratissimo Cæsare condemnante, atque ter repetitis per intervalla temporum severissimis mandatis, tam damni æquam compensationem, quam spolii integram restitutionem imperante.

Idem quoque Augustus alia diversa rescripta, tum ad omnes generatim Electores, Principes, Magnates, Respublicas et Magistratus, tum etiam ad quosdam speciatim dedit : mandans ut Cartusianorum causam justissimam ex omni posse suo contra Argentinenses usurpatores adjuvarent, Cartusiæque eversæ debita nomina, census, canones et cætera, non prædictis Argentinensibus, sed Cartusianis pendi ac solvi curarent.

His itaque Imperatoriis edictis undique constricti Argentoratenses, licet facile agnoscerent nec diffiterentur se

parendum et satisfaciendum esse obstrictos, tamen imperata non statim ad præfixam diem effecta dedere : quin potius istud negotium in tertium usque annum adhuc produxerunt, partim immenso pudore ita aperte et simpliciter, ut imperatum erat, restituendi ac repensandi ea, quæ justissimo titulo ac per summum fas occupasse videri volebant ; partim timore faciendæ jacturæ 30,000 coronatorum Duci Bullionio pro vendita an prodita Cartusia expositorum. Hoc igitur et pudore et timore correpti, Galliarum Regem perquam suppliciter et obnixissime invocarunt obtestatique sunt, ut suorum in ipsum meritorum non immemor, utroque hoc malo ipsos liberaret.

Quod Rex fide regia et facile recepit et fideliter præstitit, dum tandem post multiplices comminationes promissionesque, Cartusiensium Ordini, Romani tam Pontificis quam Imperatoris interveniente consensu, Argentinensium nomine ita fecit satis, ut Cartusiani, quod magnopere conquererentur, amplius non haberent. Hæc enim evenit compositio, nimirum quod Rex singulis annis daret Cartusiensi Ordini 2,500 nummos aureos, qui quidem et securi redderentur ex reditu gabellarum qui ei ab urbe sua Rothomagensi proveniebat, et possent aliquando quinquaginta millibus nummis redimi. Hæc autem pecunia fuit assignata Cartusiæ, quæ incipiebat erigi in Molshemio Episcopali urbe ex bonis destructæ Domus Argentinensis.

Inter eos autem qui Cartusianis Argentinensibus succurrerunt, non inferiorem locum tenet nobilissimus vir Andreas Hanniwalt ab Eckersdorff, Rudolphi Cæsaris intimus consiliarius et Romani Imperii secretarius. Hic ut primum vidit D. Joannem Schustein, vastatæ Cartusiæ Priorem (qui Superiorum jussu, anno 1593, in ipsa media hyeme pedes venerat Pragam, Cæsaris opem imploraturus), cognitis quæ et quanta ab Argentinensibus perpessus esset, mox motus commiseratione, ob Christi amorem, peregrinum et ærumnosum Patrem una cum Francisco Fratre Laico domum suam recepit, assignatoque eis hypocausto, cubiculo et decentissimo oratorio, novem ipsas hebdomadas admodum liberaliter tractavit : ipsorumque interea causam apud Cæsarem diligentissime et fidelissime agens, primum Imperatorium edictum contra Argentinenses obtinuit.

Sequenti anno cum idem Prior D. Henricum Topfer Procuratorem suum pro altero mandato impetrando Pragam misisset, ipsum quoque idem magnificus vir non minori humanitate suscepit, integrumque annum sustentavit, usque dum multo studio et labore ei impetraret ac procuraret id cujus causa venerat. Tertio quoque dum idem D. Henricus Topfer pro impetranda transactionis confirmatione ad Cæsarem a Capitulo generali ablegatus esset, idem eumdem, eadem qua ante humanitate, per annum fere tractavit, industria et

fidelitate multum adjuvit, nec nisi voti compotem factum dimisit.

Deo et hominibus faventibus rebus nostris, anno 1594, Joannes Schustein vastatæ Cartusiæ Prior ultimus, una cum Fratre Francisco Donato, Molshemium se contulit vigore Cæsareorum edictorum eodem anno pro Cartusianis adversus Argentinenses promulgatorum, census et canones ac proventus veteris Cartusiæ coacturus atque collecturus. Ubi primo a Patribus Societatis Jesu fuit exceptus hospitio, et octiduum habitus perquam humaniter atque tractatus. Exinde in domibus conductis cum duobus monachis, quorum alter erat Procurator, uno Laico, et aliquot famulis habitavit, usque dum, anno 1598, emptæ sunt ædes, in quibus modo habitant; tunc enim Visitatoris missu accesserunt tres vel quatuor monachi.

Anno 1600, quinto Idus Aprilis, facta est ab Argentinensibus ecclesiasticæ supellectilis restitutio, et illati damni nonnulla compensatio secundum literas transactionis cum Rege initæ. Nec hic silentio prætereundum est quod divini miraculi aliquid præ se fert. Adorandus Eucharistiæ Panis in usum et viaticum ægrotantium repositus, ipsum ferme novennium non solum intactus (Argentinensibus haud dubie Divina virtute cohibitis, ne sacrosanctam Hierothecam aperire vel vellent, vel auderent, vel valerent), verum etiam incorruptus permansit : quem venerabilis Pater D. Adam Ogier, Domus Borboniensis prope Gallionem Prior, vir in rebus agendis peritissimus (cui tanquam Capituli generalis Commissario facta est ab Argentinensibus restitutio ecclesiasticæ supellectilis), tanto majori devotione sumpsit, quanto majori ejus rei admiratione et gaudio fuit affectus.

Eodem anno 1600, in Capitulo sic extitit ordinatum de pecuniis a Rege Francorum debitis : « Priori Domus Argentinæ, seu potius novæ plantationis in Molsheim, non fit *misericordia;* et Capitulum generale declarat reditum annuum duorum millium quingentorum aureorum pro commutatione bonorum Cartusiæ Argentinensis sub Protestantibus sitorum a Rege Christianissimo assignatum super horreis salis totius Normanniæ, et ab eodem Capitulo acceptatum esse et pertinere ad Domum Argentinensem, quæ Molshemii translata est; promittitque omnem operam et diligentiam exhibiturum, quo eadem summa singulis annis reddatur Molshemii.

Anno 1602, V. D. Joannes Schustein senio jam pariter ac curis laboribusque propemodum innumeris confectus, Cartusianæ quietis desiderio, Superiorum suorum concessu ac voluntate, Prioratum Procuratori suo D. Henrico Topfer lubens volensque resignavit; atque mox subsequente anno, in pervigilio S. Brunonis, ex hujus mundi exilio a Domino vocatus, ad æternæ beatitudinis patriam annorum pariter et meritorum plenus commigravit. Et quo-

niam nullus adhuc locus consecratus fuerat, corpus ejus, ipsis divi Brunonis feriis, in templo Patrum Societatis Jesu id flagitantium honorifico admodum ac celebri funere, maximaque omnium ætatum et ordinum frequentia et devotione, est sepultum. Inter cæteras virtutes Joannis Schustein mansuetudo illius imprimis enituit, quæ tanta fuit, ut nullum unquam offendisse dicatur.

Porro illud observatum est, omnes pene eos, qui occupandæ ac vastandæ Cartusiæ authores fuerunt (neque enim totus Senatus in eam nefariam temeritatem consenserat), et in hac vita deinceps in varias easque graves adversitates et calamitates incidisse, et citam ac infelicem obiisse mortem. Et non nemo suspicatus fuerit, in ipsos divinitus animadversum esse atque vindicatum, quemadmodum in ecclesiasticorum bonorum invasores horrendum in modum factum fuisse constat.

Historiam destructionis Cartusiæ Argentinensis, et translationis Molshemium fuse descripsimus in Volumine Provinciæ Rheni.

BERNARDUS FARCIUS

PRIOR FLORENTIÆ

Bononiensis; ob eximiam indolem a V. Joanne Baptista Cappono Priore Bononiensi ad habitum susceptus, vota sua Deo litavit anno 1589, die 6 Aprilis. In hac arena diu procurrit strenue. Itaque a V. P. Cappono, spirituum ac ministeriorum ponderatore solertissimo, cœnobii primarius instituitur Procurator.

Exhibuit se se Bernardus humilem, mansuetum, sollicitum, cautum, prudentem, constantem in adversis, ambidextrum, in omnibus arduisque negotiis mente Deo conjunctum. Diligentia, assiduitate ad scopum sibi destinatum omnia sibi commissa perduxit feliciter. Suaviorem quippe nactus formam gerendi negotia, primordio rationibus intellectum flectebat, deinde cujusque vel ferream sibi facile subigebat voluntatem. Gravis, pius ac devotus ubique perinde ac in ecclesia foret, exemplo singularique modestia dilectus Deo et hominibus extitit. In vestitu pauper, simplex, domi forisque semper sui similis, irreprehensibilis visus est ac religione perfecta venerandus. Multis a Deo talentis adornatus, erga Religiosos summam demonstravit charitatem, zelumque discretum in his quæ sua spectabant officia.

Præpositus domui Florentinæ se se gessit Pastorem bonum, amabilem, suavem, compatientem, industrium in conservando et adaugendo Jesu Christi patrimonio. Clausuram amplissimam multarum compendio pecuniarum ædificavit; eleemosynis faciendis liberaliter intendit sæva urgente annonæ penuria. Demum Cœlo tot operibus bonis maturus, ad vitam immortalem rapitur

anno 1612, die 5 Octobris : quando videlicet Ferdinandus I Etruriæ dux illum ad Episcopales infulas provehebat, tanti Patris amore delitiatus ; quem profecto beneficentia, pietate, doctrina, zelo animarum egregium sacerdotem magno Ecclesiæ ornamento futurum judicaverat. Verum divina Providentia voluit eum omnibus liberum impedimentis evocare ad æternitatis beatæ portum.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

PETRUS CARRÉ

PRIOR S. AUDOMARI

Professus Majoris Cartusiæ, ubi et Vicarium egit ; admotus officio Prioris Valencennarum, deinde S. Audomari, cum magna pietate, mansuetudine et abstinentia præcelluisset, spiritum Deo reddidit, 5 Octobris, anno 1652.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus, et Mss. D. Hugonis Buat.

VI DIE OCTOBRIS

S. BRUNO

ORDINIS CARTUSIENSIS PATRIARCHA

Excerptam de verbo ad verbum e pervetusto Codice Bibliothecæ Thuanæ Vitam sancti Patriarchæ nostri Brunonis damus. Cujus libelli talis est inscriptio : Chronica de exordio Ordinis Cartusiensis. Sic autem incipit :

PRÆFATIO.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generationibus suis. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute et prudentia sua præditi, etc. Et paulo post : *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus.*

Ecclesiastici verba ista sunt hic præmissa loco Præfationis sive proœmii opusculi sequentis, cum verbis quibusdam Cassiodori sic dicentis : « Felix intentio, laudanda sedulitas manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitum dare et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera diabolus accipit, quot Antiquarius Domini verba describit. Uno itaque loco situs, operis sui disseminatione per diversas provincias vadit, in sanctis locis legitur, laborem ipsius audiunt populi, unde se a prava voluntate convertunt, et Domino pura mente deserviunt. »

Obedientes igitur Sapienti dicenti in

Ecclesiastico, *Narrationem omnium antiquorum exquiret sapiens,* de antiquis sapientibus et sanctis Fundatoribus Ordinis Cartusiensis aliqua ad perpetuam memoriam narraturi, inde, invocato Spiritu Sancto, exordium assumemus, unde narratur fuisse qui prima occasionis inductio, et provenisse sanctum propositum Fundatoribus antedictis.

DE PRODIGIO OSTENSO PARISIIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 1082 vel circiter, dum solenne studium floreret Parisiis præcipue in Philosophia, in Theologia et Jure canonico, tale prodigium ibi dicitur accidisse. Quidam enim Doctor præcipuus, et vitæ fama et doctrina inter cæteros famosissimus, gravi et ultima infirmitate præventus, non diu decumbens diem clausit extremum. Cumque tota illa die qua defunctus est, more Parisiensi, in aula in feretro funere decumbente, fuissent continue cantata Officia Defunctorum, in crastino mane congregata inibi Universitate Parisiensi tam scholarium quam Doctorum, ut tam honorabili viro solennes celebrarent exequias; cum reverendi viri feretrum cum funere elevare vellent ad ecclesiam deferendum, subito, cunctis stupentibus, qui defunctus erat, elevato capite resedit in feretro, et cunctis audientibus, alta et terribili voce clamavit : *Justo Dei judicio accusatus sum;* et hoc dicto, caput deposuit, et jacuit mortuus sicut prius.

Qua voce cuncti attoniti et territi deliberaverunt ipsum illa die non esse sepeliendum, sed usque in crastinum reservandum. Mane igitur sequenti, cum multitudo maxima convenisset, et dictum funus, sicut prius, vellent ad ecclesiam deferre; defunctus, sicut prius elevato capite, dolorosa ac terribili voce intonuit : *Justo Dei judicio judicatus sum.* Quo audito, cuncti territi sunt valde, quærentes alterutrum, quid sibi vellent isti clamores horribiles et insoliti. Adhuc decernunt ipsum dimittere usque in sequenti mane. Tertia vero die cum pene tota civitas propter hoc mirabile convenisset, et funus, sicut prius, vellent ad tumulum deportare; defunctus tertio, altissimo et mœstissimo clamore personuit : *Justo Dei judicio condemnatus sum.* Quo audito, omnes qui aderant maximo terrore sunt percussi, certi tunc facti de damnatione tanti viri.

Ea tempestate erat ibi Magister Bruno, Doctor famosus, natione Teutonicus, de civitate Colonia nobilibus ortus natalibus, ecclesiæ Remensis canonicus et ibidem scholarum magister; qui supradictis vocibus salubriter territus atque compunctus, allocutus est quosdam socios suos ibidem præsentes, iis vel similibus verbis :

« Eia, Carissimi, quid faciemus? Omnes simul peribimus. Non salvabitur, nisi qui fugerit. Si homo tantæ dignitatis, tantæ scientiæ, tantæ famæ, qui videbatur esse tam honestæ vitæ, sit in-

dubitanter damnatus, quid nos miseri faciemus? Si lugubri voce unius hominis tam horribili et stupendo timore concutimur, quid faciemus, cum rugitus leonis, cum extremi Judicii tuba aures nostras percusserit? cum omnes audiemus : *Surgite, mortui, venite ad Judicium?* Quo tunc fugiemus? Quomodo in tam horrendo Judicio, ubi columnæ cœli contremiscent et Angeli territi movebuntur, apparere poterimus? Ubi tunc latebimus? Impossibile erit latere, et apparere intolerabile. Fugiamus igitur a facie gladii; præoccupemus faciem ejus in confessione. Venite, adoremus et procidamus et ploremus coram Domino qui fecit nos. Postquam igitur hodie vocem ejus stupendam audivimus, non obduremus corda nostra; sed exeamus de medio Babylonis, egrediamur Pentapolim igne et sulphure jam succensam; et exemplo beati Pauli eremitæ et B. Antonii, Arsenii et aliorum sanctorum Patrum, cum B. Joanne Baptista antra deserti quæramus, in monte salvemus nos : ut æterni Judicis iram et sententiam damnationis æternæ, et diluvium peccatorum in arca Noe, et in navicula Petri, ubi Christus ventum et tempestatem cessare fecit, id est, in navi pœnitentiæ evadere valeamus, et pervenire ad portum salutis æternæ. »

Iis vel similibus verbis se ipsum et socios alloquens et exhortans, deliberaverunt ipse et sex socii alii, probi viri, secum abrenunciare sæculo et pompis ejus, et ad prædictam pœnitentiam peragendam Eremi deserta loca competentia quærere; et ibidem relictis omnibus accipere singuli cruces suas, et nudum Christum nudi sequi per arctam viam, quæ ducit ad gloriam : et latam et spatiosam relinquere, quæ amatores et sectatores mundi perducit ad mortem. Et quia jam audiverant famam sanctitatis S. Hugonis episcopi Gratianopolitani, qui prius antiquo tempore ejusdem Magistri Brunonis in scholis dicitur socius fuisse, Sancto Spiritu instigante, proposuerunt ad memoratum Episcopum sanctum accedere, et ejus consilium et auxilium requirere, ut in ejus diœcesi, quam audiverant multis desertis montibus abundare, mererentur locum suæ devotioni congruum obtinere.

Septem igitur viri sancti supradicti, præfata de causa, sanctum Episcopum adeunt. Et ut utar verbis contentis in Legenda S. Hugonis prædicti canonizati a Domino Papa Innocentio : « Adest Magister Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulachrum. Habebat autem socios, Magistrum Lauduinum, qui post eum Prior Cartusiæ extitit; Stephanum Burgensem, et Stephanum Diensem (hi S. Rufi canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ ei, Abbate favente, se se conjunxerant); Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis Sacerdotis fungeretur officio; duos Laicos, quos appellamus Con-

versos, Andream et Garinum. Quærebant autem locum Eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. Hac ergo spe simul et suavi sanctæ conversationis ejus odore trahente, ad virum sanctum venerunt. Quos Episcopus non solum gratanter, sed et reverenter suscepit, tractavit, et voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvante et comitante, Cartusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt. »

DE VISIONE S. HUGONIS EPISCOPI GRATIANOPOLITANI.

« Anno Domini 1083, Episcopatus vero dicti episcopi Hugonis quarto, viderat dictus Episcopus circa id temporis per somnium, in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem; stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris. Erant vero et hi septem. Quapropter non istorum tantum, sed et qui successerunt eis, consilia libenter amplexus est, et usque ad mortem Cartusiæ habitatores consiliis fovit semper et beneficiis. Licet vero prius divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad disciplinæ cœlestis exercitia eorum exemplis et familiaritate inferbuit, quam si flammanti quis faci plures alias circumponat ardentes.

« Erat cum eis non ut dominus aut Episcopus, sed ut socius vel frater humillimus, et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus : adeo ut vir venerabilis Guillelmus, Prior tunc S. Laurentii, postea S. Theofredi Abbas, Magistro Brunoni etiam ipse religiosa devotione alligatus, B. Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas), apud Magistrum Brunonem non leviter conquereretur, quod pene omnia ad humilitatem spectantia intra cellam sibi præriperet officia ; et Episcopus non saltem secum ut socius, sed potius conversaretur ut famulus.

« In tantum autem eremum devotus incolebat et sedulus, ut eum Magister Bruno nonnunquam exire compelleret : « Ite, dicens, ite ad oves vestras, eisque quod debetis exolvite. » Eo tempore, magno paupertatis et humilitatis ardore succensus dictus Episcopus, voluit equitaturas suas cunctas vendere, et diviso pauperibus pretio, propriis pedibus in prædicatione discurrere. Sed homo profundi cordis Magister Bruno, cujus consiliis non aliter quam præceptis obtemperabat Abbatis, non consensit, timens ne apud se de hoc forsan extolleretur, aut a cæteris de singularitate judicaretur; aut (quod dubium non erat) idipsum propter asperitatem et inæqualitatem itinerum non posset consummare. »

Omnia prædicta sunt verba Domni Guigonis scripta in Vita B. Hugonis, quæ hic inserenda judicavimus, quod in eis primordia fundationis Cartusiæ declarantur, et Magistri Brunonis excellentia innotescit : etiam in hoc, quod

eidem tam venerabilis Episcopus et tam sanctus cum tanta reverentia, sic ferventer et humiliter adhæsit, et cum eodem vere dici potest Domus et Ordinis Cartusiensis Patronus atque Fundator; et quamvis non primus, tamen quodammodo præcipuus Institutor.

DE FUNDATIONE CARTUSIÆ.

Feliciter ergo fundata et inchoata fuit Domus et Ordo Cartusiensis tempore Summi Pontificis Gregorii VII, cui successit Papa Victor, qui tantum anno uno et mensibus quatuor circiter vixit. Quo mortuo, Urbanus II creatus est, cujus Magister Bruno prius præceptor fuerat et magister. Hic cito post creationem suam recordatus sapientiæ, sanctitatis et discretionis eximiæ magistri sui Brunonis, statim cogitavit eum secum habere, ut eum dirigeret et juvaret ad Apostolatus sollicitudinem, et onera perferenda.

Cum igitur præfatus Magister Bruno jam sex annis eremum Cartusiæ habitasset, et vocatus ad Curiam oporteret eum Summo Pontifici obedire, et filiorum suorum cellicolarum societatem gratissimam saltem ad tempus deserere; ipsi subditi tanto sunt propter hoc dolore concussi et turbati, quod omnino et ipsi dixerunt se nullo modo in Cartusia mansuros, si eosdem contingeret tam dilectissimi Patris orbari præsentia et providentia spoliari. Magister igitur Bruno propter istam sociorum desolationem multum desolatus, obedientiæ tamen debitum Summo Pontifici nec volens nec valens licite denegare; ne locus Cartusiæ a cellicolis derelictus ad profanas vel indignas manus aut usus sæcularium deveniret, ipsum Abbati Casæ Dei, qui fuerat unus de primis Donatoribus, facta donatione et cessione reliquit, confecto super hoc publico Instrumento. Dein venerabilis Pater ad Summum Pontificem veniens, eidem tempore brevi assistens consiliis et auxiliis salutaribus, ejus multa onera supportabat, et multum in regimine sanctæ Dei Ecclesiæ ejus sollicitudinem sua promptitudine sublevabat.

Diu tamen patienter dissimulare non potuit tristitiam et dolorem conceptum de suorum dispersione filiorum. Et strepitus ac tumultus Curiæ impedientes dulcedinem et quietem, qua frui et pasci in eremo consueverat, graviter ferens et diutius ferre non sustinens, exposita Papæ sua desolatione, cum summa instantia impetravit a Curia separari, et quod posset ad eremum et cellæ jam prægustatam dulcedinem et desideratam requiem repedare. Et cum Summus Pontifex vellet eum in Archiepiscopum Rhegiensis Ecclesiæ, ad quam Papa annuente electus fuerat, nullo modo consensit; sed ipso contempto, et valefaciens Papæ, ad Calabriæ quamdam eremum, cui Turris nomen erat, Deo duce, pervenit; ibique multis clericis et laicis congregatis, monasterium instituit, in quo usque ad finem

vitæ suæ in solitariæ Vitæ proposito, humilitate constans, caritate flagrans, devotione fervens, ibidem itinerarii sui cursum feliciter consummavit. Quem gloriosum Patrem adeptum fuisse bravium et coronam felicitatis æternæ, divina Clementia per multa miracula declaravit.

Priusquam tamen de Curia recederet, ejus, ut creditur, precibus et meritis divina Misericordia omnes ejus socios et subditos revocavit, ita quod omnino omnes redire Cartusiam consenserunt. Et ideo Magister Bruno impetravit a Domino Papa Literas ad venerabilem virum Siguinum abbatem Casæ Dei, quibus locum Cartusiæ sibi derelictum per Magistrum Brunonem intra triginta dies a receptione ipsarum redderet et restitueret sociis ac subditis Magistri Brunonis cum omni pristina libertate. Et istæ videntur esse primæ Literæ Papales, quæ inveniuntur de Ordine Cartusiensi facere mentionem : quæ circa principium Cartularii Cartusiæ sunt conscriptæ. Abbas vero Siguinus mandato Apostolico gratanter obedivit, et Magistro Lauduino et sociis locum Cartusiæ libere reddidit per publicum Instrumentum, quod circa principium Cartularii est transcriptum. Prædictum autem Fratrem Lauduinum Magister Bruno Priorem Cartusiæ ordinaverat antequam ad partes Calabriæ transmearet.

EXULATIO QUÆDAM.

Quia igitur judicia Dei abyssus multa, non est locus Cartusiæ indignior judicandus, ex eo quod, postquam sex annis fuerat divino cultui dedicatus, a prædictis sanctis viris fuerit derelictus; sed potius mirabilior et dignior reputandus, quia, qui etiam derelictus, tantæ fuerit virtutis, ut suos incolas meruerit et valuerit revocare, nec sine Dei cultoribus nec absque Dei laudibus potuerit remanere. Sicut enim Divinæ dispensationis providentia Apostolos, jam Cœli et terræ Principes æterna prædestinatione constitutos, in Passione Christus noster omnes cadere et fugere permisit; ita etiam quod aliqui ex discipulis, civitate Jerusalem relicta, ad castella extranea infidelitatis vento dispersi, desperationis fluctibus ventilabant vel vacillabant : Christo tamen resurgente corporaliter, resurrexerunt et ipsi spiritualiter constantiores et firmiores in fide, et amore Christi ferventiores. Et qui jam recesserant a Jerusalem stadiis sexaginta, eodem die redeuntes fuerunt Christi visione cum aliis discipulis reformati. Ita Cartusiæ incolas Deus primo permisit recedere, ut postea redeuntes, firmiores existerent et sancta perseverantia fortiores.

Qui enim in fine sexti anni recesserant, in anno septimo redierunt, ut daretur intelligere, quod, sicut die septima Dominus in creatione prima a laboriosis operibus requievit, et post Passio-

nem eodem die quievit in sepulchro, et septimus annus dicitur Jubilæi : ita septimo anno habitatores Cartusiæ redeuntes, ibidem a servilibus cessantes operibus peccatorum, spirituali contemplationis requie recreati, et in sepulchro Christi, id est in claustro et cellis absconditi quiescentes, tandem ad septimum septenarium Jubilæi, laudem et requiem æternæ gloriæ designantis, ipsi tunc numero septem feliciter pervenirent, et pari ac simili modo eorumdem ibidem per futura sæcula successores.

DE FELICI TRANSITU MAGISTRI BRUNONIS.

Bruno igitur, vir sanctissimus, et gemina scientia præditus tam divina quam humana, eloquentia Tulliana præclarus, discretione, devotione, morum excellenti honestate præfulgens, cœlestiumque virtutum copioso thesauro ditatus atque dotatus, Deo et hominibus dilectus et gratus, eremum Cartusiæ rexit sex annis. Et primo, ut dictum est, a Papa vocatus, et non diu post ad eremum Calabriæ, cui Turris nomen est, transiens, ibi secundo constructo monasterio, multorum Dei servorum Anachoretarum rector extitit et minister; et ibidem feliciter vitæ suæ cursu peracto, migravit ad Dominum, post egressum Cartusiæ undecimo anno. Juxta cujus sepulchrum, ut fertur, fons vivus emanat, qui, divina Clementia et hujus Sancti meritis, languoribus Fidelium optatæ conferunt remedia sanitatis.

Hactenus manuscriptus Codex. Scripsit postea Henricus Kalkar noster Chronicon Majoris Cartusiæ, ubi et Historiam S. Patris nostri Brunonis commemorat, quam Franciscus a Puteo Cartusiæ Prior paulo fusius edidit in lucem. Ejusdem sancti Patriarchæ Vitam Petrus Blomevenna Prior Cartusiæ Coloniensis elucubravit. Tandem Surius Coloniensis Cartusianus hanc inseruit in Voluminibus suis. Meminere divi Brunonis Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, sicuti etiam cæteri Rerum Cartusiensium Scriptores.

Decessit S. Bruno anno Domini 1101, die sexta Octobris. Ad hanc diem ejus obitus in antiquissimo Cartusiæ Luviniaci Kalendario signatur his verbis : « Obiit Magister Bruno. » In antiquo etiam Necrologio Cartusiæ Parci legitur : « Pridie Nonas Octobris obiit R. Pater Magister Bruno in Sacra Pagina Doctor, qui nostri Ordinis fuit primus Institutor. »

Porro quot annis steterit S. Bruno in Majori Cartusia, et quandonam eremum Calabriæ habitare cœperit, fuse diximus in Notitiis nostris Provinciæ Cartusiæ, et in Notitiis Provinciæ S. Brunonis. Ubi etiam quot miraculis coruscaverit narravimus; quotque Elegiis Elogiisque universi pene Orbis Christiani sepulchrum ejus fuerit condecoratum et exornatum nec silentio prætermisimus.

Sacrum cadaver beatissimi Patriarchæ traditum fuit sepulturæ a Fratri-

bus suis eodem die quo decessit, id est Dominico, in ecclesia Sancti Stephani Protomartyris post summum altare; ubi jacuit usque ad annum Domini 1514, quo a Leone X Summo Pontifice Catalogo Sanctorum adscriptus est. Ad ejus sepulchrum sequens epitaphium fuit appositum :

Primus in hac eremo Christi fundator ovilis
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meque
Transtulit ad Calabros grata quies eremi.
Doctor eram, præco Christi, vir notus in Orbe;
Desuper illud erat, gratia non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit :
Spiritui requiem, qui legis ista, pete.

S. ARTOLDUS

EPISCOPUS BELLICENSIS

Hujus sancti Præsulis Vitam submisit nobis Hugo Buat amicus noster, Coadjutor Majorævi, quæ sic incipit :

Beatæ memoriæ Artoldus, sive Artaldus, Bellicensis episcopus, ex nobili Dominorum de Sothnode stemmate in altis Veronnesii jugis oriundus, nobilitatem suam ad cœlestem dignitatem consequendam convertit; calcatisque sæculi honoribus, ac aulæ Comitis Maurianensis spretis delitiis, Dei cultui se totum ab ipsa adolescentia dedicavit. A cujus famulatu ut nulla posset occasione avocari, Cartusiam Portarum sub Bernardi, primi eremi hujus incolæ et Prioris, sanctitate celebris, obedientia ingressus est; ubi tyrocinia vitæ spiritualis exercens, admirandam sanctitatis futuræ spem eremicolis præbuit. Quibuscum assiduis orationibus, jejuniis ac vigiliis incumbens, mira spiritus humilitate piarumque Constitutionum observantia ita eos præcelluit, ut Reverendus Guigo Prior Cartusiæ illum ad aliorum salutem operandam, novasque in diœcesi Gebennensi, de Præsulis Humberti de Grandson voluntate, cellas construendas dignum reputaverit.

Ad hoc igitur perficiendum Vir obediens et quietis amator vastam Arveriæ solitudinem, non longe a castro paterno sitam, saxis et spinis asperam, nivibus coopertam, solisque ursis ac feris perviam, elegit. Ad quam, anno Domini 1132, cum aliquot piis Fratribus ascendens, in convalle, quæ modo Cœmeterium dicitur, vili opere cellulas seu tuguriola construxit; ibique per decem annos in magna rerum penuria, divitiarum tamen spiritualium locuples, omnibus ascetis exemplo factus, quo pacto humilitatem exercere, mundum ac se ipsum spernere, Deum autem unice colere et pie orare deberent, Angelicam exegit vitam; quousque virtutis ejus bonus odor circumquaque diffusus, Arducium de Faucigny, Gebennensis Ecclesiæ novum Præsulem, ad eum pertraxit.

Qui cum loci asperitatem miraretur, habitisque piis colloquiis, Artoldo suasor extitit sedes mutandi ac in præcipiti montis aditu monasterium construendi:

Summi Pontificis favorem, Comitisque Amedei benevolentiam ac manus auxiliatrices haud sibi defuturas pollicitus; sicque mirifice ex tali colloquio exhilaratus Præsul, ad sua reversus, quod gratanter promisit, fideliter adimplevit. Etenim montes circumvicinos et locum a præfato Comite Arveriensibus obtinuit. Limites quoque a Lucio Papa II, anno Domini 1144, designari fecit. Omne jus decimanum ad se spectans liberaliter concessit, nonnullosque Nobiles ecclesiasticos et sæculares ad præfati cœnobii constructionem et dotationem instigavit.

Unde Humbertus Comes donationes a Patre Amedeo Christo ejusque Sanctæ Genitrici Mariæ et Ordini Cartusiensi anno ejusdem Christi 1142 oblatas, ratas habuit et confirmavit; sicut et Humbertus Bellijoci dominus, sororius prædicti Comitis Humberti, qui et grangiam de Favolet eis acquisivit. Aymo et Hugo de Varennes, D. Bernardi Portarum Prioris consanguinei, ecclesiam ædificarunt. Petrus senescalus Lugdunensis Capitulum fecit, et grangiam de la Ravonne contulit. Guichardus de Bellojoco, filius dicti Humberti, unam cellam fecit, sicut et Stephanus Lugdunensis decanus unam. Aymo de Rivoire dormitorium Fratrum, Petrus de Chimilieu et duo ejus fratres coquinam, et Artoldus Saisyriaci decanus refectorium construxerunt. Magister vero Pontius fecit hospitium Religiosorum Domus inferioris cum cella Prioris. Monachi quoque Nantuacenses et Regulares Canonici Bellicenses jus suum infra prælibatos confines concesserunt; perpluresque alii non solum eleemosynas largiti sunt, sed etiam suavi jugo Christi ibidem colla submiserunt : adeo ut locus ille, ex spelunca ferarum, factus fuerit habitatio justorum sub B. Artoldi pia disciplina degentium.

Erat enim egregius pietatis magister, rerum caducarum mirificus contemptor ac insignium magnificus operator; Ecclesiæque tranquillitatis adeo studiosus, ut sæpe sæpius ad Alexandrum III Romanum Pontificem, et ad Fridericum Ænobarbum Imperatorem schismaticum epistolas direxerit, pacis ergo inter eos componendæ et tranquillitatis Ecclesiæ restituendæ. Tales autem Alexander Litteras scripsit ad Artoldum de schismate illius temporis.

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio A. Priori Alveriæ, salutem et Apostolicam benedictionem. Dum piam simplicitatem et simplicem pietatem, qua commonitus et inductus tuas nobis litteras destinasti, studio sollicitæ considerationis attendimus, non id præsumptioni, sed devotioni potius imputamus; credentes hoc magis de cordis puritate procedere, quam ex duplicitate qualibet provenire. Nos etiam id ipsum crebro ad mentem reducimus, statumque nostrum, et pristinam libertatem et dignitatem Ecclesiæ ad memoriam revocamus : considerantes et sæpius revolventes, quid

sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ plus expediat, an videlicet aliorum judicio subjacere, cui datum est ab ipso suæ fundationis exordio alios judicare et a nemine judicari, quam in tribulatione ista sic interim remanere, quousque per Omnipotentis gratiam, optatam pacem recipiat et quietem.

« Si autem exemplo humilitatis, immo et dejectionis Christi, qua voluit non solummodo judicari, sed etiam condemnari et turpiter crucifigi, nos ipsos judicari permittimus, et causam Ecclesiæ, de qua jam judicatum est, in disceptationem reduci et iterum ventilari, cum universus Orbis (excepto illo solo viro potenti, Friderico videlicet, et his quos ipse potest sæculari potentia coercere) Nos in Patrem Summumque Pontificem jam receperit; videmus maximum et inæstimabile periculum sanctæ Dei Ecclesiæ imminere, et tantum exinde detrimentum et scandalum provenire, quod eadem Ecclesia, pro cujus utique libertate tuenda patres nostri usque ad effusionem sanguinis dimicarunt, nulla ratione posset de cætero pristinam et antiquam recipere libertatem, sed in tantam ancillationem et miseram servitutem non solum Romana, quæ aliarum Caput et Mater est, verum etiam universalis Ecclesia deveniret, quod in amissæ solatium libertatis nullatenus respiraret.

« Scimus enim, et pro certo cognoscimus, quod vir ille sublimis et potens ad hoc solummodo nititur et intendit, ut Ecclesiam Dei in ancillationem et in supremam redigat servitutem. Nec mala ista et pericula futura conjicimus, sed præsentia cernimus jugiter et videmus. Assidue namque Prælatos in Ecclesiis sub ejus imperio constitutis pro beneplacito suæ voluntatis instituit et destituit; eas pro suo velle ordinat ac disponit, et nihil pene est quod in eis alterius ministerio statuatur; ita ut etiam ille schismaticus et hæreticus, cui ipse tanquam Romano Pontifici reverentiam exhibet et honorem, si forte aliquid præter ejus conscientiam et assensum in qualibet Ecclesiarum duxerit statuendum, ipse totum ducit in irritum et condemnat. Sane quod facit in membris, id ipsum et in Capite (si nunc suum in hac parte posset desiderium adimplere) intenderet, et cuperet multo libentius exercere; et ita dignitas et libertas omnium Ecclesiarum ad nihilum deveniret.

« Ista sunt, dilecte in Christo fili, quæ animum nostrum turbant; ista sunt quæ mentem ab hujusmodi examinatione judicii revocant, et quæ inducunt omnimodis et suadent viriliter pro domo Domini nos opponere, variasque tribulationes et diversas angustias sustinere, et etiam extrema vitæ pericula (si necessitas ingruat) tolerare. Non enim amor propriæ excellentiæ, aut desiderium vel affectio dominandi, nos ad fastigium hujus dignitatis adduxit; sed sola libertas Ecclesiæ compellit nos in ea, munda et pura conscien-

tia remanere; quam videmus, si ab hoc proposito vellemus desistere, omni modo (sicut superius dictum est) deperire. Scire namque te volumus, et firma veritate tenere, quod nos a divitiis ad paupertatem, a quiete ad laborem, ab otio ad sollicitudinem, postremo a felicitate et gaudio ad cumulum sumus cujusdam infelicitatis adducti. Ut enim alia, quæ circa nos sunt, præsentialiter taceamus, omnes hi qui nobis carnis sunt propinquitate conjuncti, a prædicto viro potenti rebus sunt propriis spoliati, expulsi a domibus, et uxoribus filiisque relictis, in aliam provinciam quasi in exilium relegati, nullam habent sedem propriam, in qua possint per tempus aliquod remanere.

« Ea vero, quæ ipse super his publicat et proponit, sicut semper niti mendaciis consuevit, falsa sunt penitus, et nihil in se habent veritatis. Quidquid namque asserat, quidquid etiam fateatur, nequaquam vellet causam hanc per Judicium ecclesiasticum terminari: cum etiam Cardinales, quos hoc anno ad ejus præsentiam destinavimus (quos quidem nec videre dignatus est, nec quemlibet cum eis sermonem habere), nihil ab eo aliud potuerint obtinere, nisi quod aliqui deberent elegi, qui in sua potestate et præsentia constituti, id solummodo providerent, quod utilius ad pacem reddendam Ecclesiæ videretur. Ecce quanta est ejus astutia, quanta fallacia, cum nihil unquam adversus Ecclesiam Dei cogitet ac disponat, nisi quod et deceptionem sapiat et errorem.

« Hæc igitur sunt quæ nostris oculis repræsentant pericula, tam præsentia quam futura. Et ideo, ne majorem jacturam sancta Ecclesia patiatur, non pro nostra, sed pro communi omnium utilitate providere nos oportet, et summopere præcavere. Data Senonis, 4 Kalendas Martii. »

Interea vero Raynaldus, ex monacho Cartusiæ Bellicensis episcopus, absoluto laudabiliter Præsulatu, ultimo die Novembris, anno Incarnati Verbi 1184, ex humanis decessit. Unde orbati Præsule Bellicenses, cum jejuniis et orationibus idoneum Pastorem sibi dari efflagitarent, superna inspiratione Prior Arveriæ Artoldus sanctitatis fama celebris, Cleri universi delectu et maximo plebis applausu electus est Episcopus: qui ne delatum honorem reciperet, sylvarum saltus et Balmani latibula expetiit et requisivit. Sed non potuit diu tanta lux sub modio abscondi; dum enim ab omnibus quæreretur, lumine e cœlo super latitantem descendente, detegitur, capitur et ad urbem trahitur; atque magna omnium jubilatione inauguratus, in sedem Episcopalem, clericorum ac civium quasi humeris subvectus, collocatur.

Susceptum autem non tam honorem quam onus ea virtute ac vigilantia gessit, ut Dei beneplacitum impleret, creditæ plebis salutem miris modis promoveret, et nihil ex eis, quæ Apostolus

in Episcopo exigit, studiis ac operibus desiderandum relinqueret. Pristinum enim Vitæ Cartusianæ Institutum in victus et vestitus austeritate, silentii observantia, orationum assiduitate retinuit, seque divino ministerio ac sacris concionibus addixit, quibus spiritualis medicus omnium morbos curaret, atque singulis ingereret religiosis actibus incitamenta virtutis. Pauperum curam gessit præcipuam, adeo ut in eorum solatia, omnia liberalissime erogaret, nec alimentis quotidianis parceret. Condoluit mœrentibus, invisit ægrotos, quibus etiam sæpe utramque, mentis scilicet et corporis sanitatem restituit; peccatores ad meliorem frugem reduxit, justos in bono confirmavit, dissentientes mira dexteritate ad invicem reconciliavit : nullumque ab opere Dei vacuum tempus excidere permisit.

Tandem annis jam grandis, Pastoralisque sollicitudinis fractus laboribus assiduis, Clementi III Summo Pontifici mente propalata, de ejus assensu infulas deposuit ; et Pontificia dignitate se abdicans, ad pristinum Arveriæ desertum, vitæ solitariæ percupidus et amore liberioris Deo impendendæ servitutis accensus, remigravit; cœlestemque ibi vitam et divinis totam contemplationibus ac officiis intentam per sexdecim fere annos instituit, multosque hoc suo exemplo ad mundi repudium pertraxit. Ex quibus Joannes Abundantiæ abbas, abundantiam sæculi cum penuria eremi magnanimiter commutans, in mira humilitate et vitæ integritate ibidem, anno 1202, diem extremum peregit : cujus pietatem epistolæ de diversis scriptæ testantur.

Cum autem S. Hugo, Lincolniensis episcopus, in Angliam e Domo suæ professionis Cartusia rediret, anno 1200, circa festum Sanctorum Jacobi et Christophori, Arveriam (quamvis esset propter loca montuosa accessu difficilis, et ab itinere remotior) hac specialiter de causa expetiit. Beatus Artoldus ex Episcopo simplex cellicola effectus, præfati Præsulis longo tempore exæstuans desiderio, aspectu ipsius et affatu cupiebat refoveri : quod etiam per internuncios ei sæpius innotuerat. Processerat quidem Vir ille beatus in diebus suis, et mediante jam mundanæ lucis occasu, ad interminabilis diei suspirabat ingressum; nec dissimiles animi, quamvis in ætate dissimili, præfato sancto Præsuli erant. Jam enim caduca omnia, quæ ab annis teneris vilipenderat, in gravi etiam ætate fastidio habebat.

Optato igitur uterque potitus colloquio, suæ singuli recessus conscientiæ ex alterius sanctitatis fulgore, dum sua vicissim occulta pandunt, splendidiores reddunt. Qui tandem simul ad commune Fratrum omnium venere colloquium. Tunc a Lincolniensi episcopo dominus quondam Bellicensis antistes formam pacis inter Franciæ et Angliæ Reges initæ sibi petiit coram Fratribus referri : nam concordiæ illorum ipsum interfuisse cognoverat. Ad quam Viri

tanti petitionem ferventissimus Ordinis zelator haud modice contristatus, ita leniter et quasi jocando ait : « O, inquiens, Domine Pater, rumores audire et referre, etsi licet Episcopis, sed monachis non licet ; in cellas vel claustrum rumores ingredi non licet ; urbes deserere et in solitudinem rumores afferre non licet. » Hæc dicens ad spiritualis ædificationis studium verba convertit. Gratiisque ab Artoldo et cæteris Fratribus actis de visitatione, et eleemosynis a defuncto rege Angliæ Henrico sibi missis, pius Hugo recessit.

Beatus vero Artoldus reliquos sex vitæ annos in omni humilitatis, obedientiæ, pietatis, patientiæ ac charitatis officio consummavit. Post hæc obitus sui divinitus factus conscius, in morbum incidit, suavique habito de superna beatitudine colloquio cum Domno Bernardo Bellicensi præsule Cartusiano, Divino monitu illum illuc conveniente, datisque Fratribus supernæ adhortationis officiis, et sanctis Ecclesiæ munitus Sacramentis, in cinere positus, gaudensque in Domino, inter verba orationis expiravit, pridie Nonas Octobris, anno Domini 1206, ætatis suæ 105, conversionis vero 86. Ejus autem corpus ab eodem Præsule Bernardo, assistentibus Guigone Arveriæ Priore cum cunctis Fratribus et aliquot ex monachis Bellicensibus, honorifice sepultum est in parvo claustro inter portas Capituli et ecclesiæ.

Hujus autem Sancti merita apud Regem gloriæ præcelsa, plurima et stupenda, quæ ad ejus tumulum lapideum facta sunt, miracula postea affatim prodidere. Divinæ etenim virtutes ibidem jugiter coruscarunt, quibus infirmi et moribundi, hujus sancti Pontificis precibus solatia perceperunt ingentia, ad laudem Dei omnipotentis, qui est in Sanctis mirabilis et benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

Samuel Guichenon in Serie chronographica Episcoporum Bellicensium, pag. 37, refert Artoldi tanquam Beati a Cartusianis hanc fieri Commemorationem :

« Vir Dei Arthaudus, ex Cartusiano grege ad Bellicensem Præsulatum arctatus, senio confectus, ad claustri sui quietem rediens, in Arveriæ eremo in pace Deo spiritum reddidit. Deo gratias. — ℣. Justus ut palma florebit. — Oremus. Da nobis, quæsumus, meritis et interventione B. Arthaudi, Confessoris tui atque Pontificis, ita viam hujus vitæ in stadio laboriosi certaminis pertransire : ut quæ mundi sunt postponentes, ad æternam requiem valeamus pervenire. Per Dominum nostrum, etc. »

Reverendissimus D. Joannes de Passelaigue, episcopus Bellicensis, mortales B. Artoldi exuvias, tanti Viri sanctitate motus, videre et venerari voluit, ut ex hoc patet testimonio :

« Anno Salutis 1640, die vero nona mensis Augusti, Ego Joannes indignissimus episcopus Bellicensis, rogatus a

venerabilibus Patribus, Priore et Religiosis monasterii de Arveria Ordinis Cartusiensis, de consensu et permissione Illustrissimi et Reverendissimi D. Justi episcopi Gebennensis, ossa et Reliquias S. Artholdi quondam Bellicensis episcopi, ex dicto Cartusiensi Ordine assumpti, in quodam sepulchro lapideo, prope et extra parvam portam chori ecclesiæ dicti monasterii de Arveria ad Meridiem inventas visitavi, easque devote veneratus, ea, qua potui, reverentia ibidem reposui.

Sic signatum: Joannes episcopus Bellicensis. Frater Claudius de Hée, Prior Petræ castri, Convisitator Provinciæ præsens. Frater Claudius Rosier, Prior Arveriæ. »

TRANSLATIO S. HUGONIS
EPISCOPI LINCOLNIENSIS

Anno Christi millesimo ducentesimo octogesimo, qui fuit a beati Viri obitu octogesimus, Octobris sexto die, sacrum corpus ejus elevatum atque translatum est, cum jam ante ab Honorio III Pontifice Maximo in Sanctos relatus esset. In hac autem elevatione quasi integrum repertum est corpus ejus: loculus vero, in quo illud repositum fuerat, magnam purissimi olei copiam exhibuit; habitus quoque monasticus, quo Vir sanctissimus, dum viveret, usus erat, et in quo post obitum sepulturæ mandatus fuerat, integer inventus est. Cumque sanctissimum ejus caput (quod, a corpore separatum, postea auro, argento et gemmis inclusum est) Oliverus episcopus Lincolniensis in manibus reverenter teneret, ex ejus maxilla non parum olei distillavit. Tandem sacrum corpus in theca auro, argento et pretiosis lapidibus ornata, reconditum est, ipsaque theca loco congruo satisque sublimi, e marmore structo, honorifice collocata est, non longe a sanctissimo ejus capite, quod juxta altare beatissimi Joannis Baptistæ in Lincolniensi ecclesia reposuerunt. Huic vero translationi, præter Regem et Reginam Angliæ itemque Navarræ multosque regni Proceres laicos, etiam duo Archiepiscopi, multi Episcopi, Abbates plurimi, compluresque alii interfuerunt : indictumque est, ut ejus translationis annua celebritas deinceps tota diœcesi Lincolniensi haberetur.

Hæc Surius refert de S. Hugonis translatione: quem emendavimus, dum scribit hanc fuisse factam anno octogesimo sexto a beati Viri obitu, qua ratione ejus mors contigisset anno 1194; verum constat e vivis excessisse anno 1200.

TYDEMANNUS GRAUWERT
PRIOR ULTRAJECTI

Patria Ultrajectinus, Ordinem professus in Domo Hollandiæ; ob eximias animi dotes admotus regimini Domo-

rum Hollandiæ, Sylvæ S. Martini, Leodii et Brugis, tandem anno 1391 fuit primus Rector et initiator Cartusiæ Ultrajecti ordinatus, utpote Fundatoris hujus novi cœnobii amicissimus : nam in sæculo degens, Fundatorem Zwederum Latinis litteris erudierat. Cumque hoc opus multum promovisset, magnaque cum vigilantia præfuisset commisso sibi gregi, Præfecturæ sarcinam, quam diu sustinuerat, circa annum 1398 abjiciens, residuum dierum suorum transegit in solitudine, ubi de Ordine universo bene meritus fatis concessit, anno 1415, die 6 Octobris.

Perhonorifica fit Tydemanni mentio in Chronico Cartusiæ Ultrajectinæ, cujus fuit Protoprior; diciturque mortuus in Cartusia Monichusen, ubi tunc morabatur propter divisionem Conventus primam, occasione aggerum in Zelandia factam.

MARIA BRANCHERS

PRIORISSA BRUGIS

Anno 1434 huic Gynæceo præposita, cum 31 annos clavum non minus religiose quam utiliter tenuisset, ad Christum Sponsum meritis bonorum operum exornata evolavit, anno 1465, die 6 Octobris. Inter cæteras virtutes singulari humilitate præcelluit. Fuit etiam moribus admodum pacifica, paupertatis amatrix, deditissima spiritualibus exercitiis ; unde promeruit aliquando hyemali tempore sub mediam noctem in cella sua Jesum Infantem videre, ejusque suavissimo conspectu consolari. Porro sub ejus Prioratu hæc Domus non tantum observantia regulari, sed etiam copioso monialium numero ita floruit, ut anno eodem, quo decessit, recenserentur quadraginta moniales professæ, tres Conversæ, undecim Donatæ, et cum Vicario quatuor monachi, et totidem Donati.

Ex Catalogo Priorissarum.

PETRUS GERARDI ZAS

PRIOR ULTRAJECTI

Trajectensis, anno 1512 in crastino S. Bartholomæi Ordini nomen dedit. Ex Vicario circa finem anni 1524 institutus Prior, cum huic Domui, et Provinciæ, cujus per octennium fuit Visitator, laudabiliter et sapienter præfuisset, insolita quadam febre, quæ tunc per totam regionem grassabatur, sublatus est, anno 1540, die 6 Octobris.

« Præsente Conventu (verba Chronici Ultrajectini subjicio), et lamentabiliter, ut dignum erat, pro tanti Patris obitu orante, extinctus est. Nam iste charissimus et vigilantissimus Pater, lumen Provinciæ et reputabatur et erat, propter ingenii et intellectus excellentissimam vivacitatem. Quia vero de melioribus civitatis erat, tertia tantum die

sepultus est, ut amici ejus et consanguinei, qui multum eum diligebant, commodius exequiis interessent. Sepultus est autem prope D. Loeffridum, quem intime dilexerat. »

JOANNES MANTEL

PRIOR TUCKELHAUSEN

Professus et Procurator Grunaw; anno 1509, mense Octobri, a monachis electus in Priorem, per Chartam Capituli generalis anni 1519 transfertur ad gubernaculum Tuckelhausen. Hujus religiosissimi Patris patientiam Deus probavit, cum toto sui regiminis spatio maximas passus persecutiones, vidit Domum suam a Lutheranis non modo devastatam et direptam, sed et redactam in cineres. Post hoc incendium lamentabile, quod contigit anno 1527, transacto circiter triennio, resumens animos cœpit restaurare monasterium. Cujus laudabiles conatus Charta capitularis anni 1530 commemorans, calcar ei addit et animos his verbis : « Priori Tuckelhausen non fit *misericordia ;* quem in Domino monemus, ut laborem inceptum pro Dei et Ordinis honore in finem salubrem perducat. »

Nec minus Joannes sollicitus pro spiritualium incremento, disciplinam regularem tumultibus bellicis labefactatam in pristinum splendorem restituere cupiens, a Patribus Ordinis obtinuit licentiam ædificandi seminarium in hac Domo, ubi quosdam educaret adolescentes, qui ad omnem instituti pietatem et in hujus Provinciæ monasteriis donati habitu Religionis, supplerent monachorum, qua tunc Ordo laborabat, penuriam. Deus ita favebat Joannis zelo, ut anno ipso quo constructum fuit seminarium, videlicet 1534, mense Augusto, « erant cum Joanne Priore duo monachi, et rector scholæ conspicuus, cum decem scholasticis probatæ vitæ et morum divinas laudes more Ordinis persolventibus. » Sunt verba Chartæ Visitationis, quæ annis 1538 et 1539 repetuntur in iisdem Chartis.

Dum autem Joannes omni studio damna Ordinis resarcire conaretur, juvenibusque suæ curæ commissis lac instillaret pietatis Christianæ, in ipsisque seminaret bonum vocationis monasticæ semen, ipse jam Cœlo maturus, felici morte præripitur, anno 1542, die 6 Octobris, ingenti sui relicto desiderio.

Ex Catalogo Priorum Tuckelhausen.

ANTONIUS MAZZA

PRIOR NEAPOLIS

Patria Hipponensis, frater Joannis Mazza, viri sanctitate celebris, Cartusiæ Neapolitanæ professi; alumnus et Prior ejusdem monasterii, Doctor utriusque Juris egregius, Lombardiæ remotioris Visitator, vir vitæ prorsus ad-

mirabilis et haud vulgaris sanctimoniæ, præstantissimo præditus ingenio, mira mansuetudine exornatus et clementia, studiosissimusque Domini Salvatoris nostri præceptorum observator. Nulli unquam visus est pro malo reddere malum; sed in bono vincens malum, improbis et procacibus, a quibus afficiebatur injuriis, pro odio dilectionem, pro maledictis benevolentiam, Christi perfectus imitator, exhibebat. Insigni præcelluit charitate, qua non solum Religiosis necessitatem patientibus subveniebat et providebat de necessariis, sed etiam pauperes, viduas orphanosque suis sustentabat eleemosynis, plerosque gravatos ære alieno et mancipatos carceribus, persoluta creditoribus pecunia, educebat e custodia.

His Christianæ prorsus pietatis exercitiis addictus, Domum hanc suarum fragrantia virtutum, honore, divitiis et gloria locupletans, emit grangiam de Ursolone, eique alia adjecit prædia, cum ingenti omnium exultatione. Provinciam sibi creditam in magna pace, concordia et observantia regulari gubernavit ea cum laude, ut parem in hoc habuerit neminem. Demum cum fidelis servus in finem usque perseverasset, Neapoli, anno 1546, die 6 Octobris, moriens, intravit in gaudium Domini, omnibus interim collachrymantibus, veluti communi Parente orbatis.

Ex Catalogo Priorum.

PETRUS XIMENES

MONACHUS DE PAULARI

Orationi deditissimus; factus omnigenæ virtutis exemplar, post exactos in Ordine 27 annos magna cum sanctimonia, spiritum Deo reddidit, anno 1554, die divi Brunonis festo.

Ex Manuscriptis.

FRANCISCUS BENEDICTUS

MONACHUS MAJORIS CARTUSIÆ

Simplicitate et rectitudine, indesinenti pietate et jugi contemplatione divinorum enituit Franciscus, patria Carpentoractensis. Qui cum ortus esset nobili et multum insigni familia divitiarumque gloria perillustri, nihilominus toto vitæ suæ curriculo ita paupertatem excoluit, sed religiosam, sed mundam, sed honorabilem, ut opum immarcescibilium, quæ in Cœlis repositæ sunt, solum avaritia notaretur. Quibus ad præsens fruitur ad votum, solutus a carne mortali, ipso die solenni S. Patris nostri Brunonis, post sacram synaxim, quam eodem die cum cæteris alacriter et devote celebrarat.

Ex Elogiis Cartusiensium sanctitate illustrium Francisci Ganneron.

JOANNES DE AQUADO

MONACHUS DE MIRAFLORES

De quo non immerito dici potest, quod in brevi complevit tempora multa. Mirum etenim sane est, quod in palæstra virtutum tantam a Deo fuerit perfectionem consecutus, ut per sex annorum spatia, quibus solummodo in Ordine vixit, non novus palæstrita, sed jam veteranus videretur : præstantioraque illa a Domino dona in ipso sui tyrocinii exordio tulerit, quæ nonnisi emeritis et in Vita religiosa exercitatissimis conferri solent. Orationi contemplationique addictissimus, impense solitudinem colebat et silentium. Ita ut cum aliquando solus esset, ori suo apponeret incastraturam parvulam, quo sic tacere et suo loco et tempore religiose ac congrue disceret loqui : quod utiliter omnino cæteris cessit in exemplum. Hoc modo Joannes, stadio vitæ brevioris ac Religionis decurso, longa annorum curricula sua virtute percurrens, velox ad metam pervenit, anno 1572, die 6 Octobris; translatus in Paradisum, ne malitia intellectum mutaret.

Ex Mss. Cartusiæ de Miraflores.

SIGISMUNDUS FOGEREZ

SACRISTA MONTIS HILARIS

Ex loco de Arbucias Gerundensis diœcesis oriundus; juvenis adhuc inter Novitios hujus asceterii annumeratus, in ipso probationis anno, non quasi tyronem sed tanquam militem emeritum se gessit contra generis humani hostem. Cujus tentationibus resistens viriliter, cum e prælio victor evasisset, vix vota sua Domino solemniter reddiderat, cum nondum ad Sacra promotus, immatura morte præripitur, anno 1611, in ipso S. P. N. Brunonis festo ; cujus imitator, eo quo vixit in Ordine, brevi licet, temporis intervallo, extiterat.

Ex Mss. Cartusiæ Montis hilaris.

LUDOVICA DES PLANCQUES

PRIORISSA GOSNAY

Exorta perillustri genere, suarum splendore virtutum familiæ suæ decus adauxit : ita sui stemmatis æmula, ut præ omnibus animæ nobilitatem attenderet, et gratiæ cœlestis ornamentum quam terrenæ ambitionis excellentiam potius veneraretur. Pater ejus carnalis erat proprius et unicus toparcha de Hesdigneul in Artesia, ubi et ipsa primæ hujus lucis exordium acceperat circa annum 1533.

Post teneræ ætatis exactas sæculo primitias, in ipsis primordiis infantilibus pietati dedita, rogavit parentes ut ipsam austeriori cuidam Ordini manciparent, nolens inter triviales laxioris Vitæ conversari et consenescere alterius Instituti puellas. Cujus votis non ita quantocyus annuere visi sunt parentes, Cartusien-

sis Ordinis juge carnisprivium, longa Officia, nocturnas synaxes, diuturniores stramineas reclinationes, et alia id generis ob oculos exhibentes ; quæ nihilominus in nullo puellæ fervori remoram injecere, quin protinus cum benedictione parentum ad Crucem Domini sub S. Brunonis labaro deinceps militatura festinaret.

Agebat tum ætatis annum octodecimum, cum primordia conversionis auspicaretur, et cœnobii Gosnayensis observantia ejus animo sederet; in cujus gubernaculo tum residebat venerabilis Margarita de Houchin. Suscepta ad professionem et exinde congruo tempore Episcopali benedictione uni Christo Sponso sacrata, se totam pietati addixit; et cæteris suo Instituto necessariis virtutibus comparandis intenta, digna tandem inventa est, quæ Cellerariæ officio per quatuordecim annos angariaretur.

Tandem anno 1582 Elisabeth de Wignacourt Priorissæ sufficitur, periculosis admodum temporibus, cum bella Gallos inter et Belgas vehementius solito incandescerent, et ex vicinia Artesiani soli frequentiores irruptiones Gallorum in proxima Gosnayensis Gynæcei loca fierent. Inter hujusmodi quotidianas turbationes et regni dissidia Ludovicæ virtus quasi sol inter nebulas spissiores rutilabat, omnibus acceptissima ob præclarissimæ conversationis nomen et haud vulgarem in sibi commissarum moderamine prudentiam. Unde fiebat, ut nulli non esset admodum venerabilis et chara. Hoc enim illice etiam protervæ mentes et degeneres animi, velint nolint, ad virtutis venerationem accenduntur, Deo honorem dare compulsi, quamvis non semper virtutem et ipsi amplectantur.

Præter quotidiana virtutis exercendæ præludia et progymnasmata, quæ extra fiebant et non ita corpus et animam Ludovicæ conficiebant, gravius ei flagellum imminebat a parte adversarii generis humani, qui virginem innocentem a primis diebus professionis ad extremum usque spiritum lancinavit et dilaceravit. Blasphemiæ siquidem spiritus eidem, quoad vixit, fuit infestissimus, eidem tam importunus in omnibus gerendis, ut nec dormiens ferias ullas ab illo hoste crudelissimo nancisceretur.

Nec me latet inter viros spirituales pro certo haberi blasphemiæ spiritum minus esse periculosum ; (quis enim nisi demens et a mente alienatus ipsum audiret, nedum obaudiret ?) sed tamen omnium molestissimum, nemo est qui hactenus negaverit, in tali potissimum sexu, in tanto temporum (puta 70 annorum) intervallo, in tam delicata modestissimæ virginis conscientia. His cogitationibus importunissimis, ab initio suæ consecrationis in Episcopum usque ad postrema vitæ tempora, impugnatus fuit S. Hugo Gratianopolitanus, nunquam tamen expugnatus, qui humilitate et patientia tandem victor evasit illius

sævissimi hostis : quem etiam Mater Ludovica nonnisi moriens exclusit.

Verum quantumlibet a dæmone affligeretur, nunquam vel latum unguem discessit a suo munere explendo, nulli onerosa, nulli extitit minus affabilis. Sciebat enim Joannem Baptistam et Paulum etiam in vinculis curam discipulorum suorum tenuisse, nec pro morte illata abjecisse illorum sollicitudinem. Hoc igitur patientiæ theatrum, hoc juge fuit exercitium Ludovicæ, ut durissimo illo hoste excitata, semper esset in excubiis et sibi attenderet, ut quæ fere nullum a diabolo sentiret temperamentum, etiam suæ in Deum fidelitatis continuum præstaret obsequium : ita oppugnata, ut nunquam expugnaretur, ita victrix effecta per perseverantiæ clypeum, ut de adversario triumphum reportaret, et ab ipso Domino coronam et præmium. Stetit itaque piissima Mater firmiter constanterque solidata ; tantumque aberat, ut mens ejus blasphemis cogitationibus fatigata labasceret, quin potius faceret cum tentatione proventum, cum lachrymarum profluviis adoraret æternæ Bonitatis decreta, ejusque inscrutabilia consilia submissa cervice vereretur simul et veneraretur.

At vero internas Ludovicæ cruces non solum attendimus, sed et ejus atque sibi commissarum externas tribulationes, ut condecet, ponderamus. Maligni quidem spiritus acerba sunt prælia quæ sustinentur, sed et nihilominus dura sunt quæ inferuntur ab hominibus, maxime delicatis et imbellibus puellis, quæ solis lachrymis se tueri soleant. Sed ubi bella obstrepunt, ubi miles prædabundus occurrit, nihil prosunt lachrymæ ad ferratos homines fusæ, nihil muliebris deprecatio pro immunitate a deprædonibus obtinenda. Quæ tamen inutiliter apud mortales funduntur, non frustra diriguntur ad Deum, qui laborem considerat et dolorem.

Circa declivium superioris sæculi flagrante bello inter Galliæ Belgiique Principes, dum prædæ semper et cædi nonnunquam etiam inhiarent adversæ partis cataphracti, quorum aliqui quoque pudicitiæ virginum plagam inferre moliebantur, non semel Gosnayense parthenium circumdederunt milites multo astu conati perfringere portas aut muros suffodere, ut de virginibus aut saltem de reposita earum annona et ecclesiasticis clenodiis sibi stipendia compararent. Quidam jam pilam tormentariam exteriori portæ monasterii addiderant ; sed ipsum instrumentum pyrio pulvere accenso resiliit in authores. Unde fugati postea confessi sunt se quadam divina virtute fuisse perculsos, nec non et aorasia sauciatos omnem circuivisse Domum, nec aditum potuisse unquam reperire. Quin etiam viderunt aliquot vigiles sorores velut quoddam sepimentum in hostes porrectum et expansum, quod nunquam transilire potuerunt. Unde animæquiores factæ omnes, loco suo non sunt motæ, cum jam alterius Cartusiæ Pa-

tres Bethunium aufugissent metu prædonum.

Sopitis jam regni dissidiis cum tranquillitas illuxisset Belgio universo, et alvearia sanctarum virginum pietatis melle redundarent, et jam pristinæ tribulationis memoria fuisset exinanita, nolens Dominus dilectas sibi virgines otio inerti marcescere, sed inter pacis amœnitates etiam patientiæ coronas comparare, contigit ut anno 1606 lues quædam monasterium earum invaderet. Quid ageret Ludovica, quæ sana proprio corpore, in sororibus decumbentibus sigillatim ægrotabat? Optimum consilium tunc cum P. Vicario iniit, ut pro earum sospitate vota B. Virgini Sichensi miraculis celeberrimæ nuncuparentur. Dictum factum, et beneficia reportantur, quorum testis fuit Fredericus Janot Bethuniensis medicinæ Doctor nominatissimus.

Porro jam impleverat in Ordine annos circiter sexaginta, et in Priorissæ officio plures etiam annos Ludovica transegerat, cum ipsam jam effœtam et ætate provectam attendentes Superiores Ordinis, ejus providentes senectuti et tranquillitati prospicientes, eam ab omni Præfectura, ut emeritam, anno 1609, exauctorarunt, volentes ipsam de cætero ab omnibus feriari, quæ ejus senectam maturarent atque accelerarent. Sibi ergo reddita, suffecta sibi in regimine per Capituli generalis decretum Antonia des Planques sua nepte, nihilo segnius virtutum semitam apprehendit, ita sui sollicita ac si in ipso Ordinis tyrocinio versata fuisset.

Virginitatem Ludovicæ ab utero matris usque ultra octoginta annos servatam præterimus, ut ejus ponderemus pietatem. Deo namque jugiter extitit devota, non tantum in ejus externis officiis quæ publice peraguntur, sed etiam amplius in internis, quæ in silentio diriguntur ad Deum. Dum choro cum cæteris aderat, quasi aquila provocans ad volandum pullos suos, ita pie modulabatur, ut olorem ad extrema festinantem audire te putares, ita suæ privatæ addicta pietati, ut nihilominus cæterarum pietati promovendæ invigilaret : nihil languide, nihil præpropere circa divinam synaxim peragendum identidem dictitans. Eo die quo sacra Communione reficienda vel refecta erat, imagines oratorii sui tantis aspergebat lachrymis, ac si stillæ pluviales in eas decidissent ; nam eo tempore, nihil aliud libebat, quam flere et pro amore Crucifixi totam liquefieri et resolvi in lachrymas, quanquam ejus humilitas in his cohibendis et celandis vim omnem adhiberet. Etiam extra illud tempus, nonnullas stillas ex oculis fundebat, amaras quidem ex pertinaci lucta cum spiritu blasphemiæ, quo impetebatur.

Devotionem summa cum humilitate Ludovica conjungebat, nihil enim unquam sibi de supercilio dominatricis vel tenuiter assumpsit : ita humilibus addicta in regimine, quasi ipsa sub re-

gimine esset. Ejusmodi virtus in ea singularis excellentiæ esse videbatur, ut jugiter se vilissimam attenderet, dum ab omnibus prædicaretur de humilitate. In virtutum siquidem apice constituta, cæterarum Sororum virtutes mirabatur, cum suas nec minimum observaret, quæ tamen omnigenis gratiæ charismatibus erat exornata. Cum se igitur omnium abjectissimam factis potius quam verbis insinuaret, ac sibi præferret omnes, nihil mirum est, si aliquando coram trivialibus Sororibus, imo et cum ancillis multa animi ageret demissione conversareturque, quamvis omnium esset Antistita.

Neque autem refugiebat, imo et libenter amplectebatur quidquid vilissimum occurrebat circa Sorores infirmas. Circa sanas etiam sollicita, devenerat ad hoc punctum humilitatis, ut se se semper exhiberet promptissimam, quæ illas aut ad sacras vigilias opportuno temporis momento excitaret, aut sedulitatis aliquid impenderet circa exercitia rerum spiritualium obeunda. Tempus siquidem reputabat fructuose expensum, quod in hujusmodi charitativis obsequiis consumebatur. Dicebat enim : « Cum ad omnia a modo sim inutilis, vel ex hoc aliquam utilitatem reportabo, si iis, quæ utiliter operantur et quarum acceptiora sunt Deo obsequia, obsequii aliquid impendam. »

In pauperes externos et mendicos maternis compassionis visceribus ferebatur ; iis namque pro tenuitate facultatum amicabiliter subveniebat per se et,per alios. Tandem factum est, ut bonus odor nominis ejus et pietatis, totius viciniæ sed potius totius Ordinis loca pervaderet, et nonnulli ejus meritis confidentes nonnihil opitulationis in anima vel in corpore reportarent. Si quis eam adibat, copiam sui liberalissime faciens, cum summa affabilitate omnes excipiebat, piis colloquiis neminem unquam tristem dimittens.

Paupertati studebat propensius, cujus præclarum ornamentum cum gravi et humili corporis compositione, frontis majestate ac oculorum modestia mirum in modum assonans, tanto majori eam reddebat amore dignam, quanto eminentiori præstabat aliis dignitate, adeo ut omnes illius consortio fruerentur non sine salutis emolumento.

Sic igitur peracto vitæ mortalis stadio, pretiosis bonorum operum munita mercimoniis, exiit obviam Sponso, anno 1622, die 6 Octobris, ætatis 89, Religionis 78.

Priusquam corpus ejus terræ mandaretur, unus Pater Franciscanus, alter Religiosus Societatis Jesu animam illius inter Angelos evolasse divinitus cognoverunt. Idque D. Huquelier Vicarius in funebri quam de illa habuit concione, juxta perspectam de ejus innocentia notitiam, asserere non dubitavit quod, si videlicet sanctæ Matris Ecclesiæ ritu licitum fuisset, dixisset utique libentissime, *Sancta Ludovica, intercede pro nobis :* cujus quidem sententiæ monia-

les suffragabantur. Nec sine causa. Quidam enim domesticus Ferdinandus nomine, cum preces fudisset super ejus tumulum, quem ipse foderat, petiissetque supplex a pia Matre, ut ejus patrocinio a molesta mentis anxietate qua jamdudum vexabatur, et a cruris incommodo posset liberari, suæ postulationis effectum illico impetrasse Vicario, Priorissæ aliisque testatus est.

Ab eo non dissonat quod sequitur. Soror Barnaba Doriere, hujus monasterii Donata, dentium incredibili dolore cruciabatur ab annis quinque continuis; cujus vehementia eo usque adducta erat, ut jam nullo posset remedio allevari. Tentatis omnibus, tandem ad Matris Ludovicæ opem recurrere se se sensit intus impulsam. Quamobrem facta oratione, et parvæ cucullæ ejus partem assumptam suis dentibus apponens, lectum deinde petiit, decubuit; et quæ tamdiu fuerat expers quietis, somno correpta placidissimo, mane expergescens tandem perfectissime sanatur.

Ex diversis Manuscriptis.

BRUNO FLEISCHMAN

PRIOR ASTHEIM

Alumnus et Vicarius hujus asceterii; anno 1614 electus in Priorem Erfordiæ, post sexennium ab Astheim monachis in Superiorem communi suffragiorum calculo postulatus, non solum hoc cœnobium sed etiam Alemaniæ Inferioris Provinciam magna cum laude rexit. Solers œconomus, Domus ruinas restauravit, nova erexit ædificia, pluraque construxisset, ni Gothicus furor ejus conatus retardasset. Vir fuit miræ pietatis et devotionis, observantissimus disciplinæ regularis, in rebus agendis valde industrius, doctrina clarus et eruditione. Qui multis pro Ordine laboribus exantlatis, pie migravit ad Dominum, anno 1639, die 6 Octobris.

Ex Chronico Cartusiæ Erfordiensis et Catalogo Priorum Astheim.

PETRUS BENAVENTE

RECTOR VIÆ CŒLI ET S. JOSEPH

Anno 1587 nascitur in oppido de Alcoy, quod quindecim leucis distat a Valentia. Hujus regionis obnoxiæ terræmotibus incolæ cœlo concretiori crassiorique utentes, robustiores sunt iis, quorum natale cœlum est tenuius. Ex hac patria Petrus corpus validum, indolem in agendo celerem, velocem ad iram, acre ac perspicax ingenium, tenacemque admodum sortitus memoriam, studio parentum suorum Josephi Benavente et Georgiæ Monllor omni cum timore Domini puer educatus fuit.

In ipso suæ ætatis flore humanioribus literis operam navans, eos fecit progressus, quibus suos inter æquales lon-

ge præstaret. Absolutis studiis, cum angustum sibi nimis natale solum et Valentiæ regnum crederet, jam ambiens altiora, petiit Salamancam, ut expeditus a parentum suorum tutela, sui juris fieret ac mancipii, tumque commodius utrumque Jus addisceret, ratus hac scientia quod sterneret sibi viam ad sublimiorem fortunæ gradum. Caluerunt igitur Petri studia tanta cum assiduitate, ut modum in iis nullum agnoscens, diebus singulis decem aut duodecim horas consumeret, nulli parcens labori, quo evaderet jurisperitissimus.

Cum interim omne tempus suum in hoc potissimum collocaret, oblitus plane scientiæ quæ Christianum decet hominem, nullam omnino virtutem noscebat. Nihil aliud versabat in mente, nihil in ore, nisi rixas et arma. Ad hæc a natura proclivis, multa nonnunquam audacia præcipiti aggrediebatur. Aliquando lictorum cohortem adorsus fortiter, ipsos in præcipitem dedit fugam. His occupatus, salutis suæ prorsus erat immemor. Contigit sub hæc tempora, ut imminente quodam solenniori festo per Pœnitentiæ Sacramentum animi maculas detergeret, cui sacerdos in culparum expiationem indixit lectionem cujusdam libelli devotionis. Sed frustra prudens medicus hoc apposuit collyrium cæcutienti juveni, pietatis inassueto exercitiis; qui ad veritatis lumen mentis oculos claudens, et obturans aures suas ad vocem incantantis sapienter, cum perfunctorie unum hujus libelli capitulum percurrisset, statim rediit ad vomitum.

Deus qui Petrum in servum sibi elegerat, quo compelleret ad divinos afflatus obsurdescentem intrare per angustam salutis portam, gravissimo percussit morbo contra stimulos gratiæ recalcitrantem. Eruditus ex verbere judiciorumque Dei formidine repletus, oculis suis somnum denegabat, ne dormiens a morte præoccuparetur. Unde contracto, ex hac contra quietem nocturnam contentione, dolore capitis acutissimo, vix sui compos erat ad novissimorum suorum memoriam. Statuit inter has mentis angustias secedere in locum, ubi dignos faceret pœnitentiæ fructus, modo pristinam recuperaret sanitatem.

Paululum convalescens, labente anno 1613, adiens Vallis Christi Cartusianos, habitum Religionis precibus petiit instantissimis ; a quibus tandem admissus sub anni 1614 exordium, memor vitæ suæ solutioris, eo spiritus fervore monasticam perfectionem aggreditur, ut duras custodiens vias omnibus esset in admirationem. Post tam præclara tyrocinii præludia, in ipsa Beatissimæ Virginis Mariæ Purificatione, anno 1615, vota monastica nuncupans, anteactæ vitæ maculas operibus bonis abstersurus, Deique oblivionem, in qua tamdiu vixerat, jugi ipsius compensaturus memoria, acre suo corpori animique passionibus bellum indixit usque ad effusionem sanguinis. A na-

tura proclivis ad iram, studuit imprimis animi motus temperare : quod quidem carnis mortificatione asperrimisque pœnitentiis assecutus est. Ad hanc sui ipsius pugnam aliquando Beatissima Virgo ipsum adhortata est,quam postea mirifice coluit ac dilexit.

Prælia Domini præliantem dæmon aggressus, variis eum tentationibus fatigavit, quibus incipienti virtus amara fieret. Cumque suos conatus Satanas cerneret imbelles, expandit rete suum super montem Thabor,dum se se transfigurans in Angelum lucis, servum Dei orationi vacantem in aera sustollebat, quo de se Petrus bene sentiret. Revera etenim, peracta oratione, rem tacitus considerans, scintillis quibusdam superbiæ titillabatur. Cumque a recta virtutis semita deflectere pertimesceret, diaboli technas subodoratus, V. Patri Mathiæ Ferrer, suo spirituali magistro, quid sibi inter orandum plerumque accideret, patefecit. Vir in hisce peritissimus discipulo suo fuit auctor, ut, nulla prorsus horum habita ratione, soli Christo crucifixo adhærere satageret, atque imas in humilitate figere radices, qua hujusmodi extases parvifaceret. Mathiæ consiliis Petrus acquiescens ita fugavit dæmonem, ut ad tale certamen redire amplius non ausus fuerit. Unde abhorrens postea ab illis raptibus mentis, vix se credebat illis qui tales excessus paterentur, cum plerisque sæpius dæmon illudat, difficileque sit veras extases quæ raro admodum contingunt, a falsis quæ sunt frequentiores internoscere.

Quamvis venerandus hic Pater omnigenis virtutibus exornatus esset, præcellebat tamen studio regularis observantiæ, silentii cæterorumque Instituti nostri exercitiorum. Quod spectat ad observantiam, huic erat deditior, quam monasticis votis sectandam solenniter fuerat professus, existimans hujusce virtutis religiosæ praxi se ad sui status apicem conscensurum.

Attente igitur Statuta et ceremonias Instituti Cartusiensis legens, omniaque hæc perspiciens spectare ad silentium ac solitudinem quasi ad virtutum officinam,statuit hominum conversationem declinare, quo secum habitaret et in abscondito faciei Dei absconderetur. Unde nunquam e cellula sua efferebat pedem, nisi cogeret necessitas ; sicque voluntario carceri mancipatus,omnium sibi conciliabat admirationem. Silentii etiam eximius cultor, non solum ab otiosis sed etiam a necessariis verbis plerumque abstinebat, ne in sermones superfluos se effunderet. Sæculo plane defunctus, amicis et parentibus omnino renunciaverat, nullum cum eis habebat commercium, nullas eis unquam scribebat literas, ne qui semel manum miserat ad aratrum, retro respicere videretur. Sic expeditus a rebus terrenis currebat non in incertum, sed corpus suum cruentis flagellationibus macerabat : caro siquidem ipsius concupiscebat adversus spiritum.

Imprimis sollicitus erat valde circa sui cordis custodiam. Cum enim ad iram facile laberetur, ubi primum motum aliquem sentiebat, statim illum cohibens ita sui erat compos, ut tranquillo serenoque vultu appareret. Hoc assiduo sui ipsius mortificationis studio domitas habens cupiditates, incredibilem comparavit sibi patientiam, qua liber ab animi perturbationibus vacabat ad libitum rerum cœlestium contemplationi. Nec sine grandi labore hunc de se reportaverat triumphum : vim siquidem sibi inferens, quoties iræ motus exurgebat, in argumentum interioris pugnæ, sæpe sæpius magnam effudit atræ bilis copiam.

Non iram solum sed ventrem etiam suum aggressus (in sæculo etenim degens se cibis ingurgitabat), inedia, potus victusque parcitate appetitum gulæ devicit. Quod si interdum sibi tantillum aliquid indulsisse crederet, flagellis aliisque macerationibus se castigabat, quamvis aliunde cibi esset parcissimus. Non solum corpus suum redigebat in servitutem, sed etiam voluntatem suam ita subjecerat Superiorum voluntati, ut felicitatem summam se existimaret assecutum, cum non propria sed aliena viveret voluntate. Semper erat paratus ad obediendum, eoque se exhibebat promptiorem ad Prælatorum mandata, quo minus ad ea se sentiebat proclivem: tunc enim arbitrabatur se consequi obedientiæ meritum, et luculentiorem de suo intellectu victoriam.

Vir ita sibi mortuus, angelica puritate exornatus erat : unde cum cogeretur conversari cum mulieribus, nullum unquam sensit motum, qui mentis illius puritatem labefactaret. Paupertatis cultor eximius, rerum abundantiam exhorrescens, ad necessaria potius compelli quam ultro currere videbatur. Vilis admodum erat cellulæ ipsius supellex, vix sedile ibi occurrebat, quo extraneos exciperet, nulla ibidem appensa erat imago vel tabella, nullum habebat lecti stragulum, sæpius super nudam humum decumbens : et ut paucis absolvam, Petrus noster vivum erat simulachrum monasticæ paupertatis.

Non pigebit autem hic paulo fusius enarrare hujus præstantissimi Patris mortificationem et orationem ejus extaticam.

Carnem, mundum et dæmonem humani generis hostes refrænaturus, quo citius eos debellaret, abstinentiam ad hoc certamen adhibuit. Parcissimo igitur cibo utens, ita suum attrivit corpus, ut dixisses Petrum suæ carni non mortificationem sed mortem ipsam inferre. Verum quia ipsi discretionis metas transgredi erat illicitum, se seque ad tam asperum vitæ genus imparem videret, priscorum eremi Patrum exemplo provocatus, Deum oravit, ut qui salubre inspiraverat consilium, dignaretur adjicere vires ad gradiendum per arctiores Vitæ monasticæ semitas.

Respiciens itaque Arsenios, Macarios, Hilariones et Antonios, quamvis ob he-

patis calorem multo indigeret alimento, se se tamen ad alios non solum accommodavit, escam non juxta suam esuriem sed secundum Ordinis praxim sumens, verum etiam pane et fructibus sæpe sæpius contentus erat. Viro a natura famelico cum cibi communes non sufficerent, ad majorem sui corporis vexationem vix ei panem et aquam plerumque concedebat. Statutorum etenim V. Patris Guigonis religiosus observator, ter in hebdomadam pane et frigida per decem et octo annos victitavit, nihil aliud adhibens ad obsonium. Aliquid postea de hoc austera vitæ norma remisit, ne fieret inidoneus ad ea quibus admovebatur difficilia Ordinis munia.

Præter statas Ordinis nostri vigilias adjiciebat prolixas orationes, adeo ut vix noctu per tres horas somnum super tabulam, vel nudam humum, raro autem super lectum, produceret. Non carneum sed ligneum vel lapideum Petri corpus crederes, quod tam dure tractabat. Hispidum erat ejus cilicium et expansum supra omnem carnem, ad quam comprimendam, pro lumbari canabino, renes suos catena ferrea constrinxerat. Nonnunquam statis anni temporibus cilicio utebatur ferreis acuminibus intertexto, ad doloris cumulum asperrimis flagellationibus carnem verberans usque ad sanguinis effusionem. His et aliis pœnitentiæ instrumentis nobilissimum de se triumphum reportans hic Dei servus, vigiliis, jejuniis aliisque macerationibus omnino corpus suum assuefecerat. Unde non secus ac si fuisset incorporeus, ori cibaria, somnum oculis, linguæ sermonem, suas sensibus voluptates eripiebat et commoda, quo liberius ac perfectius frui posset oratione.

Nullum ea pretiosiorem thesaurum, nullam epulam existimabat esse jucundiorem, in qua mens supernorum donorum opibus ditata, suaviter epulatur cum Domino. Famelici instar, Divinæ præsentiæ ac familiaritatis delicias semper esuriens, in oratione totus absorbebatur : ibi perseverabat extensis brachiis, defixisque oculis in cœlum, cujus ardore in ejus faciem redundante, tanquam Seraphim igneus apparebat. Frequenter rapiebatur in extasim, præsertim inter Missæ Sacrificium, quod tanta cum reverentia peragebat, ut sæpe sæpius tempore vivorum et defunctorum inter Canonem recommendationis sensibus excederet. Ex spiritualium librorum lectione patiebatur etiam divina.

Multum faciebat opera Ludovici Granatensis ac divæ Teresæ Tractatus. Ex his collegit spiritualium divitiarum thesauros, quibus ditatus eructabat semper aliquid boni ; nullusque Petri vultum poterat intueri, quin incalesceret ad devotionis scintillas, quæ ex ore, ex ipsius facie emicabant. Unde omnes illum tanquam Sanctum venerabantur. Ambulabat siquidem semper coram Deo, se seque ad Divinam ejus componens præsentiam, sive solus degeret inter privatos parietes, sive prodiret, ea

se cum modestia gerebat et gravitate, quæ redoleret primævos cœnobiticæ Vitæ initiatores.

Tot gratiæ donis illustratus non poterat diutius latere in angulo domatis. Anno igitur 1622 constituitur super sanctuarii custodiam. Anno 1623 per Visitatores secundus Procurator ordinatus, vix biennium et sex menses exegerat in hoc officio, cum temporalium negotiorum pertæsus sollicitudine, a Visitatoribus instanter petiit suam absolutionem, Sacristæ Aræ Christi munere contentus. Dum ibi silentii vitæque abstractioris quietem degustaret, anno 1628 per Capituli generalis Chartam Vicarius Vallis Christi fuit nominatus. Anno subsequente, mense Martio, per Visitatores Coadjutor, deinde anno 1630 secundus Procurator usque ad annum 1637 factus, postea Coadjutorem iterum egit, donec anno 1638, die 3 Julii, ut mox dicemus, in Superiorem Vallis Christi eligitur.

Molestæ admodum fuerunt Petro tales occupationes. Unicum erat illi solatium inter hasce mentis angustias, quod ab iis semper abhorruisset. Solitus erat dicere se, ex eo die quo fuerat gravatus Ordinis officiis, e tribunali Herodis ad Pilati tribunal fuisse tractum : significans se, ad instar Christi Salvatoris ex iniqui judicis prætorio ante pejoris tribunal deducti, gradatim fuisse oneratum, cum sarcinam gravem ad portandum altera longe difficilior semper fuerit subsecuta.

Dolebat sibi præreptam Mariæ partem meliorem ; verum hanc ita cum Martha conjunxerat, ut nihil unquam remitteret de devotionis exercitiis, nihil de observantia regulari vel de suæ vitæ rigore detraheret : quin etiam multa ultro adjiciebat, nunquam utens illis immunitatibus, quas Ordo noster solet Officialibus indulgere. Quamdiu obivit munia, in rebus agendis acerrimus fuit, adeo ut non sine omnium admiratione ferreus homo appareret: nullo unquam fractus labore, quamvis nulli parceret operæ in administratione negotiorum, dum aliunde durus admodum sibi esset ac severus. Hæc autem non fiebant, nisi cum nocturnæ quietis ipsius detrimento; verum Deus dabat lasso virtutem, Divinoque Petrus suffultus auxilio, satis superque omnibus sufficiebat.

Commendanda plurimum est ipsius in frequentando choro assiduitas. Continuis irretitus domesticarum rerum occupationibus, quoties in Domo morabatur, divinis semper intererat Officiis. Quod si foras exire cogeretur, ubi primum redierat in Cartusiam, nulla penitus cibi potusque habita ratione, licet ex itinere fatigatus, properabat ad templum se psallentibus adjungens. Rogabant interdum adstantes Petrum, ut sibi tantillum indulgeret ; at obsurdescens, sui penitus immemor, cum cæteris divini persolvebat pensum Officii. Quoties e monasterio propter negotia egrediebatur paulo longius profecturus, aderat tamen prius sacræ synaxi. Ali-

quando ab ipsa hora tertia post noctis medium iter equo facturus, antelucanas cum monachis decantabat preces, Dei laudibus tanquam quiete suavissima se reficiens. Dum ageret Coadjutorem, familiæ rebus occupatior, sic rite disponebat omnia, quamvis multum implicaretur negotiis, ut nunquam fuerit in Matutinis Horis desideratus. Sæpe sæpius visus est accurrere ad ecclesiam, dimissis omnibus, cantaturus Missæ Epistolam, cum nullus esset qui obiret Subdiaconi vices.

Se se superabat dum in choro cum cæteris Canonicas Horas persolveret. Erat enim egregium videre, Officiis divinis diei noctisque indefesse assistentem, scientem jubilationem, alta et canora voce, labiis mellifluis et gutture suavissimo divina cantica depromentem, corde et ore, quamdiu potuit, sapienter, firmiter et constanter Deo Regi nostro psallendi obsequia et psalmorum cantus in voce tubæ suæ carneæ reddentem, eoque labore ac studio Fratres suos ad similiter agendum provocantem, et somnolentos aut segnes increpantem. Tanta reverentia atque animi attentione divinum hoc peragebat Opus, ac si inter Angelicos choros præsens fuisset. Conversatio quippe ipsius erat tum in Cœlis, ubi ex Dei consortio quasi Divinus postea descendebat ad homines.

Cum enim ex officio teneretur cum sæcularibus conversari, quamvis a natura rigidus esset, omnes tamen mira morum suavitate sibi devinciebat. Summa affabilitate temperabat gravitatem, qua erat apud extraneos et domesticos in veneratione. Coadjutorem agens, benigne admodum tractabat famulos; qui bonitate illius tanquam philtro illecti, non quasi ad oculum servientes, sed prompto alacrique animo sua singuli obibant munia. Quod si nonnullos deprehenderet moribus esse dissolutis, aut ipsos Domo ejiciebat, aut increpabat gravissimis verbis. Si quos cerneret penuria laborare, ipsorum paupertati iis, quibus poterat, modis subveniebat, eorumque familiis corporaliter simul ac spiritualiter opitulabatur. Nec minori ferebatur affectu in Fratres suos, præsertim in ægrotos, quibus condimenta, quæ in armario reposuerat, subministrabat: vir aliunde sibi supra modum austerus, qui reservabat sibi duritiem, dum aliis impendebat misericordiam.

In hoc Coadjutoris officio, sicut et in aliis muneribus, magnos sustinuit labores, inter quos superabundabat gaudio; hæc enim omnia referens ad Dei laudem et gloriam, placide patiebatur. Infirma affecto valetudine, molesta valde erant itinera; verum cum duce obedientia semper ambularet, Deum sibi propitium experiebatur, qui euntem custodiebat in via. Hujus rei extat argumentum quod refero. Pergens aliquando sub vesperam ad castrum de la Plana, quo citius adveniret, viam parum tritam ac luculentam iniit, ra-

tus hanc esse expeditiorem. Postquam incessisset aliquamdiu, deerrasse perspiciens sistit gradum, nescius quo figeret in bivio. Sic dubius audit vocem cujusdam senis iter ad dextram indicantis, quo pergens, paulo post ad castellum accessit. Petri famulus id divinitus actum intelligens, tam faustum ac opportunum viæ ducem perquisivit, sed frustra : nulla siquidem ibi ullius hominis apparuere vestigia. Unde nonnulli, nec immerito, credidere S. Josephum, cui Petrus erat devotissimus, ab itinere deflectentem deduxisse.

Anno 1638 monachi Vallis Christi, exauctorato ad eorum instantiam ob severitatem Henrico Tristany Priore, in ejus locum suffecere Petrum. Qui ubi primum iniit regiminis possessionem, in omnibus sategit suis Fratribus assimilari, nihil in victu, nihil in vestitu admittens singulare : non quasi unum de illis se existimabat, imo se reputabat ipsis inferiorem, dum quidquid vile et detritum erat, sibi arrogaret. Dum aberat e monasterio, Martinus de Altariba Vicarius clam laceras Petri vestes auferens, alias paulo meliores supponebat. Tantus paupertatis amor elucebat etiam in ipsis sacelli ejus ornamentis ; nam casula erat ex grosso panno, et reliqua supellex priscam Cartusiensium redolebat paupertatem.

Nullius laboris, nullius negotii causa abfuit a divinis Officiis ; ubi secundum festorum ac solennitatum dignitatem ipse erat regula psalmodiæ. Omnes siquidem ad Petri vocem se se componentes, graviter et reverenter Dei laudes decantabant. Non solum voce sed opere vir potens, suos ad cultum silentii et solitudinis filios provocaturus, fugiebat sæcularium conversationem. Unde clausis fenestris in cella solus remanebat vacans orationi. Cumque monachum aliquem ad ostium pulsantem audiret licentiam petiturum, se sistens ad januam verborum parcus, statim, dimisso monacho, ad exercitium spirituale redibat.

Nonnullos conspiciens pius Pater paulo remissiores in abstinentiarum observantiis quæ antiquitus vigebant, tepidos excitaturus ad hanc praxim laudabilem, qua statis hebdomada diebus pane et aqua contenti sunt vitæ strictioris Cartusienses, solebat, feria sexta plerumque abstinentiæ Ordinis dicata, pane et frigida suam adornare mensam, ut gratiæ petendæ causa monachi ad ejus cellam accedentes, tam tenuis ferculi spectaculo commoverentur ad sui Superioris imitationem.

Carni et sanguini omnino crucifixus, commissum sibi gregem sermone simul et actione ad perfectam parentum et cognatorum derelictionem hortabatur. Neminem secundum carnem noscebat religiosissimus Pater, sicque sæculo valedixerat, ut nullas a parentibus suis literas, nulla munuscula voluerit unquam recipere. Solutus ab omni terreno affectu, si quando negotiorum gratia in urbe aliqua versaretur, ubi haberet

affines, malebat in caupona diversari, quam parentum uti ædibus. Cum aliquando pertransiret natale solum, veritus consanguineorum occursum, urbem non intravit nisi nocte concubia. Vir non corpore solum, sed etiam affectu a parentibus suis disjunctus, sicut aquila provocabat ad volandum pullos suos, qui Petrum tanquam hominem e Cœlo delapsum venerabantur. Nec minus honorifice de ipso sentiebant sæculares : Christi siquidem, bonus odor factus, ubique diffundebat suarum virtutum fragrantiam.

Sic suos ad omnem instituens justitiam implendam, eis necessaria quælibet subministrabat tam ad victum quam ad vestitum, ut rerum temporalium curis expediti, viam mandatorum Dei currerent facilius. Sollicitus Pastor super gregis custodiam, singulos ad arctam silentii ac solitudinis observantiam compellebat, severe coercens silentii legum infractores. Morem parum solitudini consonum abolevit, qui sub prætextu devotionis ad laborandum simul convocabat.

Eliminabat, quantum poterat, e claustro sæculares, raroque eis concedebat monachos invisendi licentiam, ni prius moribus castigatissimis eos esse intelligeret : *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala*. Duabus clavibus majus peristylium claudi volebat, nusquamque aperiebatur nisi post horam nonam ; unde vigebat in hac eremo silentii cultus. In choro mira ceremoniarum observantia, spiritusque gratiæ et precum effundebatur super omnes. Unusquisque satagebat sui Prælati vestigiis insistere, quamvis longo intervallo. Cumque odore virtutum illius attracti, habenas fervori suo laxare vellent, sapientissimus Moderator adhibebat frænum, juxta mensuram uniuscujusque, pœnitentiæ onus singulis imponens. Quos enim ob tenuem corporis habitudinem minus idoneos cernebat ad carnem macerandam, hos cogebat iis, quæ Statuta præscribunt, esse contentos communemque sequi normam. Annuebat vero votis robustiorum, quos haud impares voluntariæ macerationi existimabat. Addictos Vallis Christi dominio severe continebat in officio, ac æqui observantissimus rigide sontes puniebat.

Cæcam, ut aiunt, et promptam exigebat a subditis obedientiam. Quapropter cavebat imprimis ne admitteret Novitios pervicaces et proprio sensui adhærescentes, utpote ad vitam spiritualem prorsus ineptos. Orationem tanquam manuductricem aiebat esse ad contemplationem , dicereque solitus erat orationem esse nutricem virtutum. Per tritam a tot Sanctis viam docebat ambulandum esse, insistendumque primo vitæ purgativæ, et frequenti meditatione recogitanda Christi Incarnati et Crucifixi mysteria, ædificiique spiritualis fundamenta supra firmam humilitatis petram stabilienda esse. Ad gradiendum per sanctioris vitæ semitas suos

adhortans, Ahod ambidexter, non minus promovebat temporalia. Adauctus siquidem de rore cœli et de pinguedine terræ, templum Domini pretiosa supellectili argentea exornavit.

Sub hæc tempora sarcinam regiminis excutere cogitanti aliud superimponitur onus, cum ad laboriosius officium evehitur. Anno siquidem 1639 profectus ad generale Capitulum, perhumaniterque exceptus a R. Patre, qui Petrum ob animi candorem et ingenuitatem indolis multum fecit, in his Comitiis Cataloniæ Convisitator renunciatus est. Adfuit, in hac primaria familiæ Cartusiensis Eremo, divinis Officiis non sine omnium admiratione, ob vocem sonoram, et in decantandis Dei laudibus a R. Patre nuncupatus Psalmista. Nihil ibidem de pietatis exercitiis remittens, quantum licebat per otium, addictus erat orationi : quotidie etiam Beatissimæ Virginis Rosarium recitans, cui venerationis ergo, quamdiu vixit, hoc persolvit devotionis pensum. Totus in hac Sanctorum terra incalescebat ad aspectum pœnitentiæ domicilii ; memorque priscorum sacræ hujus solitudinis incolarum, se nondum a limine salutasse virtutem arbitrabatur.

Redux in Domum suam, calida febre correptus ita sapienter delirabat, ut semper bonum eructans verbum, nihil nisi de virtute rebusque spiritualibus unquam proferre auditus fuerit. In hac mentis aberratione miscebat sermones de Sanctis, quos singulari colebat devotione : imprimis S. Josephi ac S. Theresæ commemorabat nomen. Ardore febrili paululum liberatus, miram inter morbi reliquias exhibuit patientiam. Ad cujus levamen supra dictorum Patronorum conspectu recreatus, erga ambos venerationem et amorem omnibus prædicabat. Honoris gratia divam Theresam præcellentem vocitabat Magistram monasticæ perfectionis, seque nunquam ab ejus laudibus dicebat cessaturum. Nec minus honorifice sentiebat de S. Josepho, cujus præconio se penitus imparem profitebatur. Quoties nulla ei erat per Sacristam injuncta Missa, Sacrum peragebat in Josephi commemorationem. Ubi autem illa Evangelii verba *Joseph fili David* recitabat, totus ex amoris sensu tenerrimo liquefactus, adstantes provocabat ad sui Tutelaris affectum.

Vix ex infirmitate convalescens, anno 1641, per generale Capitulum Visitator Cataloniæ deligitur. Quo tempore, mense Octobri, cum bona R. Patris venia, Cartusienses Vallis Christi Officium et Missam S. Theresæ celebrarunt : quæ quidem erga Sanctam devotio perseverat ad hanc usque diem. Anno 1642 pergens ad Ordinis Comitia, post multa pericula, pervenit ad Majorem Cartusiam, tanquam Angelus Domini susceptus a R. Patre, qui probe Petri noverat virtutem. Nec fortunatior fuit ejus in patriam reditus; in vitæ siquidem discrimen adductus est, quod evasit orationum suarum efficacia. Comitem

itineris habuit Fratrem Joannem Baptistam, qui e mula tonitru perterrita lapsus, pedeque suo scansili adhærente, raptatur aliquamdiu, donec ephippario scamillo disrupto fere exanimis remansit. Omnia charitatis officia Fratri vulneribus affecto exhibuit Petrus, totumque per iter inscendenti equum famularem navavit operam, quoadusque ad Cartusiam Vallis Christi fuisset reversus.

Prætermitto brevitatis studiosus labores quos exantlavit terra marique in suæ Provinciæ Domibus visitandis; in quo quidem munere modo tanquam patrem benignissimum se gerebat, modo tanquam severum judicem, invigilans ut sarta tecta servaretur regularis observantia.

Anno 1644, ad suas preces instantissimas exoneratus Visitatoris officio, ad amicam solitudinem anhelans, ita importune egit cruris mutilationem causatus, ut die 22 Augusti præfati anni a Visitatoribus obtinuerit suam a Prioratu absolutionem. Temporalium sollicitudine expeditus, ad claustrum rediit se se renovaturus non secus ac si modo cœpisset Deo famulari. Cellam elegit sola paupertate exornatam, se seque ita solitudini addixit, ut nullum amplius (quamvis aliunde esset apud Magnates et plebeios in amore simul et veneratione) cum sæcularibus statuerit habere commercium. Ideoque neque chartam, neque atramentum, neque pennas secum in novam hanc masionem detulit, quo ad amicorum epistolas obmutesceret. Jubebat tamen interdum Prior Petro responsum scribere viris spectatioribus.

Cellulæ quieti redditus, tanquam Novitium se gerebat. Quamvis crure captus, omnes antevertebat ad chorum se se reptando ; ubi strenue psallebat Deo nostro. Raro exibat e cellula. Quod si aliquem in ea admittere cogeretur, nusquam loquebatur nisi sermones Dei ; tantaque efficacia verborum de mundi contemptu loquebatur, ut nullus esset qui non excitaretur ab eo ad virtutis amorem. Proficiebat in dies bonus senex, decurrebatque alacriter monasticæ perfectionis palæstram, ut tandem aliquando comprehenderet. Erat ejus oratio prolixior, quam effundebat in conspectu Altissimi pro eis, a quibus aliquid passus fuerat. Hos enim tanquam suæ perfectionis instrumenta considerans, se se benigne admodum gerebat erga illos; nulla unquam in illatis sibi injuriis irati animi signa dedit.

Vix gustabat suavem solitudinis negotiationem, cum ad rerum temporalium strepitum redire Petrus compellitur. Anno siquidem 1645, Procurator Vallis Christi per generale Capitulum nominatus, vir perfecte obediens, lecta Comitiorum Ordinis Charta, statim pergit Valentiam, negotii cujusdam gratia. In hac civitate construens sibi solitudinem, ita addictus erat Instituti nostri exercitiis, ut eamdem vitæ normam servaret, ac si in cella claustrali fuisset

demoratus. Pane et aqua victitabat ter in hebdomada, cæterisque diebus tam modico utebatur cibo, ut fame suum enecaret corpus. Nihil in hoc hospitio de conventualibus exercitiis remittebat: media siquidem nocte surgebat ad confitendum nomini Domini. Sollicitus nihilominus erat multum circa injunctam sibi obedientiam, et quamvis erga se plurimum severus esset, erga monachos erat liberalis, abunde quælibet necessaria ipsis subministrans.

Anno 1647, grassante per civitatem Valentinam peste, cum cadavera defunctorum efferrentur, stabat imperterritus Petrus ad feretri occursum; lubensque se in ægrotorum obsequium devovisset, si licentiam impetrare potuisset a Superioribus. Sub id temporis gravi cruris infirmitate laborans, nullumque volens adhibere morbo remedium, ope Divi Josephi sanatus est.

Anno 1648, translato ad beatam immortalitatem Francisco Medina Protopriore Viæ Cœli, Petrus in ejus locum per Visitatorem sufficitur. Invalescens per totum regnum pestis, ex urbe Orcellensi excurrerat usque ad Cartusiam Viæ Cœli. Cujus eremi Vicarium agens Paulinus Sempre, eodem morbo correptus, statim accurrit ad sacelli lampadem, cujus oleo ulcus in nomine Sanctissimæ Trinitatis inungens, convaluit ab infirmitate. Paulo post eadem lue interiit præfatæ Cartusiæ quidam Religiosus, cui Vicarius ad pestilentiæ cautelam vestibus depositis parentans, iterum contraxit morbum ; qui cum se solum in hac eremo superstitem cerneret ac in extremis positum, vir fide ac sanctitate plenus divinum implorat Numen, quatenus dies illius protrahere dignaretur, donec aliquis adveniret qui desolato succurreret monasterio. Exauditus pro vitæ merito, in pristinam restitutus est sanitatem.

Interim, die 15 Augusti, Visitator instituit Petrum in Domus Viæ Cœli Rectorem, ut zelo zelatus obsisteret Fundatori monachis tum molesto. Superiori anno Petrus in Priorem Majoricarum expetitus a monachis, hanc dignitatem recusaverat ; verum nunc acquievit Visitatori, ratus hanc Præfecturæ sarcinam amplas sibi patientiæ segetes subministraturam. Recepto Visitatoris præscripto, postridie, nulla æstivi caloris et contagionis Viæ Cœli habita ratione, proficiscitur, duos Fratres, unum Conversum, alterum Donatum habens itineris socios. Vidit Domum rebus omnibus destitutam : ubi statim ambo præfati Fratres in morbum incidere. Ob Cartusiæ penuriam hos Petrus jussit deferri in civitatem Orcellensem ; verum ingravescente eorum ægritudine, jussit tamen per epistolas Petrus eos bono esse animo, pollicitus quod brevi convalescerent. Hujus vaticinii veritatem rei eventus comprobavit ; paucis enim post diebus ad Domum redeuntes, sua strenue munia obierunt.

Interim R. Pater D. Leo Tixier ubi

accepit Petrum a Visitatore missum fuisse Rectorem, ipsum Diplomate perhonorifico, in ejus laudes effusus, Priorem nominavit. Vix hoc titulo oneratus, jam vergebat ad finem; et quamvis omni genere virtutum exornatus esset, contremiscebat ad mortis recordationem, sciens horrendum esse incidere in manus Dei viventis. Unde cum aliquando cuidam Religioso justa persolveret, non potuit coram monachorum et sæcularium circumfusa turba continere lachrymas, memor Dei judiciorum et extremæ suæ diei, quam instare sibi præsagierat cuidam amico valedicens : se etenim ad Orcellensem urbem tanquam ad sepulchrum pergere affirmavit. Hujus religiosissimi viri mortis causa fuit lignorum hujus Cartusiæ conflagratio ; quam cum domesticis Petrus restingueret, tanto impar labori, contraxit febrim.

Per id temporis solus degebat supra memoratus Paulinus, castigatissimæ conversationis Vicarius, qui etiam alio correptus morbo decumbens, paulo post spiritum Creatori suo reddidit. Voti factus fuerat compos, dum antea lue epidemica percussus, vitæ suæ productionem a Deo petierat, quoadusque veniret aliquis qui Cartusiæ curam gereret. Absque Sacramentis ecclesiasticis decessit; nullus enim erat qui ministraret. Tuncque Petrus febris calore delirabat : ad se rediens, cum doloris sensu Vicarii mortem audivit.

Cum autem in Domo rebus omnibus destituta jaceret ægrotus, a suis translatus ad urbem Orcellensem apud quamdam neptem suam, quo facilius infirmo ferrent subsidium, his in ædibus omne recepit a suis levamen. Verum prævalente morbo, Sacro Domini Corpore tanquam viatico reficitur. Hoc futuræ gloriæ pignus magno cum pietatis, amoris et humilitatis sensu suscepit, sat intelligens supremam sibi imminere diem, brevique ad immortalem vitam se migraturum. Ita etenim sperabat, fretus Dei misericordia. Interim accersiit Ludovicum Bertrand Planez, Ordinis divi Dominici alumnum sibi amicitia conjunctissimum : jamdudum siquidem expetierat ut ipse sibi animam agenti assisteret. Res autem contigit in hunc modum.

Cum aliquando Ludovicus magnis premeretur animi angustiis, Petrum utpote vitæ sanctimonia celebrem conveniens, ab ipso perhumaniter susceptus est. Afflictum Petrus dimittens valde consolatum, multa, quæ eumdem Ludovicum spectabant, prænunciavit; adjecitque Divino Spiritu afflatus : « Utinam extrema mihi morienti Christianæ charitatis officia præstes ! » His dictis, abiit Ludovicus. Qui cum multa provinciæ loca peragrasset, tandem quorumdam negotiorum causa venit ad urbem Orcellensem. Quamvis Petrum lateret Ludovici adventus, hunc tamen advocat. Accurrit Ludovicus, memor vaticinii ; de quo factus est certior, dum intrans in cubiculum ægroti audi-

vit illum his verbis affantem : « Ne me dimittas, obsecro te, Pater, qui nunquam ex hac infirmitate convalescam. »

In dies deficiens V. Pater sacro inungitur Oleo. Statim per triduum acutissimis doloribus mortis sine ulla intermissione cruciatur. Cumque ad lectuli pedes neptem suam lachrymantem conspexisset, dixit : « Noli, dilectissima, flere ; cras enim ad Cartusiam Viæ Cœli revertar. » Cui illa : « Quomodo fiet verbum hoc, cum sis jam in extrema salutis linea constitutus ? » — « Sic, inquit, eveniet res. Conjux tuus mecum perrecturus est ; tu vero domi remanebis. » Postera die doloribus morbi mitigatis, perinde ac si in quietem concederet, placido mortis somno consopitur, in ipsa divi Brunonis Patriarchæ nostri solennitate, anno 1648, relicta haud vulgaris sanctitatis opinione.

Paratum fuit funus ea, quæ decebat Cartusiensem simplicitatem, modestia. Dominicani Orcellenses Petro parentare voluerunt in sua ecclesia ; verum in ipso divi Brunonis festo asportatum est cadaver ad Cartusiam Viæ Cœli, marito neptis Petri funus prosequente.

In ipso temporis momento, quo Petrus expiravit, se præbuit videndum cujusdam Provinciæ Cataloniæ monacho Cartusiensi. Per somnum ille Religiosus in cellula Vallis Christi esse putans, ad ostium pulsari audivit. Mox aperiens, Petrum conspexit dicentem : « Resurrexi. » Cumque monachus ad hanc visionem incredulus esset, Petrus cellam ingrediens flectensque genua, postquam in oratorio Angelica Oratione salutasset Beatissimam Virginem, statim disparuit. Eadem hora cuidam Aulæ Dei monacho per noctem in lecto quiescenti Petrus apparens cœlesti perfusus gaudio, dixit : « Jam resurrexi, jam resurrexi ; » moxque evanuit. His visionibus non refragatur tanta vitæ sanctimonia, quam Deus, ut sperare par est, æterna beatitudine remuneravit.

Hanc Vitam ex Hispano sermone D. Joachimi Alfaura in Latinum de verbo ad verbum transtulimus.

VII DIE OCTOBRIS

JOANNES TUSCUS

PRIOR MAJORIS CARTUSIÆ

Qui exemplo S. Benedicti studiis literarum præmature omissis, ad conversionem venit ; et licet modice literatus, tantum profecit in scientia Sanctorum, ut septennio toto regimen Cartusiæ tenuerit, speculum et forma gregis sui factus. Præesse incœpit anno 1102, et ad Cœlos evolavit anno 1109, Nonis

Octobris. De quo Chronicon ms. Majoris Cartusiæ agit his verbis :

« Anno Domini 1102, Frater Joannes natione Tuscus ex castro Moriana, scholasticis quidem studiis non multum exercitatus (pene quippe puer sæculo valefecit), sed in his, quæ ad religionem spectant, nulli antecessorum suorum secundus, in Prioratu Cartusiæ dicto Petro successit. Quem octo annis religiose et laudabiliter gubernando, octo Beatitudinum præmia in fine octavi suscipiens, in Cartusia, feliciter vocatus a Domino, sepulturam accepit. Colliguntur itaque, a primo Magistri Brunonis anno usque ad hujus ultimum, anni viginti quinque, qui ante obitum ejus (qui fuit Nonis Octobris) circa Nativitatem Joannis Baptistæ (hujus Ordinis primarii Institutoris et Principis) sunt completi. Tali quippe tempore a præfato Magistro Brunone cœpit eremus Cartusiæ inhabitari. »

Hactenus Chronicon ; at si ponitur obitus R. P. Joannis anno 1110, non 25 anni sed 26 erant completi, ex ipsa mente Chronici, quod inchoatum Ordinem ponit anno 1084. Itaque ponendus est obitus dicti R. P. Joannis anno 1109, Nonis Octobris.

Hæc eruditus vir venerandus D. Joannes Chauvet Scriba Ordinis annotavit in Catalogo quem contexuit RR. PP. Priorum Cartusiæ.

HUGO

ARCHIEPISCOPUS VIENNENSIS

Ex Archiepiscopo Viennensi monachus Cartusiæ Portarum, divinæ gratiæ conspicuus ; ex hac miseriarum valle translatus est ad beatam immortalitatem Nonis Octobris, ut habet vetus Necrologium Lugdunense ante annum 1272 scriptum. Hugonis etiam meminit Samuel Guichenon in Historia Sebusiana.

HELIAS

PRIOR PARISIENSIS

Vir in Ordine celebris ; ex moderamine Fontis B. Mariæ assumptus ad hujus monasterii regimen ; pietate, religione, prudentia clarus. Diem extremum clausit anno 1386, Nonis Octobris.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

GASPAR VAN DER STOCK

PRIOR CAPELLÆ

Alumnus hujus monasterii. Primum Prior Domus Delfensis ; unanimi autem monachorum Capellæ consensu in suæ Domus Priorem electus, anno 1482, commissum sibi gregem et Teutoniæ

Provinciam (cujus erat Convisitator) summa cum mansuetudine prudentiaque rexit : erat quippe vir peritissimus et pietatis admodum exemplaris. Vivere desiit anno 1495, die septima Octobris. Ejus in pauperes eximia charitas enituit annonæ tempore.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

VIII DIE OCTOBRIS

BERTRANDUS

PROTOPRIOR LEODII

Alumnus Cartusiæ Parisiensis; qui ad omnem formatus virtutem, a R. P. Elisario delegatus est, ut monasticæ Vitæ fundamenta jaceret in civitate Leodiensi. Strenue igitur in vinea Domini laborans, ad mercedem paulo post evocatur, anno 1361, die 8 Octobris, cum vix biennium exegisset in Prioratu.

Ex Catalogo Priorum Leodii.

CLAUDIUS GAULTIER

PRIOR APPONIACI

Patria Remensis, professus Montis Dei anno 1588, die 24 Februarii : postea Vicarius et Procurator hujus Cartusiæ, ex quo fit Prior Vallis profundæ; postea Prior Sellionis et Montis Dei, ac tandem Apponiaci, ubi post multa egregia opera circa temporalis substantiæ restaurationem patrata, confectus morbis, pie obiit anno 1626, 8 Octobris, non sine magno dolore eorum qui pietatem et zelum illius noverant. Erat enim vir zelantissimus, et quantum ad se valde severus, deditissimus pietati, silentii et solitudinis tenacissimus cultor, in cella mundissimus, maturus, gravis et serius in conversatione, singulari præditus charitate, summaque compassione erga infirmos. Magnum quamdiu vixit de se exhibuit patientiæ exemplum ob acriores quibus cruciabatur corporis dolores, qui tamen nullam ei in benefaciendo remoram faciebant. Erat namque ad divina Officia pervigil et alacris, in Dei laudibus continue perseverans, Cartusianæ simplicitatis amator.

Ex Chronico Montis Dei.

ÆGIDIUS COCQUET

VICARIUS PRATIMOLLIS

Remensis; vota monastica nuncupavit in Cartusia Montis Dei, anno 1581, die 21 Septembris. Sub finem bellorum civilium missus hospes ad diversas Do-

mos, novissime institutus fuit Vicarius Monialium Pratimollis : quod munus cum per multos annos exercuisset, tandem dierum et bonorum operum plenus ibidem naturæ debitum persolvit, anno 1629, 7, vel juxta alios 8 die Octobris. Fuit vir devotissimus et vitæ admodum exemplaris, et in magna existimatione apud moniales ; unde R. P. d'Affringues, nunquam ei concedere voluit, ut rediret ad Montem Dei.

Ex Chronico ms. Montis Dei.

STEPHANUS RAVIER

CONVERSUS MAJORIS CARTUSIÆ

Emisit professionem anno 1597, 2 Septembris. Benignitate ac charitate præcelluit, præsertim erga hospites, quibus sedulo et officiose ministrabat. Orationibus, vigiliis et jejuniis mirum in modum addictus, anno 1640, 8 Octobris, in Domino obdormivit.

Ex Manuscriptis.

IX DIE OCTOBRIS

JOANNES DOTZHEIM

PRIOR BASILEÆ

Devotus admodum et pius Cartusiæ Moguntinæ professus ; quam dum vitæ religiosæ exemplis illustraret, ex ejus regimine assumitur, anno 1409, ad gubernaculum monasterii Basileensis. Per novennium præfuit non minus utiliter quam prudenter. Grassante autem peste, Joannes una cum Procuratore, Sacrista et uno Converso sublatus est, anno 1418, die 9 Octobris, ingenti relicto apud omnes sui desiderio.

Ex Chronico Cartusiæ Basileensis.

Extant plures Epistolæ Henrici Kalkar quondam Prioris Coloniæ ad Joannem Dotzheim scriptæ, et similiter ejusdem Joannis ad Henricum.

PETRUS DE PODIOLO

PROTOPRIOR MAJORICARUM

Catalanus ex Helena oppido; professus primo Portæ Cœli, secundo Vallis Christi ; non incelebris legum Doctor, probitate morum ac integritate spectatissimus, religione clarus et regularis observantiæ studio. Cartusiæ Majoricarum Initiator, anno 1400, per Chartam Capituli generalis ordinatus, cum pastorali vigilantia novam hanc promovisset plantationem, post biennium electus fuit in Priorem Vallis Christi, ab anno 1402 usque ad annum 1414, quo ad suas preces instantissimas exauctoratus fuit. Verum sub annum 1417 rursum institutus Rector Vallis Christi, paulo post regimen abdicans,

residuum vitæ in silentio et solitudine transegit. Fatis fungitur die 9 Octobris, anno 1419, de Ordine nostro bene meritus.

Ex Catalogo Priorum Vallis Christi et Majoricarum.

PHILIPPUS DE BURSA

PRIOR GOSNAY

In sæculo dives ac honoratus; spretis mundi oblectamentis, jam provectus ætate transvolavit ad Christi castra, sub divi Brunonis labaro militaturus in Cartusia Gandavensi. Anno igitur 1418, nomen suum dedit, multaque alia bona contulit temporalia. Sed multo amplius eremum hanc ditavit sua conversatione religiosa. Eam ob rem Valencennarum et Gosnay Prior factus, cum ministerium suum perfecte implevisset, impar oneri regiminis ob ætatem devexam, obtenta absolutione, ad suæ professionis Domum reversus, pius senex tandem viam universæ carnis ingreditur, anno 1461, 9 Octobris.

Ex Chronico Cartusiarum Gandavi et Gosnay.

MARCELLUS GEIST

PRIOR MOGUNTIÆ

Ex gubernaculo Domus Portæ Montis, quam sapienter et utiliter per decennium rexerat, anno 1469 per Chartam Capituli generalis assumptus ad Cartusiæ Moguntinæ Prioratum; vix inierat novi muneris possessionem, cum statim evocatur ad Majorem Cartusiam his Chartæ capitularis verbis: « Et injungimus D. Marcello Priori, Domui Moguntiæ jam præfecto, ut omnibus postpositis veniat Cartusiam propter certas et honestas causas Ordinis sibi referendas. » Eodem igitur anno iter adornans ad Majorem Cartusiam, mox delegatus est ad visitandam totam Italiam cum V. P. Antonio Dellieux per id temporis Priore Avenionis et postea summo Ordinis nostri Præposito. Dumque strenue laudabiliterque suum obiret munus, non sine bonorum luctu et dolore præripitur morte nimium præmatura Marcellus noster in Cartusia Neapolis, supramemorato anno 1469, die 9 Octobris. Vir laudatissimæ conversationis, magnus Ordinis zelator, industrius in rebus agendis, doctrina et eruditione multum celebris: uti testantur Petræus in sua Bibliotheca Cartusiensi, Catalogus Priorum Moguntiæ et Portæ Montis, Chronicon ms. Majoris Cartusiæ. In Chronico Cartusiæ Capellæ vocatur *Universalis Clericus.*

FRANCISCUS MICHEL

NOVITIUS MAJORIS CARTUSIÆ

Helvetius Friburgensis ditionis; Novitius maximæ spei et pietatis singularis, obitum fore prædixit die nona Oc-

tobris anni 1639, qua rapitur in Cœlum ne mutaret intellectum malitia. Tam inculpatæ fuit vitæ, ut illum nunquam lethaliter peccavisse asseruerit V. P. Vicarius Cartusiæ.

Ex Schedis D. Hugonis Buat ad nos transmissis.

FRANCISCUS DU BESSET

PRIOR SYLVÆ BENEDICTÆ

Vir in rebus agendis peritissimus; cujus prudentia et industria summopere enituit in diversis itineribus apud Hollandos, quæ negotiorum Ordinis causa cum literis Henrici Quarti regis Francorum recommendatitiis feliciter susceperat. Ante Ordinis ingressum Canonicus erat Sancti Pauli Lugdunensis; adscriptus autem inter Cartusiæ Majoris monachos, semper omnigenæ virtutis exemplar apparuit. Effusæ fuit in omnes charitatis. Inter Primores autem Ordinis nominatus est, ob regularis observantiæ zelum. Qui cum ad decrepitam ætatem pervenisset, effectus jam plusquam octogenarius, pietatis suæ radios luculentiores emisit in obitu suo. Etenim non secus ac si mortis suæ nuncium accepisset, ita tempestive suscepit Sacramenta, ut opportune omnia circa illum acciderint. Cum cellæ suæ agnovit Corpus appropinquare Dominicum, mox e lecto surgens, in oratorio suo Angelorum Pane tanquam viatico reficitur. Et cum post Communionem multas ingeminaret preces, labenteque memoria deficeret, rogabat adstantem Vicarium, ut illi præberet juvamen in precibus recitandis. Sicque senex devotissimus invictum ab oratione non relaxans animum, tandem vitæ cursum pari virtutum laude absolvit, anno 1644, 9 Octobris, in domo Sylvæ benedictæ, ubi erat Prior et Visitator; fuit etiam Scriba, et Prior Montisrivii et Vallis bonæ.

X DIE OCTOBRIS

NATALIS DU PONCEL

PRIOR MONTIS DEI

Origine Tornacensis, professus Montis Dei; cujus virtutem et morum integritatem generale Capitulum anni 1463 solemni celebravit Elogio, cum ad parthenium Gosnayense missus est, his Chartæ verbis: « D. Natalis, Coadjutor modernus, attenta sua laudabili conversatione, de qua sumus sufficienter informati, vadat hospitatum ad Domum monialium Gosnay. » Anno autem 1465 remissus ad suæ professionis Domum, primo Vicarius, deinde iterum Coadju-

tor, tandemque Prior, anno 1481, eligitur jam triginta quinque annos habens in Ordine. Se se semper in his officiis gessit irreprehensibilem, conversatus sine querela, incedens in via mandatorum Dei. Longiori dignus ævo præripitur extinctus dysenteria, anno 1482, die 10 Octobris.

Ex Chronico Montis Dei.

JOANNES MEERHOUDT

PRIOR BRUXELLENSIS

De quo fit mentio in antiquis hujus monasterii Monumentis in hunc modum : « Anno 1550, die decima Octobris, quæ erat feria sexta, obiit venerabilis ac dilectus Pater D. Joannes Meerhoudt, quartus Prior hujus Domus ; qui fere 34 annis laudabiliter præfuit in officio Prioratus, et plusquam octodecim annis strenue gubernavit hanc Provinciam, Convisitatoris et postea Visitatoris fungens officio. Multum ampliavit Domum istam in reditibus acquirendis et præcipue in ædificiis erigendis. Quantum vero ad conversationem, fuit vir exemplaris, zelosus, maturus, probus, laudabilis vitæ, boni nominis et famæ, et (quæ anima operum ejus fuit) instructæ charitatis. Inter calculi dolores acutissimos expiravit. Post mortem incisus est, ac lapis major gallinæ ovo in eo inventus est. »

NICOLAUS WITTONUS

PROCURATOR BONONIÆ

Alias Sacrista et Procurator hujus monasterii ; vir antiquæ probitatis, gravis, prudens ; silentii, solitudinis, quietis amator ; super omnia choro assiduus. In patientia multa vixit laudabiliter. Pie moritur, anno 1677, die 10 Octobris. Professionem emiserat anno 1630, die 11 Decembris.

Ex Chronico Cartusiæ Bononiensis.

PETRUS BOUVIER

PRIOR VALLIS SANCTÆ

Calvomontanus ; professus Majoris Cartusiæ die Pentecostes, 14 Maii, anno 1617 ; institutus Prior Vallis sanctæ eodem die Pentecostes, anno 1632, ex Procuratore Calesii. Summæ pietatis et miræ patientiæ solidum exemplar, quippe qui personam patientis Job expressit. Hunc Deus voluit exercere variis doloribus corporis ac cruciatibus, ut his ad perfectionis bravium pervenire mereretur. Sæpissime visus est non sine intuentium lachrymis, officio membrorum omnium privatus, genibus, pedibus et manibus articuloso laborantibus morbo, monstri cujusdam instar, humi reptans ; et modo lectulo, modo scabello per cellæ angulos se

promovens, ut aliquid percipere posset levaminis. Fastidiosus ejus stomachus cibos salubres respuebat. Intestina, viscera torquebantur affectu cœliaco, renes et vesica dirissime calculis vexabantur, caput compungebatur aculeis dolorum et malleolis, dentes rabido dolore saucii eum fere adigebant ad insaniam; corpus denique universum tot malis cruciabatur, ut nisi Deus vires suppeditasset, Petrus iis impar fuisset sustinendis. Sciens autem quia veniret ejus hora qua transiret ad Patrem, continuam mortis habiturus memoriam, lectulo sequens distichon affixit :

Fac modo, quæ moriens velles per te acta fuisse;
Nam cito perficies, quod facis hic toties.

Vixque bimestri elapso, cum esset Lugduni, lienteria correptus, ex hujus mundi certamine eductus est in refrigerium, die 10 Octobris, anno 1639. De ejus obitu R. P. Leo Tixier sic scripsit ad monachos Vallis Sanctæ : « Sicut sancte vixerat Prior vester, sic ut Sanctus obiit jugiter orans. »

Ex Manuscriptis.

PACIFICUS GIRARD

VICARIUS DIVIONENSIS

Patria Antissiodorensis, vir re et nomine Pacificus ; emisit professionem anno 1620, 8 Decembris. Spiritum Deo reddidit anno 1667, 10 Octobris. Sacristæ munus per sexdecim annos obierat ea cum laude, ut Angelum, non hominem in ecclesia stantem ante thronum Dei videre credidisses. Hauriebat gratiæ cœlestis aquas e sanctuario; et ex familiari frequentique cum Christo congressu, in illum conscendit Vitæ monasticæ perfectionis statum, qui numeris omnibus esset absolutus. Singularis namque in eo effulsit humilitas, paupertatis amor, rerum terrenarum contemptus, modestia prorsus angelica in choro, in altari, in conversatione, mira hominis exterioris compositio, summa mansuetudo morum, in verbis et in omni sua actione semper elucens.

Tot gratiæ donis exornatus assumitur ad Vicariatum. Quo in munere, pacate, tranquille suaviterque omnia disponens, in amore simul et veneratione fuit apud omnes : unumquemque sola sua præsentia, solo suo aspectu in officio continens. Ipse enim erat lex et norma omnis observantiæ regularis, vigilans, accuratus, consolator mœrentium. Nihil iratus dixit vel fecit unquam; sed sui et linguæ fuit semper compos, sciens refrænare linguam, ac mortificare corpus suum et mentem. Multum suam professionem æstimans, hortabatur alios, tanti beneficii memores, juste, quod justum est, persequi ; aiebatque hoc esse vinculum perfectionis. Nec præterire fas est illius erga pauperes et calamitosos charitatem ; multoties siquidem sibi subtrahebat cibum, quem familiæ cuidam penuria laboranti porrigebat.

Tot virtutibus præfulgens, cum mallet latere in angulo domatis, admotus tamen fuit Coadjutoris officio. Verum sicut piscem extra aquam positum se considerans, post biennium rediit ad cellulæ quietem ; ubi renovatus spiritu mentis suæ, nihilque se hactenus fecisse arbitrans, sic cucurrit in virtutis palæstra, donec accepit feliciter bravium.

XI DIE OCTOBRIS

ALBERTUS DE CLAROMONTE

PRIOR VALLIS CHRISTI

Ex illustri prosapia de Claromontes vel Claromunts intra Orcelis mœnia, notæ urbis in regno Valentiæ, natus. Postquam in utroque Jure Doctoris lauream adeptus fuisset, anno 1480, cum quibusdam amicis suis Romam petiit, ibidem commodam nacturus fortunam. In Urbe per tres annos et aliquot menses versans, nonnullis Cardinalibus in viros eruditos propensis, præsertim autem Cardinali Roderico de Borja gentili suo innotuit. Cumque per id temporis cerneret Romam militibus utiliorem quam literatis, per epistolam certior factus de periculosa suæ matris infirmitate, revertitur in Hispaniam : ubi aliquamdiu cum suis moratus, tandem habitum Religionis induit anno 1496, die 3 Maii, Ludovico Mercader tunc Vallis Christi Priorem agente; sub cujus regimine anno subsequente, die 4 præfati mensis, nuncupavit vota professionis.

Vix autem in Religione pedem fixit, cum eximia morum honestate et summa monasticæ disciplinæ observantia cœpit lucere : quapropter variis fuit admotus officiis. Anno etenim 1509 a monachis Portæ Cœli electus fuit in Priorem, quibus tum in spirituali tum in temporali moderamine multum profuit usque ad annum 1513, quo fuit in Ordinem redactus. Postea sub initium anni 1517, unanimi Religiosorum consensu in Vallis Christi Superiorem ordinatur.

Dum anno 1519 clavum Vallis Christi teneret Albertus, magna seditio Valentiæ facta est ob sceleratum quemdam nefandis criminibus contaminatum, quem debitis suppliciis mulctari postulabant. Hic populi zelus immortalem Valentinis peperisset gloriam, si ea, qua par erat, prudentia quæstionem in criminosi caput habuissent. Verum intestinum exoritur bellum, quo de toto regno valde periclitatum est, eo quod populus crederet quod Nobiles jus et fas omne delerent. Conflatus igitur exercitus ita fortiter aggressus est Nobilium ordinem, ut, quo tuto se reciperent, eis deesset locus.

Adfuit interim, anno 1520, Cardinalis Adrianus antistes Dertusensis (qui postea ad supremam evectus est Ecclesiæ dignitatem), qui nomine Caroli V Imperatoris seditionem sedaret, civesque obligaret sacramento. Convenit Albertus Adrianum dicturus in civitate Valentina fidem et officium clientare. Cardinalis aliquamdiu cum eo collocutus, tantam de ipsius doctrina, probitate, prudentiaque concepit existimationem, ut quamdiu Valentiæ moratus est, Albertum in dubiis et maximi momenti negotiis sibi adhibuerit in consilium. Revertens paulo post in Castellam, rogavit Albertum ut se præberet comitem itineris, pollicitus ei debitos suis meritis honores. Cui se excusatum habens, lepide dixit : « Illustrissime Præsul, si in publici status consiliis vestræ Dominationi præstare possem obsequium, libenter navarem operam; sed cum in bellicis rebus, ut opinor, indigeat consiliario, et in his me imperitum probe intelligam, ignoscat mihi si me recipiam ad portum cellulæ tutissimum. »

Decurrebat annus 1522, cum, die 26 Januarii, Adrianus Cardinalis degens in Hispania Pontifex Romanus denunciatus est. Hanc dignitatem in urbe de Victoria invitus suscepit ex innata animi humilitate, qua mire exornatus erat. Ipsum juxta partes suas Albertus convenit, novæ dignitati gratulaturus. Excepit illum Adrianus summa cum animi benevolentia, jussitque ut nulla interposita mora Curiam Romanam sequeretur, consilia daturus in rebus ecclesiasticis. Summi Antistitis mandatis fuit obtemperandum. Profectus itaque cum eo ex urbe Victoria ad urbem Burgensem, ex tam ingenti viæ diario multum fatigatus, extremum contraxit morbum. Interim animo corpus infirmum fulciens, Vallisoletum venit; ubi deficientibus viribus, rogavit Supremum Pontificem, ut cum ejus licentia gradum ibi sisteret, morbo, ne iret ulterius, imperante. Acerbus fuit Adriano iste nuncius. Qui sollicitus valde de tanto viro, misit Prælatos et medicos, qui curam illius agerent. Ferunt Adrianum bis secreto visitasse Albertum ægrotantem. Pergens in Italiam mandavit, ut ubi primum Albertus convalesceret, peteret Urbem.

Ingravescente interim morbo, crebrisque, quibus per vitæ cursum laboraverat, infirmitatibus attritus, tandem pie spiritum Deo reddidit, anno 1522, die 11 Octobris, ætatis 66. Perrexerat in Hungariam cum Ludovico Mercader. Reliquit apud omnes Albertus, præsertim apud Pontificem Maximum, sui desiderium ingens ob præclaras animi sui dotes : quæ vias ei stravissent ad dignitates ecclesiasticas, ni Deus eum ad se rapuisset, ne rerum sæcularium sollicitudo mutaret illius mentem.

Ex Annalibus Cartusiæ Vallis Christi et ex Historia ms. D. Joachim Alfaura.

JOANNES DE GROOTE

VICARIUS BRUXELLENSIS

Patria Bruxellensis; Vitam monasticam professus anno 1469, die 8 Aprilis, Infirmarii, Procuratoris ac Vicarii munia diu obivit magna cum laude : vir quippe erat religiosus et exemplaris, cujus patientiam Deus multis probavit infirmitatibus. Decessit fere nonagenarius, anno 1533, 11 Octobris, in cella quam Cancellarius Brabantiæ frater ejus dotaverat.

Ex Manuscriptis.

ANDREAS DE LA VEGA

VICARIUS GRANATENSIS

Ex oppido de Noblejas; professionem emisit in Domo de Paulari, anno 1591, die 8 Novembris. Post annos sex Cartusiæ Granatensis factus hospes, aliquamdiu ibidem vixit parum suæ perfectionis memor, multumque in Dei famulatu tepidus. Verum qui inutilis hactenus terram Religionis occupaverat, divina irrigante gratia, fecit dignos pœnitentiæ fructus. Edomandi siquidem corporis et animi rebellantes motiones comprimendi studiosus impense, certis quibusdam hebdomadæ diebus cilicium asperrimum in modum tunicæ prolixum usque ad genua gestabat; cibi potusque parcus admodum, duos vel tres dies nonnunquam transigebat contentus siccis racemis aut fructibus terræ. His adjiciebat alias mortificationes (quæ modum ac vires humanas superare videbantur) quibus carnem spiritui subjiceret. Hujus stimulos aliquando sentiens, extincturus ardorem libidinis se se immersit in dolio aquæ, quod in suæ cellulæ horto erat defossum.

Seduli more mercatoris, negotiationem spiritualem cum summo vitiorum odio virtutisque amore singulari sic colebat, ut semper se se extenderet ad anteriora; cumque recogitaret se antea quæ retro erant aspexisse tamdiu, totis animæ medullis satagebat suam operari salutem. Atque ideo strictioris custos solitudinis et silentii, neminem visebat et a nemine visebatur, et in secretiori cellulæ loco inclusus, ibidem vacabat jugiter orationi; clausisque fenestris, sola cœlesti luce per contemplationem irradiabatur. Unde rerum terrenarum perfectus contemptor, sola Christi paupertate dives erat, aliunde locupletissimus virtutibus religiosis. Diu Procuratoris et Vicarii officio functus, earum fragrantiam sparsit apud primarios viros. Tantæ erat existimationis et auctoritatis, ut sæculares Andream tanquam oraculum consulerent; qui non solum plebem sibi commissam, sed et extraneos sanctis ac salutaribus monitis provocabat ad pietatis amorem. Utque multis prodesset facilius, librum *Practicam spiritualem* inscriptum in lucem edidit, eo cum omnium plausu, ut sæpe fuerit recusus.

Demum contractis ex nimia vitæ asperitate variis morbis, virum admirabili æqualitate animi, sui semper compotem, Sacramentis devotissime susceptis, et accuratissima munitum præparatione tandem mors excepit, anno 1618, die 11 Octobris, dum Granatæ Vicarium ageret. Defuncti supellectilem, cilicia, disciplinas et alia hujusmodi pœnitentiæ instrumenta sæculares petierunt, in sanctitatis illius apud omnes comprobatæ argumentum.

MICHAEL DE PALACIOS

PRIOR GRANATÆ.

Castellanus, ex oppido de Carabaña juxta Complutum de Henarez; fuit Religiosus Ordinis militaris S. Jacobi in cœnobio de Velez, hujus Ordinis nobilissimi et illustrissimi Archimonasterio, ac professor in Collegio quod hæc familia possidet in Salmanticensi Academia. Magnæ eruditionis ac prudentiæ vir Michael ambiebat Prioratum hujus gymnasii; cumque ad hanc dignitatem excelsam alium vidisset evectum, spe frustratus, sæculo valedixit. Anno ætatis 38, admittitur a Cartusianis de Paulari: præter eximias animi dotes, cantandi peritissimus et resonanti instructus voce. Anno 1615, die 29 Septembris, emisit professionem post exactum ingenti cum spiritus fervore tyrocinium.

Anno 1621 a monachis electus in Cartusiæ Granatensis Moderatorem, satagens hanc excutere sarcinam, coactus est oneri humeros subjicere, his Comitiorum anni 1622 verbis : « Domno Michaeli de Palacios, professo Domus de Paulari, super annum in Priorem Domus Granatensis a Conventualibus ejusdem electo et a R. Patre confirmato, non fit *misericordia;* quem hortamur ut alacriter ferat crucem sibi impositam, quam obedientia suavem reddet. » His non acquiescens, post instantissimas preces a Capitulo anni 1623 suam obtinuit exauctorationem. Utque liber imposterum et expeditus viveret ab omni munere, impetravit a summo Ordinis nostri Præside diploma quo posset recusare præfecturas. Hoc munitus antidoto noluit oblatum sibi suscipere Xeritii Prioratum; atque ideo nusquam suffragantes sibi habuit Cartusienses de Paulari, probe conscios, quod Michael hujus cœnobii regimen respueret, quamvis nihilominus ibidem diu egerit Vicarium.

In Theologia Sacrorum Codicum interprete, contentiosa, morali et mystica versatissimus, magnam sibi apud Castellanos conciliaverat existimationem. Zelator etiam maximus disciplinæ monasticæ, veritus ne in alios plus justo esset rigidior, ideo se minus idoneum ad regimen judicaverat; quamvis, etsi nomen Prioris in Cartusia de Paulari ei defuerit, tamen jure merito hoc monasterium gubernasse censendus sit : quippe qui erat velut oraculum, cujus consilia et ipsi Visitatores veneraban-

tur, nihilque momenti agebant, nisi rebus ad Michaelem prius relatis.

Voce canora choro perutilis, curabat divinum cum gravitate et reverentia persolvi Officium, ad quod alios suo provocabat exemplo fractus licet senio et infirmitatibus, in quibus commendatam fecit omnibus suam tolerantiam. Sub extremam enim ætatem chiragra, podagra, torminibus et paralysi affectus fuit, et biennium ante mortem orbatus oculis. At diutius insomnia præbuit ei patientiæ materiam, qua supramodum debilitatus, quamdiu potuit, se se semper reptavit ad ecclesiam. Etiam cæcus nullo ductore utebatur: campanæ siquidem pulsum antevertens, solus pergebat palpando claustri parietes. His tandem attritus, sancte decessit, anno 1677, in Domo de Paulari, die 11 Octobris, annum agens ætatis septuagesimum septimum.

XII DIE OCTOBRIS

JOANNES BARENSIS

PRIOR SEIZ

Dictus etiam Jannottus, patria Barensis; Trisulti Prior, vir nominatissimus. Tempore schismatis ab Urbano VI, cui optime cognitus erat, accersitus, generalis totius Ordinis Cartusiensis Visitator Apostolica authoritate constituitur, amplissimis in eamdem rem datis ad eum Literis, quarum ea est sententia:

« Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni Priori monasterii Sancti Bartholomæi de Trisulto, per Priorem soliti gubernari, Cartusiensis Ordinis, Alatrinæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Intenti Pastoris sollicitudo requirit, ut gregis sibi crediti sollicitam curam gerat, et illum a quibuscumque noxiis et adversis vigili diligentia studeat præservare. Cum itaque nuper ad nostrum, non sine mentis amaritudine, auditum pervenerit, quod in quibusdam monasteriis et Domibus sive locis tui Cartusiensis Ordinis sunt nonnulli, qui forsan aliquorum fallacibus et dolosis suggestionibus illecti, perditionis alumno Roberto, olim Basilicæ 12 Apostolorum presbytero cardinali, nunc Antipapæ qui se Clementem Papam ausu temerario nominare præsumit, adhærent et favent (quod tamen non credimus); et tam propter hoc, quam etiam ex aliis diversis causis verisimiliter dubitatur, quod in dicto Ordine schismata et alia diversa mala et scandala debeant exoriri, nisi super hoc per Apostolicæ Sedis providentiam de alicujus debitæ provisionis remedio succurratur: Nos, qui ad dictum Ordinem gerimus spe-

cialem dilectionis affectum, cupientes, prout ad nostrum spectat officium, super his et aliis eidem Ordini pro ipsius salubri statu necessariis salubriter providere; ac de circumspectionis industria et prudentiæ magnitudine ac aliis multiplicium virtutum meritis, quibus personam tuam familiari experientia novimus ab Altissimo insignitam, gerentes in Domino fiduciam specialem; te Visitatorem generalem omnium et singulorum monasteriorum et Domorum ac locorum dicti Ordinis ubicumque consistentium, authoritate Apostolica, tenore præsentium constituimus, ac etiam deputamus.

« Tibi, visitandi semel et pluries, quoties tibi videtur, omnia et singula monasteria, Domos et loca prædicta tam in capitibus quam in membris; ac inibi inquirendi, puniendi, corrigendi ac reformandi quæcumque inquisitionis, punitionis, correctionis aut reformationis officio videris indigere; ac assumendi tibi ad hujusmodi Visitationis officium exercendum aliquem Priorem, seu monachum dicti Ordinis, de quo tibi videbitur; illumque semel et pluries, quoties tibi placuerit, mutandi, et loco ejus alium assumendi. Ac insuper Priores monasteriorum, Domorum ac locorum prædictorum ab eorum officiis absolvendi, et alios loco ipsorum ponendi et ordinandi; necnon monachos, et personas dicti Ordinis quascumque delinquentes puniendi, incarcerandi, et circa reformationem dicti Ordinis ac monasteriorum, Domorum ac locorum ipsius, omnia et singula alia facienda, gerenda et exequenda, quæ generale Capitulum dicti Ordinis, secundum ipsius Ordinis Statuta, facere et exercere et exequi potest. Necnon ubi et quando tibi videbitur, privatum Capitulum congregandi et celebrandi, et in eo ordinandi et instituendi, corrigendi et reformandi, quæ correctionis et reformationis officio videris indigere. Petendi quoque ac levandi et exigendi a singulis monasteriis, Domibus et locis prædictis, quæ visitabis, expensas congruas pro te et socio ac familiaribus ac equitaturis tuis, juxta modum ac formam secundum quam ordinarii Visitatores per dictum Ordinem deputati pro tempore consueverunt recipere.

« Et in casu, quo propter infirmitatem seu aliam legitimam causam hujusmodi Visitationes per te ipsum principaliter facere nequires, aliam personam dicti Ordinis ad hoc idoneam loco tui ad hujusmodi Visitationis officium deputandi; absolvendi quoque omnes et singulas personas dicti Ordinis a quibuscumque sententiis, quas propter adhæsionem per eos dicto Roberto Antipapæ factam incurrissent, dummodo personæ ipsæ errorem suum recognoscentes, hoc humiliter petant et hujusmodi errorem abjurent, injunctis eis pœnitentia salutari et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Contradictores insuper authoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi;

non obstantibus quibuscumque exemptionibus ac privilegiis, indulgentiis ac Literis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existentibus, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta...... impediri valeat quomodolibet vel deferri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus esset in præsentibus specialis et expressa mentio facienda, quæ quoad hoc aliquibus nolumus aliquatenus suffragari; seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per Literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de Indulto hujusmodi mentionem, facultatem plenam et liberam tenore præsentium concedentes. Datum Romæ, apud S. Petrum, 10 Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno secundo. »

Hoc actum est anno 1379. Quo tempore, R. P. Guillelmus Raynaldi Prior Cartusiæ Majoris cum sequacibus, videlicet Gallis et Hispanis, adhærebat Roberto Antipapæ Clementi VII, et anathema in omnes pronunciari curavit qui Urbano VI faverent.

Interim Joannes Barensis Capitulum privatum, anno 1380, die penultima Maii, apud Cartusiam Florentinam celebrandum indixit; ubi Urbani studiosiores promiserunt obedientiam dicto Joanni, quasi legitimo Vicario generali. Alius paulo post Conventus Patrum Italorum privatim fuit coactus Romæ, 11 Kalendas Augusti, jussu ejusdem Urbani supremi Sacrorum Antistitis; cui cum ex ejusdem mandato Nicolaus Cardinalis Carracciolus nostri nominis amantissimus præfuisset ad majori cum authoritate firmanda quæ in eo sancirentur, primum intorta in Italos Cartusienses a Guillelmo Raynaldi anathemata irrita declaravit. Secundo, annuente Urbano, Jannottus, ut ampliori cum potestate rem Cartusianam juvaret, Cartusiæ Neapolitanæ administrandæ sibi munus desumpsit, Joanne Grillo Salernitano, ejusdem Cartusiæ antea Moderatore, loco graduque deturbato, quod Clementis VII Pseudopontificis partes tueretur.

Anno 1382, sæviente semper schismate, Urbanus jussit Comitia generalia Ordinis Romæ haberi feria secunda Paschatis, ad quæ non modo Priores omnes ac Rectores, verum etiam Vicarii Domorum omnium convenirent, qui ex Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Galliæ Belgicæ Provinciis stipendia faciebant sub Cartusiana militia, eodem Romano imperante Pontifice : quibus in Comitiis, quid consentaneum lævis hisce temporibus quidve profuturum esset totius Ordinis bono, mutua inter se inita animorum conspiratione parique studio voluntatum, ex authoritate ejusdem Pontificis firmo stabilique decreto sancirentur.

Primo igitur reprobarunt omnia Capitula Majoris Cartusiæ his verbis : « Damnamus et improbamus omnia

et singula Capitula tam generalia quam privata in Domo Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, facta, ab anno videlicet 1379, vel ibidem de cætero facienda, durante dumtaxat schismate, tanquam ipso jure nulla et hæretica pravitate infecta. »

Postea exauctorato Guillelmo Raynaldo, summum Ordinis Præfectum renunciarunt Joannem Barensem. Talis est autem Chartæ tenor :

« Domnum Guillelmum, Priorem olim Domus Cartusiæ, denunciamus esse et fuisse hæreticum et schismaticum, et per consequens excommunicatum et inhabilem ad omnia officia Ordinis; et nihilominus ipsum absolvimus ab officio dicti Prioratus, et privamus ipsum omni officio et beneficio Ordinis in æternum. Et nos, totum Capitulum nemine discrepante, Dominicæ inspirationis instinctu, pure, canonice ac libere, absque alicujus macula pravitatis, eligimus et præficimus in Priorem et Domnum Majoris Cartusiæ D. Joannem de Baro, Priorem S. Martini prope Neapolim, Ordinis nostri Cartusiensis; cui Priori Cartusiæ committimus potestatem et damus generalem et specialem, debitam et gratiosam cum omnibus et singulis licentiis, quam et quas hactenus Priores Cartusiæ habere consueverunt et habuerunt, ipsisque in Ordine usi sunt. Et præcipimus omnibus Prioribus præsentibus et absentibus, necnon Rectoribus, Vicariis et Priorissis totius Ordinis et aliis personis dicti Ordinis, quatenus pro se et eorum Conventibus eidem Priori Cartusiæ obedientiam promittant.

« Item omnes et singulos Priores et cæteras personas nostri Ordinis prædicti denunciamus excommunicatos et privatos omni officio et beneficio Ordinis, qui dicto, facto vel verbo, per se seu per literas vel interpositam personam, in aliquo participabunt cum Capitulo generali vel privato in Domo Cartusiæ, ut dictum est, de cætero celebrando durante schismate, vel cum supradicto Guillelmo, vel ab eisdem receperint gratuito literas, Visitatores, nuncios, vel beneficia tam temporalia quam spiritualia, etc.

« Item quia, nostris peccatis exigentibus, multi ex plebe Christiana labuntur errore, et, quod nefas est dicere, veritate relicta, Roberto Gebennensi Antipapæ et præjudicialiter credunt et pertinaciter inhærent : ideo, nos humiles servi Jesu Christi et fideles sanctæ Matris Ecclesiæ, sedente nostro Capitulo generali, determinamus, definimus, credimus et confitemur Sanctissimum in Christo Patrem et Dominum Urbanum, divina Providentia Papam VI, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ verum ac Summum Pontificem, ab omnibus tunc Cardinalibus pure et voluntarie electum, juridice inthronizatum et publice coronatum; cujus ordinationibus et præceptis, voluntarie nos et nostrum Ordinem, sicut de jure est, submittimus et inclinamus, tanquam Christi ve-

ro Vicario et ejusdem dictæ Matris Ecclesiæ Summo Pontifici. Omnes autem personas nostri Ordinis cujuscumque gradus, sexus vel conditionis existant, qui cum eodem Domino nostro Summo Pontifice fideliter non tenerent, vel viam perditionis, indifferentiæ scilicet et neutralitatis sequerentur, ex nunc, prout ex tunc, omni Ordinis officio et beneficio decernimus esse privandos. »

Joannes Generalis electus mox adiit Pontificem, a quo amplexatus est ac novis adauctus privilegiis. Videns autem Cartusiam Florentinam quasi in umbilico Domorum suæ Obedientiæ constitutam, eam sibi elegit in sedem. Anno 1383, celebratum fuit generale Capitulum in Cartusia Maurbacensi; anno 1384, fuit in Cartusia Bononiensi convocatum; anno quoque 1385, fuit assignatum Florentiæ. Applaudebat admodum Urbanus faventibus sibi Cartusianis ; et cum sciret omnes pro Comitiorum indictione pati penuriam, concessit iis congearium quingentorum florenorum annuorum ad id opus, quamdiu schismatis insania duraret. Anno 1389, generale Capitulum habitum est Florentiæ, ubi decretum de cætero ibi habenda Comitia, ubi Generalis Prior degeret. Attamen cum post obitum Urbani creatus fuisset Bonifacius IX, decreverunt habere Comitia generalia in Domo Montelli, delectique sunt Patres qui obedientiam præstarent novo Pontifici.

Anno 1391 coactus fuit Conventus generalis in Domo Florentiæ (ut patet ex Vita B. Stephani Senensis, lib. 2, cap. 12, quamvis in Charta Capituli generalis anni 1390 indictus fuerat apud Cartusiam Montelli), ubi sedem R. Patri assignavere Primores Ordinis in Domo Seiz; ut videre est in Charta ejusdem anni quæ sic loquitur : « Et quia præfatus Pater noster, Domnus Cartusiæ, ad præsens in Domo Florentiæ nostri Ordinis commode residere non valet propter guerrarum discrimina, quæ totam pene Italiam destruunt et confundunt, quapropter negotia emergentia super annum celeriter nequeunt expediri, quia personis Ordinis ad dictam Domum Florentiæ facile non patet accessus : ideo ordinamus, quod præfatus Domnus Cartusiæ de cætero resideat in Domo S. Joannis in Seiz ejusdem nostri Ordinis; tradentes ei dictam Domum loco Domus Cartusiæ, cum plenaria administratione spiritualium ac temporalium omnium Domus præfatæ. Justum enim esse decernimus, ut in eadem Domo Prior Cartusiæ præsideat, quæ, post Domum Cartusiæ schismaticam, inter alias Domos Ordinis fideles obtinet ex suæ fundationis antiquitate primatum. »

Qui Joannes vixdum in Seizensem Cartusiam pedem intulerat, cum insanabili repente oppressus morbo, haud ita multo post ex eo decessit, die 12 Octobris, supra dicto anno 1391. Fuit vero vir prudens, religiosus et summæ amabilitatis, dignus qui tempore pacis

supra multa constitueretur. Neque vero virtus ejus in aliquo fuit labefactata ob ejus Generalatum, cum ad ipsum subeundum authoritate legitimi Pontificis compulsus sit.

Ex Vita B. Stephani Senensis, et ex Chartis capitularibus.

ANONYMUS

REDDITUS CLERICUS

De eo mentionem facit Ganneronius noster in suo Martyrologio Cartusiensi ad hanc diem, cujus Historiam excerpsit ex Dorlandi Chronico, lib. 5, cap. 22; cujus verba hic subjicio :

« Legi similiter ante nostra tempora fuisse receptum ad Ordinem nostrum bigamum quemdam, arte medicum : cujus tanta in ea arte industria fuit, ut omnes medici mirarentur. Hic factus Redditus Clericus, magnum de se præbuit cunctis humilitatis et devotionis exemplum, utpote pius, alacer, mitis, ac supra modum obsequiosus : omnibus omnia factus, ut lucrifaceret universos. Hic post decursam vitæ suæ laudabilem metam, suavi est tandem et benigna morte defunctus. Instante namque tempore quo anniversarius ejus obitus dies occurrebat, visus est candidissima ac mirum in modum splendenti veste contectus astare ante cellam, in qua morari consueverat, lætus, hilaris et serena facie promicans : qui et lucernam ardentem gestabat in manibus, ostendens se in illorum numerum deputatum, quibus Salvator dicit : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris*. Hoc itaque ostendit in signo, quod ante gessit in opere : quippe qui carnis delicias et spurcitiam mundi prius ipse contempserat, ut posset divino lumine resplendere. »

Hactenus Dorlandus. Porro Anonymus ille vivebat ante annum 1500.

JOANNES MOROCOURT

PRIOR VALENCENNARUM

Patria Tornacensis ; professus Valencennarum, ubi Priorem et Procuratorem egit. In officio Vicarii ejusdem Domus diem extremum clausit, anno 1547 (non autem 1548, uti refert Petræus), quarto Idus Octobris. Non minus pietate et virtute, quam doctrina ac eruditione clarus.

Petræus in Bibliotheca Cartusiana (ubi vocatur Macocurtius). Catalogus Priorum Valencennarum.

NICOLAUS BONDUEL

VICARIUS MONTIS MERULÆ

Hujus eremi alumnus ; omni virtutum genere decoratus ad Cœlos evolavit, anno 1609, die 12 Octobris. Cujus cor-

pus post decem vel duodecim annos ab ejus obitu repertum est integrum, absque ulla corruptionis notula vel putredinis, in humido cœmeterio seu potius palude Montis merulæ. Ex quo etiam vividus sanguis effluxit ex imprudentis fossoris percussione.

Ex Schedis D. Buat ad nos transmissis.

JOANNA DE CORNAILLE

PRIORISSA GOSNAY

Ex pago d'Aubercourt juxta Hesdinum, nata ex viro Nobili, qui ejusdem urbis fuit regius Judex. A teneris annis ab Hesdini Decano ad omnem Christianam fuit efformata pietatem, adeo ut, cum devotionem cum lacte suxisset, vix annum ætatis quartum decimum decurrens, Divino se famulatui addixerit, anno videlicet 1612. Ita se religiose gessit et exemplariter, ut V. P. Bruno Doutelair, tunc Prior monachorum Gosnay, haud vulgarem in ipsa prudentiam animadvertens, præsagierit illam aliquando monasterii regimen habituram.

In dies igitur Joanna proficiens, diversis admovetur muniis : per quatuordecim annos Subpriorissam, per viginti Priorissam egit. Ingenti zelo zelabatur pro divino Officio, quatenus ea, qua par erat, gravitate modestiaque celebraretur. Summopere venerabatur res sacras et Reliquias Sanctorum, quorum tutelam et opem experta est in corporalibus simul et spiritualibus necessitatibus. Correpta pleuritide, in extrema salutis linea constituta erat, cum Anna Mouret ejusdem cœnobii monialis ferventius pro agonizantis incolumitate Deum exorans, suam illi ultro vitam obtulit in sacrificium, modo Joanna convalesceret. Ægrota interim in pristinam restituta sanitatem, Anna paulo post, ut alibi diximus (ad diem 24 Martii), animam efflavit.

Summa devotione ferebatur in divum Franciscum Xaverium, cujus orationibus multa a Deo impetrasse credebat. Accuratissima Statutorum observatrix, commissas sibi moniales mira industria instituebat ad eorum praxim; iis singulari morum honestate, benignitate, modestiaque semper præluxit. Quamvis autem multum addicta esset spiritualibus exercitiis, in temporalium tamen negotiorum administratione magna pollebat industria. Multam in adversis et in infirmitatibus patientiam exhibuit, quamdiu vixit. Tandem ad Sponsum migrat, anno 1672, 12 Octobris.

Ex Manuscriptis.

XIII DIE OCTOBRIS

JACOBUS JOANNES PERELLO

SACRISTA SCALÆ DEI

Natione Valentinus; ad vota Cartusiensis Instituti admissus, anno 1574, ipsa sancti Josephi solemnitate, multimodis divinæ gratiæ donis exornatus fuit. Singulariter erga Augustissimum Altaris Sacramentum affectus, illud magna quadam tractabat majestate, miraque cum devotione Canonicas Horas, stans ante hunc Divini amoris thronum, recitabat. Vita fungitur agens Sacristæ officium, anno 1584.

Ex Libro fundationum Cartusiarum Hispaniæ Josephi de Valles.

MARCUS CADEL

MONACHUS GOSNAY

Religiosus miræ mansuetudinis, candoris et simplicitatis; ob eximias animi dotes missus ad Cartusiam monialium Gosnay, per triginta annos earum excepit Confessiones. Ita se hujus parthenii obsequio mancipaverat diu noctuque, ut a cibo somnoque sæpe sæpius se abstinens, has divi Pauli voces sibi potuisset vendicare: *Impendam me et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Quicquid autem ei temporis supererat, id totum consumebat in libris describendis et in aliis manuum operibus ad usum monialium. Redux ad Domum suæ professionis, cellulæ custos assiduus, nullum benemerendi de monialibus faciebat finem. Licet fractus senio et attritus morbo articulari, semper tamen sereno vultu et hilari erat secundum faciem Sanctorum. Indulserant ei Superiores spatiari per Domus hortos ad ejus libitum; verum pius senex rarissime foras exibat. Quod si interdum hac utebatur licentia, reptabat se se intra monasterii ambitum ea cum modestia et tam arcta silentii custodia, ut omnes in sui raperet venerationem. Ex hac calamitosa vita migravit ad meliorem, die 13 Octobris, anno 1629.

Ex Schedis hujus Cartusiæ ad nos transmissis.

OCTAVÆ S. P. N. BRUNONIS ET DEDICATIO ANTIQUÆ ECCLESIÆ MAJORIS CARTUSIÆ

Quarum institutio facta fuit anno 1633 per generale Capitulum, a quo

tale Decretum emanavit : « Ordinamus celebrari deinceps Festum S. P. N. Brunonis cum Octavis festivalibus et Officio proprio ipsius quamprimum imprimendo. » Hac etiam die Dedicatio antiquæ ecclesiæ Majoris Cartusiæ a S. Hugone Gratianopolitano facta celebratur. Hæc prima Patrum nostrorum ecclesia nunc est Capitulum Majoris Cartusiæ; ibique a primis Vesperis usque ad secundas, Sacrista cum duobus monachis Officium Dedicationis singulis annis submissa voce persolvit.

XIV DIE OCTOBRIS

GERARDUS VAN SCHEEDAM seu STREDAMIUS

PRIOR SYLVÆ S. MARTINI

In Scripturis Sacris studiosissimus, egregie doctus longa exercitatione, venerandus religione, prudentia et auctoritate, foris clarus et domi admirandus; his elogiis celebratur a Trithemio, Bostio, Sutore, Petræo, Raissio et aliis. Ob tam præstantes animi dotes admotus regimini Domorum Hollandiæ, Leodii et Sylvæ S. Martini, tandem vitæ cursum absolvit anno 1442, die 14 Octobris. Sepultus jacet in choro Sylvæ S. Martini sub lectorio.

Ita testatur in Collectaneis D. Petrus du Wal, professus Cartusiæ Bruxellensis. Swertius etiam Gerardi meminit in suis Athenæis Belgicis.

BERNARDUS XARA

VICARIUS DE PAULARI

De quo Manuscriptum hujus Domus agit his verbis : « V. P. D. Bernardus Xara multis clarus vixit apud nos. Hic vir Dei fuit virtutis operibus deditus excellensque in multis, in profunda humilitate suique contemptu; in continua diu noctuque oratione, diem ipse præveniens, ad Deum pro sua clamans ecclesia : in qua sensus ita compescere didicerat, ut nec verbum infructuosum ab ejus ore audiretur, nec oblivio Dei et contemplationis in eo notari potuerit. Carnem præter alia catenulis ferreis verberasse, ipsæ testatæ sunt, addita somni parcitate, quo perfectior evaderet. In cibo autem et potu adeo parcus, ut potuerit certum jurare, nulla die excessisse metam cui continua abstinentia corpus erat assuefactum. Et quod laudabilius est, modo Procuratoris munere obligatus, modo Vicarii et Præsi-

dentis Domus curæ intendens, æqualiter exercitia prædicta est prosecutus : adeo ejus animus Deo erat deditus, ut separari ab ejus dulci continuaque memoria non posse videretur. Apud nos viginti quatuor annos transegit. Angelicis vero choris sociatum esse credimus anno 1611, quo fatis fungitur, die quarta decima mensis Octobris. »

XV DIE OCTOBRIS

MARIA DE VOS

PRIORISSA BRUGIS

Filia domini Balduini de Vos, unius ex Fundatoribus hujus parthenii, annos tantum quatuor nata monasterium ingressa est; postea facta grandior, dum sacro Religionis habitu donaretur, erat ibidem mensa referta donariis argenteis. Anno 1403 electa in Priorissam, multum res promovit domesticas, præluxitque moribus pacificis et conversatione modesta, factaque sibi commissi gregis forma. Dives meritis, spiritum Christo Sponso suo reddidit, anno 1418, die 15 Octobris.

Ex Catalogo Priorissarum hujus Cartusiæ.

REYNERUS

MONACHUS TREVIRENSIS

In sæculo Nobilis; in Ordine nobilior, quod multis virtutibus effulserit. Mortem, peste correptus, lætus excepit, anno 1439, die 15 Octobris, vel 30, juxta quoddam Manuscriptum hujus Domus.

JOANNES DE UNGOR

PRIOR PORTÆ MONTIS

Dictus etiam de Hungaria, professus Argentinensis ; anno 1419 petitus in Priorem ab hujus eremi ascetis, hos non minus sapienter quam paterne rexit per triginta quatuor annos. Abdicationem a Prioratu anno 1449 impetraverat a Comitiis generalibus per hæc Chartæ verba : « Priori Domus Sanctæ Paulæ in Porta Montis prope Bernam, ob magnam et affectuosam sui instantiam, qua se scribit cura et sollicito regimine temporalium dictæ Domus hoc perplexo tempore nimium prægravari, fit *misericordia.* » Verum Pastor bonus precibus suarum ovium devictus, rursum humeros oneri subjiciens, in officio perseveravit usque ad mortem, quæ contigit anno 1453, die 15 Octobris, relicto apud omnes ingenti sui desiderio.

Ex Catalogo Priorum hujus Domus.

DAMIANUS FESTINUS

PRIOR PADULÆ

Professus Papiæ; cui præerat anno 1574, si fidem adhibeamus Catalogo Priorum Papiæ, quem contexuit D. Severus a Neapoli; sed in Chartis capitularibus et in Manuscriptis hujus Cartusiæ Papiensis, dicitur tantum Prior Domorum Parmæ, Lucæ, Ferrariæ, Mantuæ, Mediolani et Padulæ. Non minus pietate, morum innocentia, zelo Religionis et observantiæ regularis clarus, quam eruditione, cujus extant Monumenta in monasterio Papiensi. Fuit frater D. Cosmæ Festini, monachi nostri Ordinis, vitæ sanctimonia celebris; functusque officio Visitatoris utriusque Lombardiæ. Sed quia acceptus erat Deo, necesse fuit ut tentatio probaret illum. Variis etenim pressuris examinatus, diuturnoque consummatus Vitæ monasticæ martyrio, vivere desiit octogenarius, anno 1594, die 14 Octobris, juxta Manuscriptum Cartusiæ Papiensis, et die 15, juxta Chartam Capituli generalis.

R. P. JOANNES PEGON

PRIOR CARTUSIÆ

Natione Arvernus, patrem matremque habuit sola virtute conspicuos et tranquilla paupertate divites. Puer adhuc, cœlesti mentis instinctu anhelans ad monasticam professionem, adultus, jam sæculo remittere nuncium se statuisse eis patefecit. Parentes, quorum ipse unicus erat thesaurus, et in quo familiæ suæ spes inclinata recumbebat, rati quod adolescens, ab ipsis optime educatus, senectam amborum aliquando cumularet abundantia fortunatiori, lachrymis ipsum et precibus retinere conati sunt. Sed frustra : obsurdescens siquidem suasionibus paternis, stadium ingreditur, ubi vincit nemo nec coronatur, nisi prius in se ipso carnis et sanguinis victor fuerit.

Egreditur de domo patris, de terra cognationis suæ, transilit montes et colles (montosa quippe est Arvernia), pergit in aliam regionem, montem quæsiturus in quo Deus habitat et per omnia sæcula requiescet. Ad rupes, quarum aditus soli pœnitentiæ patet, accedit. Rapidum pertransit torrentem, quo cœlestis hæc mansio sejungitur a cæteris mortalibus. Gradatim conscendit saxeas moles, quæ vasti ad instar amphitheatri circumvallant Cartusiæ eremum ; ubi tanquam in arena jam per sex sæculorum ætates, sub divi Brunonis labaro, viri fortissimi in Israel bellum diabolo sine induciis indicunt, et cum lætitia prælia Domini præliantur.

Per id temporis præerat Cartusiensi familiæ R. P. Bruno d'Affringues, vir ob miram eruditionem nominatissimus; cui se sistit Joannes adscribendum inter hos Christi milites. Is miratus fervorem adolescentis nondum viginti annos nati,

arbitratusque præ delicatiori corporis constitutione ipsum et Instituti et regionis asperitati imparem, monuit consilium hoc excedere vires illius, Ordinemque nostrum, qui licet monachis, non athletis opus habeat, requirere tamen eam corporis firmitatem, quæ sufficiat ad portandum regularis observantiæ jugum. Sic sapiens Architectus Joannem dimisit, reprobans lapidem futurum aliquando in caput anguli, qui tunc confractus fuisset, in ædificii mystici structuram intempestive collocatus. Interim ne fraudaretur a desiderio, et ne frustra videretur ad ostium pulsavisse, ut voti fieret compos, auctor ei fuit R. Pater ad Cartusiam Belnensem pergere, utpote salubriorem ipsique magis congruam.

Ibi nova nactus est obstacula : visus quippe est monachis minus habens litteraturæ, qua posset aliquando Sacris initiari. Passus repulsam, nullumque infelicitatis suæ cernens remedium, hanc amare lugebat. Verum Deus justum nusquam derelinquens, movit civem quemdam ex spectatioribus urbis, qui Joanni ad peragenda litterarum studia et ad sacrificii sui consummationem necessaria suppeditavit.

Habitum Ordinis suscipiens, ingreditur Vitæ asceticæ palæstram, quam divus Columbanus nuncupat martyrii felicitatem. In ipso tyrocinii sui exordio, mature cœpit robustæ vestigia signare virtutis, dum se se gessit velut optimorum Novitiorum exemplar, suoque fervore, humilitate ac obedientia in agro Dominico germinavit ut semen quod ortum feliciter fructum affert centuplum. Præclara hæc Novitiatus præludia Deus votorum nuncupatione coronavit. Post incendium quippe et eversionem Domus Belnensis ab Hæreticis factam, primus ibi emisit professionem, ut ex tanti incendii cineribus hic novus Phœnix Ordini reviviscens, et ex minima Domo exiens dux regeret gentem Cartusianam.

Vir ad totius Ordinis moderamen evehendus aliquando, fundamentum posuit in omnigenæ virtutis praxi. Studebat imprimis in via Domini ambulare immaculatus, omnique custodia cor suum servabat, existimans nihil ad Deum propius accedere, quam mentis puritatem, quæ non solum penetrat interiorem, sed se se etiam in exteriorem hominem effundit. Obedientiam Joannis abunde laudavero, si dixero nec vivere illum voluisse nisi imperio Moderatorum, quorum mandata prævertebat. Paupertatis eximius cultor, cellulam non rebus exornabat curiosis, quas censebat solitariis noxias et mentis aberrationum fomites ; at Sacræ Paginæ Sanctorumque Patrum lectionis studiosior, hocce pabulo se se saginabat.

Studium etiam orationis caput extitit Joanni et fons eorum fere ornamentorum omnium, quibus adeo cumulate plerisque præstitit : hæc eorumdem altrix atque præsidium. Nimirum scatebra

perennis est Deus, unde tanto quisque haurit affluentius, quo familiarius illi prolixiusque consueverit. Unde cum longa duceret spatia Joannes orando, procreabat contemplatio amorem, vicissimque in eo amor contemplationem fovebat. Verum discretione, quæ primas tenet inter virtutes, pollens, mentis excessus noverat temperare labore manuum; huicque corporis exercitationi adjungebat orationes breves quidem, sed ardentes adeo, quæ Cœlos penetrarent.

Denique formam et exemplar perfecti solitarii in se exprimens, suæ vitæ norma comprobavit characterem Cartusiani nihil terrestre, nihil habere conjunctum cum affectibus moribusque filiorum sæculi. In eo etenim elucebat castigatissima morum integritas, modestia, gravitas, imperturbata tranquillitas mentis, perpes sui ac pervigil observatio, qua sui compos semper, sibi semper constaret.

Tot locupletatus naturæ et gratiæ donis, dignus fuit existimatus qui super sanctuarii custodiam constitueretur. Munus hoc ipsi non fuit incongruum : quandoquidem templum exornaret et honoraret sedulis et sinceris obsequiis, jugi devotione immolans, non quidem veterum ritu pecudum carnes, sed vere hostias pacificas, Dei videlicet et proximi dilectionem : adolebatque suavissimum orationis thymiama. Juxta aram templi perseverans, instituebatur rerum spiritualium cognitione : quarum factus postea peritissimus magister, et prudens eloquii mystici, multos ad hanc scientiam erudivit. In sanctuario Dei intelligebat arcana, quæ in negotioso suæ solitudinis otio non audierat.

Obsequio Domini velut Samuel alter mancipatus, dum in templo quiesceret somno prorsus divino (ubi cum mens dormit, cor semper vigilat), coactus fuit descendere e tabernaculo, vacaturus domesticis negotiis. Licet hoc onus ei grave esset ad portandum, doleretque præreptam sibi cellæ quietem, humeros tamen supposuit ; sed propositi tenax, nihil de spiritualibus exercitiis, nihil de mentis ad Deum conversione remisit. Negotiorum molem tulit non minori tranquillitate, quam fortitudine ac vigilantia. Non mirum, si secura navis ipso in portu non pereat naufragio ; sed miraculum prope, si in alto medios inter fluctus jactata, ludat tamen infracta tempestatem. Sic etiam perfectus hic vir in eo animi statu collocatus erat, ut licet in aquis multis faceret operationem, nulla nihilominus perturbatione commoveretur, semperque sibi similis appareret. Sobrietas etenim (ut Gregorii Nysseni verbis utar) erat illi pro domicilio, sapientia loco prædii ; in justitia autem et veritate et castimonia habitans, magis his delectabatur et placebat sibi, quam qui marmoreis et auratis ædibus gloriantur.

Non erat turbulentus, nec avarus, nec prodigus ; sed verbo ac opere satis superque testabatur se Deum præ ocu-

lis habere semper : ad quem unum velut ad principium et finem referebat omnia. Unde singulorum curam gerens, se monasterii exhibebat patrem, quamvis ipse Superiori obtemperaret in omnibus, nihilque ipso inconsulto ageret unquam, totum se ejus arbitrio subjiciens. Fratrum amator et populi Israel, in egenos, hospites, infirmos, et in omnes uti lenis et placidus, ita erat intra religiosæ modestiæ fines profuse liberalis. Rem etenim domesticam credebat esse sanctuarii thesaurum, quam fidelis œconomus impendebat prudentissime : unde contristabat neminem. Nam cum sciret juste denegare non æqua, noverat etiam donis timidos prævenire. Hilaris dator et promptus, singulis necessaria quæque subministrabat in tempore opportuno : non ignarus, juxta divi Basilii sententiam, illum, qui neglexerit dare fratri quod opus est, daturum pœnas Dirarum insectatione.

Experimentum virtutis egregiæ, præsertim vero prudentiæ singularis præbuerat, cum Superioribus visum est, anno 1629, Joannem admovere gubernationi Cartusiæ Trecensis. Deinde, anno 1632, translatus ad Vallis S. Petri regimen, septennium ibidem exegit, functus etiam officio Visitatoris Picardiæ. Nec debuit optimæ compositionis unguentum unius Picardiæ vase sic contineri, quin etiam efflueret in Franciæ Provinciam, et in areolis germinis sui, unde primo processerat, quandoque scaturiret. Institutus itaque, anno 1639, Prior Divionensis et Visitator, hac dignitate se dignissimum integritate morum exhibuit. Legebatur in eo imago quædam pietatis eminens in toto oris et corporis habitu, comitas gravis, sapiens bonitas et erudita modestia. Hocce satellitio stipatus, lustrabat Domos, subditos omnes ad bene et religiose vivendum claris exemplis, hortamentis, sermonibus incitabat : potens verbo, quandoquidem quod ore docebat et calamo, prius opere demonstraverat, videlicet :

« Superiorem sal terræ esse oportere, qui non potest infatuari sine singulari gregis sui damno. Esse fortissimum illum bellatorem, qui militans Deo, nusquam se negotiis sæcularibus implicet. Esse nubes illas volantes, quæ de cœlo fœcundæ et redundantes gratiæ rore et conversationis suavitate alios respergere debeant. Esse Angelum tutelarem domesticæ Ecclesiæ suæ, qui si tepidus in officio fuerit, a Numine subito evomatur, et luctuosissimo damnetur exitio. Esse negotiatorem Evangelicum Dei talentis munificentissime instructum, quibus nisi ad ipsius Dei laudem et commissi gregis salutem utatur, sit miserrime illi pereundum. Dicebat præterea legem Superioribus esse adjunctam singularis innocentiæ et perfectionis. Eorum conversationem esse publicæ disciplinæ magistram. Ipsum Prælati aspectum, tametsi ille nullum faciat verbum, debere omnes instituere ad sanctimoniam. Pastoribus ingentem

quamdam raræ et inusitatæ perfectionis oriri obligationem. Illos debere æmulari charismata meliora; nihil magnum in terris præter Deum æstimare, in quem ingenti sint fiducia animosque induant tanto Patre dignos. Adjiciebatque, ut regimen sit pacatius, quod Superior animum memorem beneficiorum præstet, injuriarum vero immemorem; verbis, vultu moribusque suis præferat modestiam; recogitetque sapientem actu minorari; et quidquid operatur, id juste ac tranquille peragendum. »

Invigilans super Franciæ Provinciam, nihil tamen detrahebat de domesticorum cura; utque sua Domus feliciter prole sobolesceret, intentus erat educationi Novitiorum, hos instituebat ad Vitæ monasticæ elementa : jure merito Magister, cum ejus vita esset magisterium omnis observantiæ regularis ac norma. Novellas plantationes irrigabat salutaribus monitis, arguens et obsecrans in omni doctrina et patientia, et ipse quasi Proteus, non quidem ad calliditates, flexus et illecebras, sed ad suorum salutem procurandam in omnes se vertebat formas, omnibus pene omnia factus, quo pararet Domino plebem perfectam. Agebat fortiter et suaviter, ut disciplina monastica ubique sarta tecta servaretur. Quod si quandoque adhibebat reprehensiones, illas benignitate temperabat amorisque indiciis velut quodam condimento, ut non ex indignatione offensoque animo, sed benevolentia sinceroque affectu intelligerentur proficisci : rigor etenim omnis est mansuetudine miscendus, ut unius acerbitas alterius dulcedine mitigetur.

Postquam motu fere perenni sol iste subjectis sibi Domibus illuxisset, stetit tandem in cursu suo, inhæsitque Cartusiæ montibus, unde per orbem universum Cartusiensem spargeret radios virtutum. Post obitum siquidem R. Patris Leonis Tixier, in ejus locum suffectus, anno 1649, 22 Novembris, gubernationis totius Ordinis initia posuit non sine omnium gratulatione, ac spe certa etiam, fore, ut cujus experti mores fuerant, hujus prudentia suavissime regerentur. Unus ipse in communi lætitia mœrebat : ut qui imperare magis posset, quam vellet ; cuperetque aliis potestatem, sibi obsequii gloriam relinqui: cum præsertim observaretur animo ea cogitatio, haud esse onus leve illud, in quo possit propriæ salutis periculum adiri. Nihil erat in supremo hocce magisterio quod alliceret virum ætate provectum, qui fuerat dudum expertus honores esse tribulationum comites ac sollicitudinum socios ; qui, dum suæ senectuti indulgendum erat, ipsam novo mortificationis genere videbat atterendam in regione, cujus inclementia pœnitentiam adæquat strictiorem. Cogebatur, infirmus corpore, ædificii sustinere pondus, cujus lapis positus fuerat angularis.

Testes fuere Priores coadunati in Comitiis quanta cum humilitate, quantum enixe, quantis cum lachrymis annua-

tim exonerari regiminis sarcina postularet. Et quamvis optime suum impleret ministerium, priscisque Superioribus jure merito assimilaretur, credebat nihilominus se redigendum esse in Ordinem, seque prorsus censebat indignum, qui mortem obiret Generalis dignitate cohonestatus. Dicebat præterea se abdicaturum Præfectura, si per quinque dies impar esset officio : arbitrabatur etenim frustra retineri titulos et insignia muneris, cujus onera sustinere quis non valet amplius ; inordinatique amoris esse indicium, dum aliquis Superiorem aliorum esse gestit, quibus inferior præ infirmitate subesse cogitur. Revera etenim incassum virgula in indice horario tentat horas signare suumque peragere cursum, quando in horologio chorda remittitur, exeduntur rotularum dentes, cæteraque dissolvuntur organa, quæ portant pondus, quo circumvolvitur machina. Monasticæ dignitates, ut aiebat, neutique beneficia sunt, nec institutæ ad hominum levamen nec ad vitæ laxioris delitias, sed sarcinæ graves imponendæ viro forti, ut bene administrentur, atque etiam humili, qui eas libenter abjiciat, dum imbecillitatis suæ conscius, se inidoneum sentit ad regimen. Ad has senectutis præcavendas puerilitates, assuescendum est sui ipsius terrenarumque rerum contemptui.

Joannes noster suspiciendus est, qui in supremo Ordinis nostri Magistratu erat veluti omnium infimus, inanis gloriæ et fastus osor. Unde panegyricos verecunde recusabat, nec sibi libros inscribi thesesque dicari patiebatur. Quod si interdum id cohibere non posset, ita modestiæ et humilitati suæ consulebat, ut plerumque hæc encomia occultaret. Eam ob rem, cum æque cuperet ipse occultus esse hominibus ac erat manifestus Superis, noluit unquam producere ingenii sui fœtus diuque subticuit se conscripsisse Elogia Generalium, quæ apposita fuerunt imagini ex ære elegantius scalpro excusæ anno 1649. Denique si quisquam fuit unquam remotus a sæculi vanitate, a novitatibus, ab inani laude, Joannes is profecto fuit, qui curabat omnes revocare ad antiquitatem, utpote simplicitatis et modestiæ magistram. Cumque nonnulli minus probarent summum Ordinis Præpositum ita de se humiliter sentire, ita loqui contemptibiliter, detritasque vestes ac centonibus refertas induere, sapientissime respondebat : « Si hæc Generalem devenustant, saltem exornant Eremitam : sat enim elegans est et comptus, qui Deo placet. »

Apud Curiam Romanam et Principes plurimum valebat ejus auctoritas et gratia : Summique Pontifices sua ipsum existimatione, Præsules amicitia cohonestarunt. Multi ipso utebantur consiliario. Nihil tamen inde sibi arrogabat, quin imo, quo plus ob vitæ meritum ab aliis efferebatur, tanto magis se se deprimebat ad pedes eorum, qui dignitatem ejus et senectam venerabantur.

Unde celebris quidam Episcopus (is erat D. Henricus de Maupas episcopus tunc Podiensis, qui postea fuit episcopus Ebroicensis) testatus est se in eremo Cartusiæ nihil admiratione dignius observasse simul et imitatione, quam R. Patris humilitatem et modestiam.

Verum non solum erga Magnates, quorum generis splendori debetur major observantia, sed etiam erga sibi subditos hac humilitate religiosa Joannes præcelluit : qua, licet abundantior consilio, sapientia et ingenio, in aliorum tamen lubens ibat sententiam, modo ipsi rectam ferrent ; malebatque nonnunquam eis acquiescere, quam prævalere, haud judicii tenax. Animi sensum sic subjiciens, ad viliora etiam monasterii ministeria se se demittebat, quo discipulos edoceret illud Evangelii : *Qui major est vestrum, sit vester minister*. Aliquando excitabat Novitios, ut hora indicta eorum exciperet Confessiones. Ipsis ignem accendebat.

Quidam Novitius ob frigus nimium quod sustinere non valebat amplius, valde sollicitatus erat ad defectionem. Quod ubi R. Patri innotuit, afflictum juvenem ipse conveniens, adhortatusque ad perseverantiam, lignum ex apotheca lignaria super humeros asportans, ignem fecit. Quo quidem tenerrimæ charitatis et humilitatis spectaculo motus Novitius, mutavit mentem, ibique statuit permanere : ubi, licet regionis inclementiam persentisceret, cum volupe nihilominus degustaret suave regimen tanti Patris. Sicque alter iste Abraham gestans onus sui Isaac, victimam hanc novis alligavit vinculis, amori mactavit sine sanguinis effusione ; ardentique charitate ignem sacrificii mox extinguendum, denuo suscitavit.

Nemo magis propensus erat in misericordiam, quam noster Cartusiensium Moderator : qui Superioris optimi cor dicebat assimilandum Oceano, cujus aquæ nullam habeant amaritudinem, et cujus fluctus nullo agitentur vento. Aiebatque mare illud debere quietum et tranquillum consistere semper, ut quicumque ibi navigare volunt, non solum sine periculi metu cursum teneant, sed etiam secundis ventis invehantur in salutis portum. Ea erat præditus charitate, quæ domesticos amantissime complecteretur et se præterea effunderet in extraneos. Piis exhortationibus et consiliis peccatores reducebat in justitiæ semitas, iisdem aperiebat Domus suæ ostium, et aberrantes oves ad ovile Christi revocabat. Nec minus misericors in egenos, manu prompta largaque ipsis succurrebat juxta singulorum indigentiam, adeo ut nonnunquam quinquaginta scuta largiretur ; ægreque admodum ferebat causari rei domesticæ tenuitatem ab Officialibus, qui charitatem ejus volebant temperare. Arbitrabatur etenim, quod sicut magnes lapis vergit in polum, ita Superioris cor propendere debeat in pauperes et calamitosos.

Mandabat, pro religiosa paupertate

et modestia, hospites in eremo Cartusiæ bene haberi, magnam illis curam impendi, benigne excipi ac comiter. Sciebat etenim tantam esse apud Deum hospitalitatis gratiam, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remunerationis immunis sit : cum, ipse dives in omnes, adsit cumulate liberalibus, neque indonatam destituat munificam manum. Commendabat itaque Joannes hospitalitatem sine murmuratione. Si enim pauperes vituperandi sunt, qui de alimoniam erogante conqueruntur; nec minori culpa carent, qui avidi nimis divitiarum corrogatores, stomachantur eis, qui pro modico pane largiuntur beatam immortalitatem. Fœcundus siquidem est ager pauperum; cito reddit, testante Augustino, donantibus fructum. In mendicos et peregrinos sic beneficus, volebat sacerdotes et Religiosos ea cum humanitate excipi, quæ deceret Evangelium dicens : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.*

Hospitalitati subnectebat sedulam infirmorum curam. Effundebat proinde in eos omne paternum pectus visceraque matris ; nihilque deesse ægrotis patiebatur, adhibebatque ea omnia, quæ quoquo modo et solari ægrum et ægritudinem levare valerent. Quamvis occupationibus implicaretur bene multis, tempus tamen scite capiebat ad ipsos invisendos. Quod si quis læsus fuisset, ipsemet inspiciebat vulnus, ut de morbo factus certior, remedio promptiore valetudini ægrotantis consuleret : juxta D. Bonaventuræ monitum, se in omnibus exhibens patrem non dominum, patronum, consolatorem et medicum ; nec reputans suos ut servos emptionis, sed ut filios hæreditatis supernæ consortes.

Quando contingebat suos Officiales a Domo abesse ob negotia, hos gestabat in corde suo, epistolis solabatur, monitis fovebat et consiliis et affectu tenerrimo ; si quid patiebantur, in eos se demonstrabat litteris misericordem. Diu luxit V. D. Joannem Chauvet Scribam Ordinis, fatis functum in parthenio Melani, dum ille Domum hanc visitaret. Verum Deus luctum patris amantissimo filio orbati lenivit : defunctus siquidem ultimum vale dicens Reverendissimo Joanni, ipsum suavissima perfudit consolatione. Extat hujus rei luculentum testimonium epistola, quam in Elogio V. D. Joannis Chauvet describemus mense Decembri.

Interim Deus, qui inclytum hunc virum destinaverat ad moderamen Ordinis (qui primas tenet inter cæteras Familias monasticas), non solum haud vulgari charitate et humilitate, quæ virtutum omnium fundamenta sunt, ditaverat ; sed aliis naturæ gratiæque dotibus, quæ decent animarum Pastorem, adauxerat cumulatissime. Supremus enim noster Cartusiensium Antistes, velut Joseph alter factus Fratrum suorum dominus, ipsos præcellebat non solum charitate, sed et prudentia, con-

silio et sapientia. Dixisses Joannem fuisse natum ad Ordinis nostri imperium ; innata siquidem in eo majestas quædam apparebat et dignitas.

Vir excellentis ingenii, judicii acris, tenacis memoriæ, habebat imprimis vim judicandi adeo perspicacem et acutam, adeoque oculatam sagacitatem, nihil ut ignoraret eorum quæ suum spectarent ministerium, nihilve sineret præterire, quibus commissi gregis salus conservaretur ac promoveretur. Omnia totius familiæ Cartusiensis negotia complectebatur animo, ea distincte noscebat, perspiciebat, singulorumque prævidebat exitus. Quando post Comitiorum celebrationem dimittebat Priores, qui plerumque ibi numerantur sexaginta, familiari privatoque colloquio de rebus domesticis summatim cum eis conferebat sermones ea animi præsentia, ut nusquam allucinaretur.

Corpus etiam habebat firmum, robustum, laboris patiens, atque illius staturæ et gravitatis, quæ tantæ mentis pondus commode sustentaret. Nusquam negotiis, quamvis turmatim occurrerent, implicabatur; sed semper sui compos et imperturbatus medios inter fluctus tenebat regiminis clavum. Porro, quod vix credibile, vir sic occupatus, ea præstabat animi præsentia, ut quotidie sero de verbis et actibus suis, atque etiam motibus corporis sui potuisset reddere rationem. Omnia agebat cum numero, pondere et mensura ; nec immerito hæc Psalmographi verba poterat sibi arrogare : *Anima mea in manibus meis semper*. Idem enim et semper apparebat sui similis, nec ullo casu perturbatus. Unde cum aliquando ejus camera deflagraret, absque ulla mentis commotione advocavit viciniores qui succurrerent incendio, non secus ac si remotissima quædam Domus exarsisset. Cumque postea audivisset Correriam igne consumptam fuisse, manus et oculos sustulit in cœlum, silentio Deum adorans, cujus Providentia disponit omnia in electorum salutem et bonum. Hoc accidit anno 1674, 22 Junii.

Monebat olim divus Bonaventura Superiores, ad statum debitum tenendum convenire, ut Rector subditorum mores, conscientias et vires præcipue cognoscat, ut secundum quod unicuique expedit, eum dirigat et hortetur. Optimus itaque Pastor noster Joannes diligenter agnoscebat vultum pecoris sui, attenteque suos considerabat greges, dum ipse vicissim a suis agnoscebatur ovibus. Singulorum talenta et meritum appendens in statera sanctuarii, omnia peragebat secundum Deum, conscientiam et Statuta. Neminem admovebat officiis, quem non instrueret idoneis ad id ac salutaribus consiliis, quibus, sicut decet Sanctos, suum implerent ministerium. Prudentissimus Cartusiensium Moderator, recogitabat præterita, bene præsentibus utebatur, providus futuri et sagax ; super singulas Ordinis Domos invigilans, harum

res adducebat ad concordiam, præcavens prudenter mala ipsis imminentia.

Singulari magnitudine animi præditus, non erat languidus ad aggrediendum, nec ignavus. Cum enim ageret non secundum humanas rationes sed juxta Divinas, se se semper moderatum in omnibus exhibuit et sapientissimum. Quapropter arbitrabatur a Superiore ineundam esse Præfecturæ possessionem, eo modo quo anima corpori adjungitur, quæ non ita viget, ut postea fit, corpore jam formam adepto. Dicereque solebat, iis super alios constitutis gradiendum esse minimo sonitu, ne animi motus sopiti, plerumque non extincti, incaute suscitentur. Prius fecit quod docuit, ne doctrinæ auctoritas cassis destrueretur operibus : quandoquidem primis duobus sui Generalatus annis, nihil novi adorsus, actu quodam modo visus est minorari, veritus ne parum succederet, si simul homines transferre vellet et invertere. Sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit in tempus : reges illos imitatus sceptrum purpura sapienter obtegentes, quo majus imperium teneant in homines, dum simulant illud minus ambire.

Porro inter cætera Spiritus Sancti dona, quibus adaugebatur summus ille Cartusiensium Præpositus, necessaria imprimis cuique spiritualis vitæ magistro cautela et circumspectio moderationis sive discretionis spirituum in hoc Patre Reverendissimo semper eluxit. Deus enim, a quo descendit omne datum optimum, cujus unctio docet nos de omnibus, Spiritu scientiæ et intelligentiæ Joannem illustraverat, quo abundanter instructus gregem deduceret per justitiæ semitas. Cumque difficilis admodum et rara sit scientia regendi homines, una etsi societate conjunctos, disparitate tamen ingeniorum morumque maxima discrepantes, satagebat ipse prudenter explorare ingenia subditorum. Summo judicio perspiciebat quid cuique conveniret; quantum oneris ferre quisque posset : sicque justus rerum ponderator singulis tribuebat juxta concreditum sibi a Domino talentum.

Ac quemadmodum navis gubernator pro ratione ventorum mutat navigationis subsidia, non uno modo navem dirigens, et medicus non uno ad omnes morbos remedio utitur : sic Moderator noster sapientissimus, multiformis simul erat et multiplex. Parvulis lac, perfectis solidum cibum subministrans, satagebat sive per epistolam, sive per sermonem, modo suaviter, modo fortiter per salutis pascua suum gregem minare in deserto et ab ovili longe summovere quicquid sibi in disciplinam traditis crederet esse nociturum. Arcta siquidem non solum est via quæ ducit ad vitam, sed spinis obsita et periculis, ubi a Satana, qui se transfigurat in Angelum lucis, semper attendendum. Unde nolebat omni spiritui credere, sed probabat spiritus, si ex Deo erant : ne quemquam eorum, quos dederat illi

Pater Cœlestis, errare faceret in invio et non in via.

Si qua virtus virum spectat Religiosum, maxime modestia; quæ ab animo composito manans, in ore et gestu concinnam efficit moderationem. Hæc ita enituit in Joanne, ut Angelum in terris degentem dixisses conspexisse; quin et egregia frontis majestas, totiusque corporis venustas liberalis, dignum tam eleganti domicilio et sede hospitem animum demonstrabat. His sibi omnium amicitiam demerebatur ac venerationem : neminemque alloquebatur, quin imprimeret sui reverentiam.

Ad omnem honestatem compositus, ita linguæ dominabatur, ut loqueretur nihil quod non libraret prius et ponderaret statera prudentium. Sic gestum, vocem, sermones moderabatur aureis veluti frænis, ut neminis usquam interveniret offensio : in omnem etenim partem intentus, captabat tempus opportunum quo moneret, commendaret, corrigeret. Cumque suos ad optima vellet movere et eorum evadere nævos, peritum imitabatur citharædum, qui chordas in cithara tensas, « ut non sibimetipsi dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat; et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. » *(B. Gregorii Pastoralis Curæ part. III, in Prologo.)*

Quocirca ad instar boni Pastoris non baculo solum, sed et fistula sibiloque gregem regebat; neque baculo pœnisque utebatur, quamdiu sibilo lenique aliquo signo errantes in viam posset revocare : eaque arte curabat animi morbos, ut omnino juvarentur, non exulcerarentur infirmi. Cavebat imprimis ne ex ore suo excideret verbum quo aliquid detraheretur de subditorum existimatione. Eorum siquidem famæ studiosus, nusquam eorum pervulgabat defectus : multum dissimilis Superioribus illis, qui dum imprudenter inferiorum vitia propalant, suam ipsimet revelant turpitudinem.

Cum in eum diversæ inter se virtutes variaque naturæ bona confluerent, hinc fiebat, ut Deo et hominibus esset gratissimus : philtrum quippe erat atque illex aspectus Joannis, qui cor rapiebat omnium. Nullam prorsus habebat amaritudinem ejus conversatio, nec tædium convictus illius. Sermo etenim tanti Patris omnem excutiebat tristitiam, verbaque ejus instillabant amorem virtutis. Nonnunquam de industria de rebus minimis colloquens, sensim sine sensu suggerens spiritualiores, cogebat mira quadam dexteritate æmulari charismata meliora. Dum ageret Priorem in Cartusia Divionensi, excepit virum Principem, primum a Rege, ea cum orationis elegantia, ut Princeps ille nihil unquam castigatius, nihil amœnius se audivisse testatus fuerit.

Emicuit in illo vis dicendi quædam ineluctabilis, quam mirabantur Magnates, timebant improbi, diligebant boni et venerabantur. Nulla fuit eloquentia

ad motus animorum accommodatior, quæ mentes inflectebat in quascumque volebat partes. Nec minor erat Latine scribendi facultas, cujus argumenta sat superque suppetunt conciones, quas imparatus habuit, dum illi, quibus injunctæ fuerant, abfuerunt a Comitiis. Quod alii non sine labore peregissent, hoc profluentia dicendi patrabat cum omnis Cœtus religiosi plausu. Enimvero ingentiores edidisset ingenii sui fœtus, et deprompsisset doctrinæ suæ thesauros, ni præ humilitate maluisset recondere. Magnus in minimis, major longe fuisset in maximis, si paulo majora conscribere voluisset.

Verum dum R. P. Innocentius Le Masson, æquus æstimator prædecessoris, collegerat studiose fragmenta quæ de tanto viro superaverant, postremum Cartusiæ incendium hasce Reliquias non sine omnium dolore consumpsit. Quicquid enim tum in receptione et professione Novitiorum, funeribus, sermonibus et aliis hujusmodi Joannes recitaverat, periit lamentabiliter inter flammam ; quæ lapidibus etiam non parcens, ejus successori dedit ansam novæ Domus constructioni. Eodem tempore Missali et Statutis Cartusiensibus recusis, totus Ordo innovatus fuit in melius.

Porro vix credibile est quantæ sunt summi Cartusianorum Præfecti sollicitudines, mutuo sibi hærentes, perpetuo veluti filo contextæ. Ad ipsum confluunt turmatim universi, factusque debitor sapientium et insipientium, continuis epistolis obruitur. Verum optimus Pater ubi primum suis cervicibus atque humeris, non Ætnam ut poeticus Typhæus, vel cœlum ut e fabulis Atlas, sed impositum orbem vidit Cartusianum, se totum Ordini dedicavit, se sibi penitus eripuit; adeo ut apud eum nulla esset in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora : aures singulis faciles admodum præbens, singulis prudenter, humaniter, erudite, modo fortiter, modo suaviter rescribebat sua ipsius manu. Id peragebat mira cum velocitate, adeo ut conjectis tantummodo in Crucifixum oculis, regente scribentis calamum Spiritu charitatis, noctes et dies sine intermissione sic transigeret. Sed quod mirabilius, statis tabellarii diebus, quadraginta tradebat epistolas; quarum nonnullæ tam prolixæ erant, ut aliquando multos articulos continerent; cumque multoties eadem scribendi occurreret materies, nova semper respondebat.

Sed quod magis suspiciendum, nihil docebat, quod non faceret prius : nec tam legibus ac præceptis, quam exemplo sibi subjectos continebat in officio. Apprime deditus mortificationi, ad obitum usque perseveravit in pœnitentiæ spiritu, qui solitariorum germanum est insigne. Statutorum tenacissimus, nihil de austeritate dimisit unquam, dictitans Superiori subeundam esse martyrii mortem, qua subditis relinquat exemplum.

Studio excelluit meditationis, et orationis ferventis admodum, et contemplationis altissimæ. Cum olim lustraret Visitator subjectas sibi Domos, ita compositus incedebat, ut cum urbes pertransiret et se se reciperet in diversoria, credidisses venerandum hunc Patrem intrare in aliquod sanctuarium, qui tranquillus tranquillabat hæcce tumultus domicilia.

Deum sibi præsentem præ oculis habens, innixus super Dilectum stabat, nihil tamen pastoralis officii negligens : similis circino, cujus cuspis centro inhæret, dum altera circumvoluta artificis manu orbem delineat. Sic se ad instar hujus instrumenti extendens simul et contrahens, ut nullatenus a Deo deflecteret, ad cujus voluntatis normam dirigebat se se. « Deus, aiebat, consulendus est semper, ut si negotia non succedant juxta votum nostrum, consoletur nos saltem conscientia, quod ad ipsum, priusquam aggressi fuerimus quicquam, confugerimus. » Revera etenim ex hoc Divino congressu, lumen, audaciam, animi firmitatem hauriebat. Cardinalis Protector cum aliquando Joanni scripsisset de negotio juxta modum a se signatum peragendo, R. Pater aliter afflatus a Numine effecit ut, Cardinale mentem mutante, res successerit ex Joannis sententia. Quando alicujus momenti litteræ adveniebant, illas ad altare templi aperiens, ad instar Ezechiæ Regis, proponebat in oculis Domini, petebat opem et consilium, nullumque dabat responsum donec ipsi innotesceret voluntas Dei.

Hanc continuam attentionem fovebat imprimis conjunctio mentis cum Christo arctissima, quem Superior iste religiosissimus impense diligebat. Erga Jesum amore tenerrimo affectus, de Jesu loquebatur crebro, nusquam Jesum proferebat siccis oculis : manabant siquidem lachrymæ, quæ suaviter irrigabant pii senis genas. Cumque de Dilecto nunquam satis sibi videretur miscere sermones, modo admirabatur Speciosum forma præ filiis hominum, modo incarnatum contemplabatur Verbum carne circumvestitum, non secus ac solem, qui nitidissimo vase crystallino circumclusus, transfunderet radios splendidissimæ lucis. Multum erudita faciebat de ejusdem Incarnati Verbi mysteriis, filiosque suos hortabatur pius Pater prævertere solemnitates Dominicæ Incarnationis, Nativitatis, Passionis et Augustissimi Altaris Sacramenti octidua strictioris silentii et solitudinis custodia, ut abundantiori gratia cumularentur.

Jesum gestabat in mente, in ore, in opere, identidem dicens nihil esse jucundius, nihil gratius, quam fingere sibi Jesum cum discipulis suis conversantem. Hujus amantissimi Pastoris imaginem collocaverat in Bibliotheca, quæ daret ipsi causam loquendi de Dilecto, quando quis ipsum conveniret; nullumque efficacius remedium contra malas cogitationes credebat, quam re-

cogitare Sacrosanctam Jesu Christi Humanitatem. Totus Sanctæ Eucharistiæ devotus, gaudio efferebatur, quando procedebat, ipsa Christi Corporis solemnitate, gestans illud Divini in nos amoris pignus, quo in terris habemus nihil pretiosius. Ignescens facies ejus sat indicabat cordis illius secretum.

Aliquando docte pieque disserens de solitarii convenientia cum Jesu abscondito in Altaris Sacramento, demonstravit solitudinem mysterium esse ac sacramentum, quo periculosum est abuti; illos, qui carnem suam non crucifixerunt cum concupiscentiis, corticem tantum solitudinis videre amarissimam, nunquam illius suavitatem degustare; Ægyptiis, id est sæculi amatoribus mortem inferri a solitudine, dum salvat veros Israelitas et deducit in terram promissionis; aquam abundantissime ac manna humilibus et pacificis subministrari a solitudine, quæ nihil superbis profert præter siccitatem et duritiam.

In Jesum mire affectus Joannes, ejus etiam Genitricem principe studio velut Matrem filius ac reverentia venerabatur. Cumque Sponsum amaret, Sponsam diligebat, seu amatricem (Magdalenam intelligo), quam R. Pater nuncupabat Discipulam amoris; subjungens ab ipsa totam fuisse Ecclesiam unguenti odoribus impletam, quod effudit in corpus Dilecti. Devotionem in Magdalenam in extremo morbo testaturus, voluit interesse ejus festi Matutinis; verum deficiens coactus est recedere, et ab illa die nusquam in choro apparuit, non quidem quod indulgeret sibi, sed præ mera impotentia.

Austerus enim semper sibi fuit, quippe qui corpus suum jejunio crebrisque flagellis maceraret. Somni præterea parcissimus, nunquam requievit, nullum sibi indixit sabbathum cogitabundus; noctes et dies operosus egit omnes, modo orationi deditus, modo Sacræ Paginæ lectioni. Unde etiam nullus devotionis liber extabat, quem Joannes non pervolvisset. Hactenus religiosissime tum Ordinis tum Ecclesiæ jejunia observaverat, quamvis octogenario major; neque unquam fuerat in choro desideratus, ni præpedissent negotia. Ita vir ille existimabat divini Officii pensum : a quo abesse dictitabat nefas monacho, donec reptans se se ad Ecclesiam in claustro deficiat præ infirmitate. Subjungebatque se non parcere Cartusiano, qui, quoties ad statum tempus divinis nequit interesse Officiis, vim sibi illatam non credit, factus tunc tanquam piscis extra aquam, lapis extra centrum.

In extremo morbo convocatos ad se monachos allocutus est hisce verbis : « Excusatum me habeatis, amo vos, Venerabiles Patres et charissimi filii, nec habeat apud vos offensionem mea a choro absentia, quem a mense Julio non frequentavi. » Singultibusque ægroti vocem et lachrymis interrumpentibus, mox altius loquens, subjecit : « Testes appello vos, dilectissimi, quod quam-

diu licuit, nusquam partes meæ desideratæ fuerunt. Huicce enim semper feci satis meæ professionis officio, quo nunc orbor, pœnas peccatorum meorum luens. Revera etenim indignus sum stare ante thronum Dei, et conjungi psallentibus. Verumtamen condonate, quæso vos, homini affixo doloris lectulo, et absentias ne adscribatis negligentiæ. Enimvero miror qua ratione Officiales, imo et Superiores tam facile chorum dimittant. » Hæc et alia proferebat nudato capite, brachiis super stomachum expansis, oculisque in cœlum sublatis, nec lachrymas tenens, quas etiam eliciebat ex astantibus tristi hocce spectaculo commotis : adeo ut in isto corporis habitu, videretur pro negligentiis hujusmodi Deo pœnam luere honorariam.

Deficiens in senectute bona, cum divinis interesse Officiis amplius non valeret, cellulæ suæ fenestras aperiens, preces sacras recitabat versa in sanctuarium facie : velut Daniel alter, qui fenestris itidem patefactis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat. Sic interdum conjiciebat oculos versus sacellum Dominæ nostræ de Casalibus. Ac nonnunquam innixus super astantium aliquem, pergebat ad fenestram quæ ædiculam hanc respicit, et in genua provolutus, negotia Ordinis destructasque bellis nostras Domos commendabat Beatissimæ Virgini ; illamque rogabat precibus instantissimis, ut ipsam in articulo mortis suæ propitiam experiretur, suique compos, Sacramentis omnibus, quanta pietate posset, communiretur tempestive ; atque ut tanto gauderet beneficio, suorum etiam poscebat orationes.

Nec a suo fuit desiderio fraudatus. Ultimam etenim Unctionem percepit summa cum animi præsentia, miroque cum devotionis fervore ; totus quippe inardescens, in has voces e Sacris Paginis collectas erupit : « Memento mei, Deus, secundum misericordiam tuam, propter bonitatem, propter clementiam erga peccatores. Memor esto, Domine, misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt. » Postea testaturus se mori Christianum, docte ac erudite de primariis Fidei articulis verba fecit, adjiciens aliquid de Immaculata Dei Genitricis Conceptione, quam singulariter coluerat. Cujus devotionem sat probat sermo ab eodem compositus in hocce Mariæ Festum, editusque in lucem inter R. Patris Bibaucii Conciones.

Porro cum Sacro inungendus Oleo tempus captasset quo Religiosi divinum in Ecclesia persolvebant Officium, ne ipsius viscera super filios astantes commoverentur, ipsos tamen sua adauxit benedictione, quam quidem Officialibus, qui tunc aderant, veluti monachorum personam gerentibus impertiit. Deinde veniam petiit a Patribus simul et Fratribus Laicis ac domesticis, et ab illo præsertim, qui curam illius habebat ; statimque singulis pro se misit deprecatorem. Hisce peractis consur-

gens, aliena manu adjutus reptat se ad oratorium ubi, genibus flexis, Deo gratias agens dixit : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.*

Nihil interim, licet in extremis positus, remittebat de pastorali sollicitudine. Putasses illum esse sospitem, nullo laborare morbo, juvenilique vigere animi robore, si vidisses dictare litteras, confici Obedientias mandare, respondere singulis prout erat convenientius. Angelum tunc Joannem, nec infirmitate circumdatum existimasses, qui naturæ languescentis immemor, pro virili contendebat esse totus spiritualis, nec amplius homo : nam probe noverat, illis, qui ex imposito sibi munere se plusquam viros præstare debent, transgrediendam esse mediocritatem, quam homines sibi præscribunt in itinere virtutis.

Tribus ante obitum suum diebus, mentali animum orationi intendens, vocali modum adhibuit. Verum quia fuerat solitus nihil agere ex suo sensu, nihil aggredi, nihil obmittere sine consilio, dubius an infirmitas hæc ipsum legitime eximeret a Canonicis Horis, sciscitatur ab Officialibus, num illas tuta conscientia posset dimittere? Cumque eum sine animi scrupulo ab Officii recitatione solutum respondissent, subjunxit se ipsorum sententiæ acquiescere, quandoquidem sic judicassent.

Per id temporis monacho cuidam roganti, num vellet Crucifixum et cereum collocari super mensam? respondit, maturum hujus rei non esse tempus. Verum adveniente hora : « Non modo Christum Cruci affixum, inquit, ibi libens intuebor, sed etiam manu gestabo, quem in corde habeo medullitus. » Cum enim ultimam sibi horam instare persentisceret, hocce salutis nostræ vexillum bonus Christi miles arripiens, exclamavit : « Tu es Salvator meus, qui te totum pro me profudisti. Sanguis tuus, vulnera, manus et pedes clavis transfixi, caput spinis redimitum te te satis superque faciunt manifestum. Lancea perforatum latus aperit ostium ad vitam immortalem. » Talia loquens oscula immolato Agno figebat; demissoque super ipsum capite, tot suspiriis Christi pro se patientis planxit cruciatus acerbos, tot lachrymis Dilectum rigavit per duas horas, ut saxa etiam flere secum ac lamentari coegisset.

Ad occasum vitæ vergens, voluit audire postremam nostri Redemptoris morituri ad discipulos suos Concionem, erga quam multum afficiebatur. Cumque legerentur verba *Pater sancte venit hora,* oculos ac manus sustulit ea vi amoris æstuans, ut ex circumfusis juxta lectulum monachis expresserit lachrymas. Lecto deinde versiculo *Ut sint consummati in unum*, quo charitas et perfecta cum Deo cordis conjunctio significatur, dixit : « Utinam! utinam! utinam! » Præbuit se etiam attentissimum precibus a Dionysio nostro compositis pro animam agentibus; manus-

que suas identidem in Cœlos attollens, illuc cor suum erigi testabatur.

Sub vesperam, quatuor Evangelistarum Passione coram eo perlecta, ovum sibi porrectum manu respuens, ait : « Jam amplius hoc non indigeo. » Fixisque per duas horas sursum oculis, tandem inter verba recitatæ tunc Passionis *Inclinato capite,* animam placidissime efflavit, anno 1675, die Octobris 15, ætatis 85.

Vulgato per Domum ejus obitu, filii Parentem luxere, non ideo quia Pater amantissimus e vivis excesserat, sed eo quod Magister sapiens fuerat præreptus ipsis nusquam orbandis Pastore, qui tamdiu gregem suum prudenter, moderate ac suaviter rexerat. Verum dolorem hunc victoria tot certaminibus ab ipso parta, et post triumphum corona gloriæ capiti ipsius imposita, orphanos solatur et lætificat : quos juvat hic meminisse pretiosæ in conspectu Domini mortis illius, qui non solum pie mori, sed et recte vivere filios docuit.

Quot munia obiverit in Ordine R. P. Joannes patet ex Scheda quadam ipsius manuscripta, quæ asservatur sic in Cartusia Belnensi :

« F. Joannes hujus nominis Octavus, Prior Cartusiæ ac totius Ordinis Cartusiensis Minister generalis, professus primum Domus Belnæ, deinde Sacrista et Procurator; postmodum Rector et Prior Trecarum ; ac consequentibus annis, Prior Domus Vallis S. Petri, Convisitator et Visitator Provinciæ Picardiæ, et semel Commissarius in Provincia Teutoniæ; itemque Prior Domus Divionis, Convisitator ac Visitator Provinciæ Franciæ, Commissarius in tota Provincia Provinciæ; semel Burgundiæ, Provinciæ Cartusiæ, ac denique Provinciæ Rheni Visitator : hanc pyxidem argenteam cum pretiosa Reliquiarum Sanctorum et Sanctarum martyrum capsula, charissimæ parenti Belnensi Cartusiæ, venerationis et gratitudinis affectu et munere perpetuo tradidi, quo me dilectis Confratribus et comprofessis ibidem Christo famulantibus ac eorum successoribus in futurum commendarem, eorumque Sacrificiis ac precibus juvarer vivens ac mortuus, qui hactenus fui tot officiorum oneribus oppressus.

« Præsenti scripto vetans, ne quis hoc perpetuum mei erga ipsos amoris testamentum, prædictas Reliquias dividendo aut alibi distribuendo, infringat. Videatur epistola his adjuncta. Datum Cartusiæ, 19 Aprilis (in quam Dominica *Boni Pastoris* incidebat), anno Domini 1654, Generalatus nostri 5, cum affixione parvi sigilli.

F. Joannes Prior Cartusiæ qui supra. »

Aux venerables Peres en Dieu les Prieurs et Religieux conventuels de la Chartreuse de Beaune en la Province de France, salut grace et prosperité.

Venerables Peres, il a bien fallu vous rendre raison du present sacré, que je vous fais de ma pauvreté, et vous laisser un gage du bien que je souhaite a

vostre maison en la quelle Dieu m'a fait la grace de professer nostre saint Ordre. Car le present est fort assuré, ainsy que vous le remarquerés par les attestations authentiques attachées a la presente, au bas desquelles j'ay voulu signer, gardant icy l'original seellé.

Mais ne vous figurés pas, que je me cherche moy mesme, en ce que j'ay touché les charges et les changements, dans lesquels il a plû a l'Ordre m'exercer. Je scay asséz et de science et par ma propre experience, que les charges en l'Eglise ne sont pas tant des titres d'honneur, que des plaies de conscience; et c'est pour cela que je vous les ay voulu exposer, afin de vous exciter a me plaindre parmy toutes ces blessures, qui m'ont esté faites, et quant et quant vous inviter a me soulager avec plus de devotion et d'assiduité.

Si je vis encore quelque temps, et que je puisse vous procurer du bien, je le feray tres volontiers, et je prie ces saints Protecteurs que je vous envoie, de vous en moienner auprès de Dieu, lequel ils voient a face decouverte. Honorés les et portés leurs saints Ossements en vos processions. Il faut aussy escrire leurs noms dans le Catalogue des Reliques que vous nommés au Chapitre, en la Solemnité qui leur est destinée. Car ces Bienheureux entendront par la, que vous vous mettés sous leur protection, et ils vous garderont.

Il ne faut point developer tous ces petits pacquets, d'autant que l'air nuit a la conservation de tous ces os sacrés, et il s'en perd tousjours quelque brin, quand on les touche. Vous n'avéz pas le Catalogue complet, parce qu'il nous en a fallu garder quelque partie. Mais j'ay noté par une estoille a costé, ceux que vous avez, et lesquels j'ay separés de ma main et etiquetés moy mesme, afin de le faire plus fidelement.

Cette ceinture, qui est dans la boete d'argent, est une des rares devotions de la Calabre, et fait des miracles pour des guerisons quand il plaist a Dieu. Il y a parmy, un morceau fort gros de la coste d'un martyr de S. Maurice, que le Superieur du monastere Agaunum (id est Agaunensium Martyrum) m'a envoié avec une attestation authentique. J'ay adjouté a la ceinture susdite deux grosses medailles des Papes Urbain VIII et Innocent X, sous lesquels j'ay porté les susdites charges.

C'est tousjours pour honorer vostre sacristie, et vostre sanctuaire, car les presents d'un Ermite Chartreux doivent estre petits, puisqu'il ne luy appartient pas d'en avoir de somptueux.

Ces deux papiers doivent demeurer attachés comme ils sont et ne point sortir de la boete, car les Reliques qu'on expose doivent avoir leur attestation toute preste. La petite clef de la quaissette est bien icy dans la mesme boete, crainte quelle ne se perde. Il faut ouvrir tres rarement la quaissette et quasi point.

Voyla tout ce que j'ay a vous dire,

me recommandant et ma fin et ma mort, a vos saints Sacrifices. De Chartreuse, le 19 avril 1654.

Vostre affectionné Confrere,

F. Jean Pegon, Prieur de Chartreuse.

Adjicio etiam aliam Schedam præfatæ Domus Belnensis, ubi fit mentio R. Patris in hunc modum :

« Anno 1611, in pervigilio S. Barnabæ, R. P. Joannes Pegon Arvernensis habitum Novitii induens in hac Domo Belnæ, Ordinis Cartusiensis, emisit professionem in festo S. Barnabæ apostoli, quod tunc contigit feria 2 Pentecostes. In qua postea officio Sacristæ, deinde Procuratoris aliquandiu strenue ac laudabiliter perfunctus, Prior Domus Prateæ prope Trecas electus est; hinc Prior Vallis S. Petri in Provincia Picardiæ, necnon Visitator ejusdem Provinciæ, postmodum Prior Domus Divionis, atque Visitator Provinciæ Franciæ. Tandem Prior Cartusiæ ac totius Ordinis generalis Minister in locum defuncti R. P. D. Leonis Tixier suffectus est, per electionem Conventus ipsius Cartusiæ factam anno 1649, mense Novembri, concursu et consensione vocum ac votorum fere omnium eligentium.

« Unde, 27 Decembris, die festo S. Joannis Evangelistæ ejus Patroni (in quo quondam hic primam Missam celebraverat), transiens per nos humiles filios suos et comprofessos dictæ Domus Belnæ, conventualiter non sine ingenti gaudio spiritus omnium nostrum cum stola, Cruce et Aqua lustrali receptus est. Qui quidem R. Pater, post Canticum *Te Deum laudamus* in gratiarum actionem decantatum, voluit singulari cum modestia unumquemque nostrum salutare et amplecti; nec minori cum humilitate sigillatim in cellis omnes a minimo usque ad maximum visitare et alloqui postmodum dignatus est, idque familiariter ac simpliciter, solus cum solo. Denique postera die nobis in unum congregatis extremum vale dixit et benedixit, non sine reciprocis utrinque lachrymis. »

Ejus obitus in Charta Capituli generalis descriptus est in hunc modum :

« R. P. D. Joannes Pegon Prior Cartusiæ, professus Domus Belnæ; alias Prior Domus Trecensis, Vallis S. Petri et Divionis, Visitator Provinciarum Picardiæ et Franciæ; qui semper intimo erga Christum sapore delibutus, inter nos per annos 65 omni virtutum genere, prudentia maxime et mansuetudine conspicuus effulsit. Deo et cunctis, qui noverant eum, supra modum dilectus, universum Cartusiensis Ordinis orbem per 27 annos infatigabiliter sustentavit; ac tandem tot laboribus pro Ordine exantlatis, erectis sursum per duas et amplius horas oculis, velut alter Moyses, placidissime mortuus est jubente Domino annum agens 85, omnium monachorum sui Ordinis antiquior; habens triplicem plenum cum psalteriis Monachatum et Missam de B. Maria

per totum Ordinem et Anniversarium, etc. »

Placet etiam hic apponere Elogium illius quod typis sic mandatum fuit :

« R. P. Joannes Pegon eximiæ mansuetudinis et prudentiæ Arvernus, successor quidem Reverendissimi Patris Leonis extitit, ut problema (quo de forti, id est, de isto Leone exivit dulcedo) in diebus suis renovaret; sed revera nulli antecessorum suorum secundus fuit, ob eximias quippe tum naturæ tum gratiæ dotes divinitus in eo plena manu congestas. Maximis quibusque ætatis suæ viris suspiciendus et admirabilis refulsit, simulque (quod prodigio dixerim simile) omnibus et singulis sacri sui Ordinis alumnis supra modum charus extitit et amabilis.

« Vir iste Deo et hominibus dilectus, in monte sancto Cartusiani Ordinis fecit sibi tria tabernacula, quæ eximia cum laude inhabitavit : Domum videlicet Trecensem, Vallis S. Petri, et Divionensem. In quarum singulis se ipsum præbuit alterum Moysen per ingenitam sibi mansuetudinem, alterum Eliam per fervidum et æstuantem pro regularis observantiæ disciplina zelum (semper tamen suavi discretionis et benignitatis condimento sapientissime contemperatum et decoctum), alterum denique Brunonem per angelicæ vitæ puritatem, per placidissimos et per humanos mores, maxime autem per intimum erga Jesum saporis affectum (se ipsum lachrymarum imbribus sæpius ultro prodeuntem), per plenissimam tandem virtutum omnium in uno novo hoc homine coadunationem. Tota quippe conversatio illius veluti quoddam latissimum omnis humanitatis et modestiæ extitit theatrum, in quo non virtutes omnes et perfectiones solummodo, sed ipsimet virtutum et perfectionum omnium apices, tam egregie certare videbantur, ut non immerito a coævis suis alter Trismegistus censeretur, ob experimentalem in spiritualibus intelligentiam, ob singularem, fœcundam pariter ac facundam in dicendo et scribendo præstantiam; tum maxime ob patentem simul et latentem in eo prudentiæ gurgitem, quo speciosa quæque primariæ Cartusiæ deserti per annos 27 fecit pinguescere.

« Ne aliud secundi hujus Elisei elogium quæsieris, quam omnia et singula, quæ de aliis antecessoribus ipse contexuit, elogia. Ipse enim solus omnium illorum zelo, observantia, prudentia, cæterisque excellentissimis donis velut duplici eorum spiritu ad stuporem et miraculum usque egregie condecoratus, annorum fere 67 spatio, sicut sol lucens in virtute sua, per refractos virtutum suarum radios Ordinem universum illustravit : quippe qui totius Ordinis caput per 27 annos effectus, ut inter Orbis omnes tunc Cartusianos ætate antiquior, ita virtute, sensu cæterisque eminentibus excellentiis, nullo refragante, sublimior.

« Fuit hic Cartusiæ Belnensis post

ejusdem Domus conflagrationem primogenitus, et ex hac incineratione natus tanquam Phœnix hujus sacri Ordinis. In quo vixit semper sublimis ut aquila; miraque velocitate ac facilitate per varias ejusdem Ordinis Provincias verbo et exemplo quasi super pullos suos volitando, eos sedulo semper ad volandum se ipso sublimior provocare non destitit : semper omnibus omnia, singula singulis, et sibi nihil. Hic ad præceptum obedientiæ elevatus, jussus est in præruptis silicibus Cartusiæ commorari; unde acutissimi perspicacitatis ac singularis vigilantiæ ejus oculi undequaque de longe prospicientes, modis omnibus intemerato Ordini prospexerunt. Nemo enim melius prospicit malis, quam qui prospicit mala. Ac tandem toto Cartusiano orbe, per tot annos, cum densitate negotiorum ac mole ponderum, ejus Atlanticis humeris roboreque Herculeo infatigabiliter sustentato, stans irreverberatis oculis in Solem justitiæ, impollutum spiritum Patri, corpusque virgineum cum acerbo filiorum suorum luctu Matri dedit, pridie Idus Octobris, anno 1675. »

Sic etiam R. P. Innocentius Le Masson ejus memoriam celebravit:

« R. P. Joannes Pegon, natione Arvernus, Cartusiæ Belnensis professus, ex Priore Domus Trecensis factus Prior Vallis S. Petri et Visitator Picardiæ, deinde Prior Divionis et Visitator Franciæ, ac tandem in Priorem Cartusiæ electus anno Domini 1649. Vir ad magna genitus, sortitus animam bonam (si quis unquam) et latitudinem cordis sicut arenam quæ est in littore maris; unde benignitatis fluvius velut e Paradiso voluptatis erumpebat ad omnes. Quem gratia Deo charum, indoles aptum ad omnia, natura ad labores robustissimum, industria in omni scientia versatum et mira loquendi scribendique facundia præditum effecit; sed vera pietas et tener in Christum amor ista coronarunt. Laboribus adhuc infractus annum agens ætatis 85, et 66 suæ professionis in Ordine, quorum 27 in Generalatus ministerio expleverat, sic firmo perstitit ingenio, monachorum sui Ordinis antiquior, ut calamus, quo boni cordis apices efformaverat, fere morienti e manibus potius decideret, quam quiesceret. Tandem ut alter Moyses in osculo Domini moriens, fixis prius in Cœlum per duas horas oculis, ibi semper fixum cor habuisse demonstravit, ubi vera gaudia invenit, die 15 Octobris, anno 1675. »

EXPLICIT VOLUMEN TERTIUM

INDEX

INDEX

MENSIS AUGUSTUS

VII DIE

VIII DIE

IX DIE

X DIE

XI DIE

XII DIE

XIII DIE

XIV DIE

MENSIS SEPTEMBER

VIII DIE

IX DIE

X DIE

XI DIE

XII DIE

XIII DIE

XIV DIE

MENSIS OCTOBER

VII DIE

VIII DIE

IX DIE

X DIE

XI DIE

XII DIE

XIII DIE

XIV DIE

XV DIE



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis Monstrolij.
Ern. Duquat Typographus.